
RERUM
CONSTANTIENSIS
CONCILII
TOMUS VI.

TOMUS VI
RERUM OECUMENICI CONCILII CONSTANTIENSIS
DE
AUTORITATE JURE ET FATIS MAGNI HUJUS CONCILII.

Quæ præclara Majorum monumenta
in publico Concilii theatro
CÆSARE SIGISMUNDO
quondam orbi expoſita,
Nunc ſera ætate
CÆSARE LEOPOLDO
reſuſcitata,
FELICISSIMISQUE AUSPICIIS
SERENISSIMI PRINCIPIS
RUDOLPHI AUGUSTI
BRUNSVIC. AC LUNÆB.
DUCIS,
Ad Eccleſiaſticæ hiſtoriæ lucem
Majorum gloriam
ac poſteritatis emolumentum
Ex antiquiſſimis Codicibus MSCtis
CÆSAREIS, DUCALIBUS & ACADEMICIS,
recenſita
ab

HERMANNO von der Hardt/
Cœnobii Mariæbergenſis Præpoſito, Academ. Juliæ Profeſſore
& Pro-Rectore.

FRANCOFURTI ET LIPSIÆ
IN OFFICINA CHRISTIANI GENSCHII.
Helmestadi, Typis Salomonis Schnorrii, 1700.



Prudenti, & fata majorum
curate pensitanti
Lectori S.

EN SEXTUM TOMUM rerum arduarum, quæ in publico magni Concilii theatro, sub cœlo Germanico *Constantiæ* quondam gestæ. Quæ si ponderentur, non admirationem duntaxat pariant, sed & in stuporem posteros abripiant. Siquidem ista ætate, longiore jam intervallo â nobis remota, *illa negotia* à totius Christiani orbis capitibus *in Germaniæ sinu tractata*, quæ cœlum terramq; moverent. Momentum enim prope universum in sublime *Ecclesiæ regimen* emendandum redundabat: Illa tempestate profecto res grandis, res formidabilis, invia & inaccessa, scrupulis plenissima, non sine metu & pavore tangenda. Et hanc nihilominus causam insuperabilem, inexplicabilem, & vere ancipitem, magno animo aggressus CHRISTIANISSIMUS CÆSAR SIGISMUNDUS, nutu & consensu Regum, Principum, meliorisque cleri. Hoc saxum, mole vastum, vix ullis machinis movendum, Invictissimus Imperator augustissimâ suâ & adjuvantium Regum Principumque manu magno nisu volvit.

Quemadmodum ergo sapientissimus Imperator *Concilio* effici voluit, quod orbis *consilio* non potuerat, ita & *Concilii autoritatem* asserere, roborare & vindicare, *juraque* illius in Ecclesiæ regimen instruendum, redintegrandum, emendandumque, urgere & defendere sedulo allaboravit. Tantoque fortiori hoc egit animo, quanto certior erat, sine Concilii ope omne consilium in re tam scrupulosa fore irritum & inane, quantoque manifestius perspiciebat, se consiliis, votis, plausibus, precibus, monitis, Regum ac Principum, confirmari, urgeri & vel hæsitantem adigi & compelli. Quæ inter præsidia, adjumenta, calcaria, *Cardinalium* erant, *Episcoporum*, aliorumq; *eruditorum virorum scripta*, in ipso Concilio palam proposita, quibus Cæsa-

rem magis magisque armarent atque animarent, ut Concilii integritatem, dignitatem ac jura immoto pectore tueretur.

Neque inficias plane eundum, extitisse, qui scrupulos statim injicerent, qui Cæsaris voluntati & Concilii conatibus omnis generis impedimenta obvolverent, si qua vel Concilium dissolvi, vel consilium eludi, & scopus frustrari posset. Comparuere certe, qui autoritatem Concilii, in Ecclesiastico statu, nimiopere tunc corrupto, emendando, vellicarent, vel dubiam reddere conarentur. Ex quo in ipso Concilii ambitu certamina literaria subnata, his Concilii vim roborantibus, illis enervantibus.

Quas res magno quondam molimine in Germanico solo versatas penitius intueri interest posterorum. Saltem, ut intelligant, majores difficillima jam expertos fata intra Ecclesiæ cancellos, nequaquam sopore obrutos dormivisse, sicubi salutem publicam periclitari animadverterent, quin pro sua admirabili sapientia, collapsa restaurare, maculata mundare, & corrupta emendare enixe contendisse. Adeo, ut imperterrito pectore & infracto studio, sine periculi metu, opus aggrederentur, quod Ecclesiæ salutare & reipublicæ incolumitati utile & accommodum fore perspexerant.

Ceterum, quando *hoc Tomo* exhibere constituimus antiqua istæc monumenta *de jure, autoritate & fatis Constantiensis Concilii*, limites laudatæ Synodi transgredi noluimus, contenti illa recensuisse, quæ *in ipsa Synodo* publice omnium oculis exposita. Quæ verò sparsim *superioribus Tomis* de hoc argumento advecta, huc revocare haud fuit necesse.

Quandoquidem tamen non plane silere oportebat, quid *à fine Concilii* de illius autoritate dignitateque à viris illustribus illa ætate esset judicatum, è re fore judicavimus, *Commentarii* numero in hanc de autoritate dignitateque Constantiensis Concilii quæstionem, ex MSCto antiquo Codice adsciscere præclarum etsi prolixum *Andreæ Episcopi Magorensis Hispani* Opus. Quippe qui Constantiensi Concilio, non ignobile illius membrum, interfuerat, cui & hæc in illo contigerat fortuna, ut in memorabili illa *Sessione quinta*, qua autoritas Concilii novis decretis roborata, solenni *Oratione* publice hac de re differeret. Quanquam verò illud *Opus* sub Basileensi demum Concilio scripserit, in *Appendicem* tamen hujus ultimi Tomi accivimus, quod *Commentarii locum* in totam hanc Synodum Constantiensem & potissima ejus decreta apte referret.

Plura ejus generis *præclara monumenta* huc afferri potuissent, quidus *Viri illustres illorum temporum*, res & præcipue autoritatem Constantiensis Concilii fuse explicarunt, illustrarunt, ac ab exceptionibus vindicarunt. Verùm, quod ad res *Concilii Basileensis* pertinerent, eo ablegavimus, ac tantisper quiescere jussimus, donec, exemplo magnæ hujus Synodi, ingens Basileensis quoque Concilii apparatus in lucem proferretur.

Nihilominus, ut aliquis saltem avido lectori suppetat prægustus, pauxilla ex aureis quorundam Basiliensis Concilii patrum monumentis

tis prælibabimus. Hoc maxime fine, ut ſolers lector perſpiciat, quid primo illo ævo de Seſſionis Quintæ decretis, nec non *Bulla Papæ Martini V. Conſtantiæ in Concilio A.* 1418. *d.* 22. *Febr.* editâ, ſupra *Tom. IV. f.* 1518. *& ſeqq.* recenſitâ, cujus exordium, *Inter cunctas Paſtoralis curæ ſollicitudines*, judicaverint Viri eruditi, Conſtantienſi Concilio proximi, & quam ſollicite & frequenter ad illa in publico Baſileenſis Concilii theatro provocarint tanquam ad inſignia pro Concilii autoritate argumenta atque præſidia. Quod igitur iſthæc etiam *Bulla*, cujus initium *Inter cunctas*, proxime à Conſtantienſis Concilii fine, à magnis & inclytis in Eccleſia viris & illuſtribus doctoribus diſerte & ſæpe produceretur, ac vocaretur *approbatoria Concilii*; lectori judicium relinquimus de recenti controverſia inter *Maimburgium, Richerium & Schelſtratenum* de hac bulla, quam *hic* pro *confirmatoria* non admittit, aliam novam ſubſtituens, *illi* verò cum Baſileenſis Concilii Theologis urgent.

JOHANNES DE SEGOVIA,

Theologus in Baſilienſi Concilio inclytus in vaſto Opere MSC. Baſileæ edito

De Eccleſiaſtica poteſtate

Vel, De inſeparabili ſanctitate Eccleſiæ & ſuprema Generalis Concilii autoritate.

C*Onſtat*, inquit, *in generalibus Conciliis factos fuiſſe plurimos canones ad regulandas actiones ſummorum Pontificum. Ex quo docemur, quod Eccleſia ſe habet ad Papam ut formalis cauſa. Poteſtas enim Papæ eſt informabilis & dirigibilis per regulas Eccleſiæ. Unde manifeſte patet, quod illud verbum: Nemo poteſt dicere Papæ, Cur ita facis? vel ſimile, generale concilium non comprehendit. Et licet de his hactenus fortaſſe fuerit dubium apud aliquos, jam tamen, ut nemini liceat dubitare, ſuper hac materia facta fuit per Eccleſiam* declaratio in Concilio Conſtantienſi *Moguntinenſis provinciæ*, die VI. Aprilis, Anno Domini MCCCCXV. *ſub hoc tenore*: Generalis ſynodus in Spiritu ſancto legitime congregata, generale concilium faciens, univerſalem Eccleſiam Catholicam militantem repræſentans, poteſtatem à Chriſto immediate habet, cui quilibet, cujuſcunque ſtatus vel dignitatis, etiamſi Papalis exiſtat, obedire tenetur in his, quæ pertinent ad fidem, & ad extirpationem ſchiſmatis, & ad generalem reformationem Eccleſiæ in capite & in membris. Item quod quicunque cujuſcunque ſtatus, etiamſi Papalis exiſtat, qui mandatis, ſtatutis ſive ordinationibus atque præceptis cujuſcunque concilii generalis legitime congregati, ſuper præmiſſis, & ad ea pertinentibus, factis ſeu fiendis, obedire contumaciter contemſerit, niſi reſipuerit, condignæ pœnitentiæ ſubjiciatur, & debite puniatur, etiam ad alia juris ſubſidia recur-

recurrendo, si opus fuerit. *Hæc inibi literaliter & sententialiter. Et quum hic sit mentio* de generali reformatione, *& de verbo* generalitatis *consuevit dubitari, utpote cum dicitur*, de generali statu Ecclesiæ, *vel de simili, manifestum est, in hoc decreto declarari tres casus* generalitatis, *primo, quicquid pertinet ad Papam, qui dicitur caput ministeriale Ecclesiæ, secundo ad membra communiter, tertio ad utrumque simul, scilicet membra & caput. De hoc autem ultimo non videtur dubium, sed de primo aliqui faciunt, dicendo, quod cum Papa sit una singularis persona, quicquid tangit ipsum, non videtur pertinere ad generalem reformationem, ideo, quia hoc decretum debet intelligi solum conjunctim, scilicet in tertio casu, non autem in primo. Sed si ad mentem reducantur quæ supra exposita sunt, non erit dubium, quin reformatio Papæ tangit generalem reformationem, sive generalem statum Ecclesiæ. Cum enim Papa non singularis sed publica persona dicatur ex eo, quod repræsentat personas omnium fidelium, quibus præesse dicitur, sequitur, quod inter personam Papæ & multitudinem fidelium medius quidam erit respectus generalitatis, qui ex parte alterius extremi, scilicet multitudinis fidelium, manifestum est, quod sustinet ac retinet nomen generalitatis. Et cum hic respectus habeat terminari ad Papam, non secundum quod una persona in se, sed prout consideratur gestare sive repræsentare omnes personas dictæ multitudinis, ex hac etiam multitudine similiter retinebit nomen generalitatis. Unde, quicquid tangit Papam in eo, quod est persona communis ac rector multitudinis fidelium, ad generalem reformationem sive ad generalem statum Ecclesiæ dicitur pertinere, non item id, quod tangeret eum prout est, & secundum quod persona singularis intelligitur. Et quia sub reformatione nedum fraterna sed autoritativa correctio comprehenditur, manifestum est, quod autoritates dictorum summorum Pontificum non comprehendunt Ecclesiam vel concilium generale, ita, quod Papa ab his judicari non possit. Unde hæc* declaratio, facta in concilio Constantiensi, *evidenter monstrat, ad correctionem summorum Pontificum legitime fuisse practicatum in aliis conciliis generalibus. Declaratio est enim manifestatio veritatis antiquæ.*

Idem magnus Theologus

JOHANNES DE SEGOVIA

in alio non minori opere MSC.

in Concilio

Basileæ itidem edito

De admissione Præsidentium Papæ.

„ POstquam Concilium legitime congregatum est, eo ipso, *prout de-*
„ *claratum est in Concilio Constantiensi*, immediate habet potesta-
„ tem à Christo, & potestas universalis Ecclesiæ transfunditur in conci-
„ lium, sive continuatur, aut juxta præmissa loquendo cum sit jam ob-
„ lata

lata materia, potestas, quæ erat in habitu, efficitur in actu & exercitio. Itaque, etsi Papa suos oratores, legatos aut præsidentes revocet, non propterea revocatur aut desinit potestas, quam concilium immediate habet à Christo. Jam enim concilium eo ipso, quo congregatum est, propter conditiones supra tactas, quæ Ecclesiæ, nec Papæ conveniunt, intelligitur habere superioritatem sive majoritatem. Et manifestum est, quod inferior non potest tollere legem superioris, aut ipsam destruere. Est enim repugnantia conditionis, quod Papa teneatur præceptis & statutis concilii obedire, & quod possit pro suo libito illud dissolvere & destruere. Præterea illa decreta, quæ dicunt, quod solus Papa congreget concilium, loqvuntur comparando Papam ad alias personas Ecclesiæ, non autem eximitur potestas ipsi Ecclesiæ, quin possit, sicut factum in Concilio Constantiensi, ordinare, quod concilia celebrentur certis temporibus, & quod ad illa absque alia convocatione Papæ, Prælati & alii, qui tenentur, debeant venire. Et sic apparet, quod scilicet de communi lege concilia quoad congregationem suscipiant à Papa robur & autoritatem, tamen id etiam non est de necessitate, prout patet in casu præmisso, ac in aliis multis, in quibus licet etiam invito Papa vel sede vacante concilium congregare. Ex præmissis igitur apparet, quod, cum ipsi concilio principaliter competat autoritas definiendi, statuendi, ac declarandi, etiam Papa tenetur ipsius decretis acquiescere, & suis legatis non videtur competere talis autoritas præsidentiæ juxta formam in dictis bullis contentam. Equidem non posset stare, salva generalium conciliorum autoritate. Tertium principale, ex quo dicebatur probari prædicta conclusio, erant *gesta Concilii Constantiensis, & decreta ejusdem, tam ea, quæ generalia sunt de autoritate & potestate generalis concilii, quam ea, quæ fuerunt ibidem facta in processu contra Papam Johannem* XXIII, *& pro unionis consecutione.* Pro cujus clariori evidentia sciendum, quod habetur in libro de gestis ipsius concilii. Dictum concilium fuit convocatum autoritate Papæ Johannis XXIII. Et die Veneris XVI. mensis Novembris, Anno Domini 1414 fuit tenta prima sessio, & præsedit dictus Johannes Papa, qui celebravit missam, & fecit sermonem. Deinde, cum Papa de nocte clandestine XXI die Martii, Anno Domini M CCCC XV. recesserit, ex cujus recessu aliqui putabant concilium esse dissolutum, statim successive factæ sunt tres sessiones. In quibus decretum est, quod per dictum recessum Papæ aut Prælatorum, vel aliorum sequentium ipsum, dictum concilium non esset dissolutum, sed quod remaneret in sua integritate & autoritate, etiamsi quæ ordinationes per dictum Johannem in contrarium factæ essent, vel fierent in futurum. Item, quod ipse Johannes non mutaret vel transferret Romanam curiam & officia publica illius de dicto loco Constantiensi: Et processus, si quos contra faceret, & censuras, esse irrita. Idem quoad privationes & translationes quorumcunque Prælatorum & beneficiorum in læsionem ipsius Concilii. Et quod non crearet novos Cardinales. Et si quos crearet, declarabat concilium pro non Cardinalibus haberi. Item fecit decreta duo de potestate & autoritate

„ concilii generalis, quorum tenor ſequitur: *Et primò, Quod ipſa Synodus in Spiritu Sancto legitime congregata &c.* Deinde in quinta ſeſſione induxit certam formam procuratorii, in qua dictus Johannes Papa deberet conſtituere certos, per concilium nominatos procuratores, cum juramento, Deo, Eccleſiæ & Concilio, de nunquam eos revocando, ad cedendum & renunciandum papatui, nomine ſuo, omnes ipſos procuratores, vel duos ex ipſis. In quo procuratorio inſeruntur aliæ multæ clauſulæ, tangentes ſigna pleniſſimæ ſubjectionis ad concilium, & inferioritatis. Item in eadem ſeſſione nominati ſunt aliqui, qui nomine Concilii requirerent ipſum Papam, quod infra duos dies deberet eligere certum locum, quod deberet perſonaliter ſe transferre ad eum infra decem dies. Item in ſeſſionibus continetur de citatione & proceſſu contra ipſum Papam Johannem, de Simoniaca pravitate & dilapidatione bonorum Eccleſiæ, ratione quorum & aliorum criminum contra eundem latæ fuerunt per concilium, primo ſententia ſuſpenſionis ab omni adminiſtratione papatus, in ſpiritualibus & temporalibus, deinde ſententia depoſitionis & privationis & ejectionis a papatu, & inhabilitationis, ut reeligi non poſſet. Hæc autem omnia ſupradicta, utrum perhibeant teſtimonium de ſuperioritate Papæ reſpectu concilii vel e converſo, quilibet habens gratiam de intellectu, facillime judicare poteſt. Item hoc patet manifeſte ex decretis XXXII. Seſſionis, ubi inſtituitur de perpetua in futurum celebratione conciliorum, ut, ſi caſu ſchiſma contingeret, quibus occurri deberet remediis. Nam inter cætera ſtatuitur contra eos, qui pro Papa ſe gererent, pœna ſuſpenſionis ipſo facto ab omni adminiſtratione papatus, in multis caſibus, & inhabilitationis ad illum, & quaslibet alias Eccleſiaſticas dignitates. Item in eadem ſeſſione ſtatuta eſt certa forma juramenti, quam quilibet electus in Romanum Pontificem debet præſtare. Et inter alias clauſulas inſeritur, quod juret tenere fidem ſecundum traditionem generalium conciliorum. Itaque cum generale concilium pœnas infligat ſummis Pontificibus propter proprietates & exceſſus, & indicit leges, quibus ſuas in futurum dirigant actiones, irritum decernens, quicquid contra attentatum fuerit, manifeſte conſtare videtur de ipſius Concilii ſuperioritate reſpectu Papæ. Sed quoniam ſupra dicta, ſpecialiter quæ de proceſſu contra Dominum Johannem Papam, propter hoc, quod communiter de his non omnibus conſtat, & quoniam non generaliter determinata ſive declarata ſunt, ſed in certo proceſſu continentur, qui ex diverſis circumſtantiis diceretur juſtificari poſſe pro tempore occurrentibus, non reputantur tantæ autoritatis ad arguendum hujusmodi ſuperioritatem: Ideo ex prædictis duobus decretis, quæ jam in Eccleſia divulgatiſſima ſunt, inducitur. Et primo ex hoc, quod dicitur: *In Spiritu Sancto legitime congregata.* Namque, ut Salvator inquit, Quos Deus matrimonio conjunxit, homo ſeparare non poteſt: Ita & quia Deus dicitur feciſſe conjunctionem, quoad ejus ſeparationem homo poteſtatem non habet, etiamſi ſummus Pontifex fuerit, qui tamen in omnibus dicitur præſidere; Quanto à fortiori, cum Concilium

cilium sit in Spiritu sancto legitime congregatum, summus Pontifex non habebit potestatem dissolvendi. Constat autem, quod, si in Concilio non sit alia autoritas, nisi quæ ab ipso conceditur suis præsidentibus, ita, ut ipsi possint absque Concilio, vel eo renitente, Concilium verò ipsis dissentientibus nihil valeat definire, tunc manifeste sequeretur, quod in potestate Papæ esset dissolvere & separare concilium, in suos præsidentes revocando, sicut diebus nostris fieri tentatum est in Conbilio Senensi, & hoc Basileensi. Sed si hoc non potest quantum ad conjuuctos in matrimonio, quia conjunxit eos Deus, multo minus dissolvere poterit concilium legitime congregatum à Spiritu Sancto. Et per consequens non videtur habere autoritatem præsidentiæ simpliciter supra illud. Item ex illo verbo: *Generale Concilium faciens.* Constat enim, quod singulari universale bonum, & generale particulari præponitur. Cum ergo Concilium de sui ratione includat Papam, & alios singulares, permaxime eos, qui interesse tenentur, sicut omne totum, quia majus præponitur suæ parti, ita generale concilium Papæ. Item ex verbo: *Ecclesiam militantem repræsentans.* Quodcunque enim, prout in responsione cogitanti dicitur, de autoritate Ecclesiæ assereretur, ad generale concilium, quod ipsam repræsentat, trahi necesse est. Alioquin non recte esset repræsentatio, si eadem in repræsentante & repræsentato non esset autoritas. Cum ergo Ecclesia multiplici ratione, ut supra dictum est, præferatur Papæ, ergò & Concilium generale. Item ex verbo: *Potestatem à Christo immediatè habet.* Si enim Concilium habet potestatem immediate à Christo, Ergo inter concilium & Christum nihil quoad ipsam potestatem est medium, quod diceretur esse inferius Christo, & superius concilio. Si igitur illud tale quodammodo assereret, se esse superius Concilio, non diceretur esse æquale Christo sed superius, cum inter Christum & Concilium, quoad ipsam potestatem, nihil sit medium. Et sicut summo mentis humanæ nihil præeminet, nisi Deus, quia ipsa immediate affective à Deo illuminatur & vivificatur, ita videtur dicendum de Concilio, quod immediate recipit suam potestatem à Christo, vel ab ipso Spiritu Sancto dirigitur & regulatur. Si enim, ut prædictæ bullæ de præsidentia videntur dicere, potestas concilii à Papa dependeret, jam non à Christo immediate, sed mediante Papa diceretur recipere potestatem. Constat autem, quod à Christo potestatem habet immediatè, Ergo in ratione potestatis Papa non videtur præeminere. Quinimo si concilium dictam Papæ sive suorum præsidentium potestatem, quasi data sibi à Christo non sufficeret, acceptaret, videretur injuriam facere Christo, à quo est omne donum perfectum. Hinc sequitur, quod, cum potestatem immediate habeat à Christo superiori, quod Papa ei potestative non præeminet. Quinto patet ex verbo: *Quilibet, etiamsi papalis dignitatis existat, tenetur obedire.* Quo nihil clarius dici potest. Nemo enim necessitate coactiva tenetur obedire legi vel statuto, ipsius duntaxat propria autoritate facto. Sed Papa tenetur obedire statutis & mandatis concilii. Ergo statuta concilii non habent vigorem duntaxat ex autoritate Papæ. Opor-

tet ergo dicere, quod concilium habet ab alio, qui ſuperior eſt quàm Papa, autoritatem, ex quo Papa mandatis ipſius obedire tenetur. Nec enumeratio trium caſuum, quæ ſubſequitur, contradicit, quin ſimpliciter concilio ſubſit. Tum, quia non per modum limitationis, ſed magis expreſſionis ſive declarationis ponitur, tum, quia cum affirmative ponitur, quod in his conceditur, de aliis non negatur, tum, quia hæc tunc ſpecialiter expreſſa fuerunt, ex eo, quod ſuper his principaliter in eodem concilio agebatur, ut patet intuenti librum de geſtis ipſius concilii, tum, quia termini tam generales ſunt, quod quaſi omnia ſub ſe comprehendunt. Quid enim eſt in Eccleſia, quod ad fidem vel ad mores non pertineat? Singulariter vero hoc videtur conſtare propter verbum: *In Capite.* Quicunque enim tenetur alteri obedire in omnibus, quæ ad ſui reformationem pertinent, ſimpliciter dicetur illi ſubjectus eſſe: Nec retrahit verbum; *Generalem reformationem.* Quia, quæ pertinent ad Papam, non ſingularem ſed generalem ſapere videntur reformationem, cum ipſe non ſingularis, ſed cenſeatur perſona communis. Sexto autem manifeſtiſſime patet ex decreto ſubſequenti, ubi dicitur: *Quod quicunque, etiamſi papalis dignitatis exiſtat, non obedierit mandatis Concilii generalis, ſuper præmiſſis, ſeu ad ea pertinentibus, quod debite puniatur, etiam ad alia juris ſubſidia recurrendo.* Quicunque enim alii obedire tenetur, & niſi obediat, per eum debite puniatur, manifeſte cenſetur inferior. Ex verbo autem, quod hîc ponitur, *ſeu ad ea pertinentibus*, manifeſte videtur haberi intellectus ſupra poſitus, videlicet quod per illa tria in primo decreto expreſſa omnia comprehendantur. Quid namque excogitari poteſt, ſuper quo concilium intendat reſpectu Papæ, quod non comprehendatur ſub clauſula ſuperius expreſſa: *in his, quæ pertinent ad fidem vel ad reformationem.* Et ultra hoc ſubjungitur hîc, *quod in præmiſſis, ſeu ad ea pertinentibus.* Si enim omnia videntur comprehendi ſub clauſula, *in his, quæ pertinent ad fidem vel ad reformationem*, quanto fortius, quando ſubjungitur, *quod etiam in pertinentibus ad pertinentia ad fidem & reformationem.* Sunt ergo tres gradus. Primus, quod Papa ſubjicitur concilio in his, quæ ſunt fidei, ſchiſmatis & reformationis. Secundus, quod ſubjicitur ne dum in his, quæ ſunt fidei, ſchiſmatis & reformationis, ſed etiam in pertinentibus ad fidem & reformationem. Multa enim ad hæc pertinere dicuntur, quæ non ſunt fides & reformatio. Tertius gradus, quod ſubjicitur, in pertinentibus ad pertinentia ad fidem & reformationem. Qui tertius gradus videtur tantæ latitudinis & extenſionis, quod vix aliquid excogitari poteſt, quod ſub eo comprehendi non poſſit. Et quod ita generaliter prædictum decretum debeat ſive poſſit intelligi, inde probo: Quia nullatenus creditur, quod dictum Concilium Conſtantienſe propter expreſſionem ſpecificam horum trium, videlicet fidei, ſchiſmatis, & generalis reformationis, reſtringat ſummam poteſtatem, per Chriſtum conceſſam Eccleſiæ. Quin imo nec potuit. Cum inferior non limitet juriſdictionem conceſſam à ſuperiori. Vel ergo concilium ſive Eccleſia de ſe habet aliquam poteſtatem, quæ à Papa ſolùm

non

non dependeat, aut non: Si non, quomodo magis poteſt deponere Papam, vel anathematizare omnem hæreſin, ſicut in primo Niceno concilio legitur. Si autem aliquam jurisdictionem ſive poteſtatem habet, tum de illa debet conſtare in ſacra Scriptura. Et in hac non reperitur expreſſior autoritas, quàm quæ ſæpe dicta eſt Matth. XIIX. Quæcunque ligaveritis &c. Hîc autem eſt conceſſa poteſtas in omni generalitate & plenitudine, absque limitatione, Ergo ſic debet intelligi. Et ſic intelligendo, non dicitur additio ad præfatum decretum. Cum non dicatur eſſe additum, ſi, quod exprimitur, eſt de priori intellectu. Sic etiam non dicitur addidiſſe, quando declaravit, quod Spiritus Sanctus procedit à filio. Et etiamſi hoc non fuerit expreſſum in ſymbolo Apoſtolorum vel Niceno. Et allegatur cauſa. Quia hæc neceſſario argumentatio elicitur ex ſacra ſcriptura. Sic in propoſito videtur dicendum. Item nec Concilium Conſtantienſe dicitur addidiſſe, quando ſpecificavit prædictos tres caſus, & pertinentia ad eos, cum tunc contenta capitula in jure communi non videantur excipere, ut communiter aſſeritur, niſi in caſu fidei. Quamdiu enim mundus durabit, cum à Chriſto ſit conceſſa poteſtas Eccleſiæ, docere omnes gentes, ſecundum difficultates inſurgentes ſicut poteſt nova ſtatuta, ita & facere novas declarationes. Quæ de novo fiunt, oportet intelligere ſecundum jura communia, & ſanctorum ac ſacræ Scripturæ autoritates. Unde ad capitula decretorum, quæ dicunt, quod nemo judicabit primam ſedem &c. cum aliis multis ſimilibus, videtur dicendum, prout ſupra dictum eſt, quod ibi *Nemo* diſtribuit *pro ſingulis membris* Eccleſiæ ſigillatim conſideratis, non autem pro concilio aut ipſa Eccleſia, quæ eſt corpus, quæ non videtur contineri ſub prædicto nomine diſtributivo ſingulorum, *nemo*. Nec obſtat, quod dicitur, *ab omni clero*. Ibi enim dicitur: *Nec ab Auguſto, nec Regibus, nec a Papa.* Et conſtat, quod his non competit poteſtas judicandi nec minimum clericum. Sic nomine cleri non intelligitur concilium univerſale, ſed talis clerus, de quo non eſt dubium, ſicut nec de Auguſto aut Papa. Item ex præmiſſis duobus decretis contra dictam præſidentiam arguitur ſic: Ex tenore & ſententia horum decretorum manifeſte patet, quod concilium habet jurisdictionem ordinariam quoad ea, quæ ibi ſunt expreſſa ex conditione generalitatis, & aliis ibidem contentis. Papa etiam dicitur ad eadem habere jurisdictionem. Et utraq; dicitur eſſe à Chriſto immediate. Præſidentes vero Papæ ſi habent jurisdictionem, hinc eſt, quia habent eam delegatam a Papa, qui eſt multo inferior Chriſto, à quo jurisdictionem ordinariam habet concilium. Ergo nullatenus, quæ delegata eſt ab inferiori poteſt præferri jurisdictioni concilii, quæ eſt conceſſa à ſuperiori. Confirmatur hoc irrefragabiliter, quia cum Papa ſit ſubjectus concilio in dictis caſibus, nullo modo præſidentes ſui, qui habent à Papa jurisdictionem delegatam, quoad illa, in quibus Papa concilio ſubeſt, poſſunt ipſi concilio præferri. Conſtat autem ex dictis bullis de præſidentia, quod conceſſa illis à Papa poteſtas eſt, quantum ad illa, ſuper quibus in dicto decreto cavetur, quod Papa ſubeſt concilio, Item, quantum ad

„ hanc tertiam partem, ultimo arguitur ex condemnatione articulo-
„ rum Johannis Wicleff, facta per dictum concilium. Prout apparet
„ per Bullam felicis recordationis *Martini Papæ Quinti, datam Constantiæ, sacro approbante Concilio, VIII Cal. Martii, Pontificatus sui anno*
„ *primo, scilicet Anno Domini* M CCCC XVIII, quæ incipit: *Inter cunctas*
„ *pastoralis curæ sollicitudines.* Ubi inter ceteros articulos condemna-
„ tos dicitur sic: *Non est de necessitate salutis credere, Romanam Ecclesi-*
„ *am esse supremam inter alias Ecclesias. Error, si per Romanam Ecclesi-*
„ *am intelligatur universalis Ecclesia, aut concilium generale, aut pro*
„ *quanto negaret primatum summi Pontificis super alias Ecclesias parti-*
„ *culares.* Ex quo patet, quod de necessitate salutis est, credere, uni-
„ versalem Ecclesiam & generale concilium principatum sive præemi-
„ nentiam obtinere in Ecclesiastica dignitate.

Idem Vir Clarissimus

JOHANNES de SEGOVIA,

in alio non minoris molis Opere MSCto, Basileæ in
Concilio similiter edito,

De Justificatione Sacri Basiliensis Concilii & sententiæ ipsius, contra Gabrielem olim Eugenium latæ, & Injustificatione ipsius Gabrielis & sibi adhærentium, & à sacro Concilio se qualitercunq; abstrahentium.

„ *COnstat ex Bulla Martini Papæ, sic approban-*
„ *te Constantiensi Concilio, sub dato VIII. Cal.*
„ *Martii, Pontificatus sui anno primo;* quod generale
„ Concilium approbavit & approbat in favorem fidei & ad salutem ani-
„ marum, hoc est ab universis Christi fidelibus approbandum & tenen-
„ dum, & quod condemnavit & condemnat esse fidei & bonis moribus
„ contrarium, hoc ab eisdem est pro condemnato credendum, tenen-
„ dum, & asserendum, &c.

„ Posthæc: *Si ex hoc, quod Concilium deponit summum Pontificem u-*
„ *num aut plures, adhuc viventes & contradicentes, eligitque alium*
„ *per quem Ecclesia Dei utiliter gubernetur, diceretur schisma fecisse:*
„ *Jam sacrum Constantiense Concilium schisma fecisse diceretur, eò*
„ *quod invitos deposuit duos, videlicet, Johannem XXIII. & Bene-*
„ *dictum XIII. se gerentes pro summis Pontificibus, elegitque alium in*
„ *Papam, videlicet Martinum, eo tempore, quo adhuc etiam vivebant præ-*
„ *dicti duo, & alius tertius, suo tempore nominatus Papa Gregorius XII.*

„ Dein: *Sacrum Constantiense Concilium post depositionem Papæ Jo-*
„ *hannis XXIII. usque ad electionem Martini Papæ V. quæ secuta fuit post*
„ *annum cum dimidio, manum apposuit in quam multis pertinentibus ad*
„ *summum Pontificem.*

„ Iterum: *Quoniam in sacro Constantiensi Concilio facta est hæc de-*
„ *terminatio, quod cuilibet generali Concilio quilibet fidelis, etiamsi sit sum-*

mus

mus Pontifex, obedire teneatur, nullo modo de hoc est probabile dubium, attento, quod non semel, imo pluries hujusmodi quæstio fuit jam per Ecclesiam definita, & tota Christianitas conquievit in pace, acceptavitque ipsam declarationem, ut veritatem catholicæ fidei. Esto, etiamsi postea insurrexit contra dictam declarationem fidei magna multitudo Christianæ religionis, etiam de Prælatis & Principibus, maximè, quando hujusmodi è contrario resistentes essent illi, quorum honor vel status ex dicta declaratione perurgeretur: Liceret considerare, quæ ab antiquo gesta leguntur. Legitur namque, quod post declarationem fidei, quod filius Dei esset consubstantialis Patri, factam per Ecclesiam in Niceno Concilio contra Arium & sequaces suos, sustinentes oppositum, fortassis major multitudo Episcoporum in Oriente & Occidente tenuerunt pro aliquo tempore cum Arrianis. Et Liberius summus Pontifex tenuit hoc idem, quô tempore per Arrianos etiam celebrata sunt multa concilia, ut dicta veritas jam declarata evanesceret. Sed Athanasius in Oriente, Eusebius autem in Occidente cum illis, qui permanserunt in præsens per Ecclesiam determinatis, sustinuerunt prædictam declarationem, nec passi fuerunt, ut ipsa determinatio denuò revocaretur in dubium. Esto igitur nunc, quod ipse, olim *Eugenius, cujus statum & cujuslibet alterius Pontificis præmissa declaratio tangit*, quia determinat expressè, quod tenetur obedire concilio generali, resistat huic veritati, cùm *jam, tàm existens in Constantiensi concilio*, quàm etiam per suam adhæsionem, *expressè consenserit.* Quod autem majus est, quia, sicut fuit dictum, ecclesia in hac veritate jam multò tempore conquievit: Non propterea à quibuscunque fidelibus debet in dubium revocari. Eadem ratio est de sibi adhærentibus, qui omnes, vel eorum major pars per se aut suos jurarunt huic sacro concilio. Non igitur excusare videtur, si contraria in radice prædicatur auctoritas, maximè, quando evidens est determinatio Ecclesiæ, ut dicatur, esse causam resistentiæ, ut effugiat reformationem. Non enim ob hoc, quod reus dicit contra notoriam jurisdictionem ArchiEpiscopi, Episcopi aut Regis temporalis, asserens eum non judicem, ut effugiat super criminibus suis sententiam, eô ipso dicitur esse probabile dubium, ut liceat subditis, qui confitentur ipsos ut tales, non teneri ad obediendum. Id autem unum in fine hujus tertiæ causæ justificativæ dici potest, quod licet in aliis nationibus aliquis prætendere posset, de hujusmodi superioritate concilii ad Papam appellare, probabile dubium, nullatenus tamen vel apparenter hoc dici posset in inclyta natione Germanica. Hæc enim *declaratio facta* fuit *in Constantiensi Concilio nationis Germanicæ*, ubi *Imperator multique Principes & Prælati ac Doctores, & alii ejusdem nationis interfuerunt personaliter.* Et quod singulare, nec dum in una sessione sed & in duabus, publicata est successive. Ibidem etiam primæ tradita est executioni. Equidem ex mandato concilii divinæ memoriæ *Sigismundus* multo tempore tenuit in carcere Joannem Papam XXIII. Postea de mandato concilii tradidit, & liberatus est per concilium ab obligatione, quam fecerat super dicta deten-

„ detentione. Mandatum autem auctoritativè factum super detentio- „ ne personæ Papæ, an denotet superioritatem, quisque videt. Præterea „ in eodem concilio vigore dicti decreti facta est per synodale judicium „ depositio duorum summorum Pontificum, videlicet dicti Joannis & „ Benedicti XIII. Ut autem dicit apostolus *I. Cor. IV. qui judicat me, Do-* „ *minus est*: Sic dicitur *de multis aliis gestis in concilio Constantiensi*, per „ quæ sole clarius hujusmodi superioritas demonstratur tàm in editione „ decretorum, quàm electione Papæ & aliis.

„ Deinde: *Jurisdictio Concilii plenius & specifice declarata est in* „ *magna Synodo Constantiensi, quod quilibet fidelis, etiamsi Papalis digni-* „ *tatis existat, si in his, quæ pertinent ad fidem, extirpationem schismatis &* „ *reformationem generalem Ecclesiæ in capite & in membris, non obedie-* „ *rit mandatis, statutis, ordinationibus & præceptis cujuslibet generalis* „ *Concilii, quod debite puniatur, etiam ad alia juris subsidia recurrendo.* „ *Habet namque generale Concilium, ut patet ex prædicta declaratione,* „ *non ab homine, sed immediate à Christo. Verum tamen est, quod per a-* „ *liquos doctores modernos exponitur hujusmodi declaratio, dicendo, Pa-* „ *pam teneri obedire Concilio in tribus prædictis, non quidem generaliter,* „ *sed quando illa tria, vel singulum ex ipsis in sua persona concurreret,* „ *puta, si male sentiret de fide, aut schisma faceret, vel taliter esset crimi-* „ *nosus, quod esset per Concilium merito reformandus: Hæc subterfugiens* „ *expositio etiam juvat propositum. Nam omnia hæc tria declaratum est* „ *concurrere in personam dicti Gabrielis.*

PANORMITANUS
in prægrandi Opere MSC.
Apologetico
in Basiliensi Concilio edito
Pro autoritate Concilii Basileensis contra Eugenium Papam qui Concilium Basileensi dissolvere ac Ferrariam transferre conatus.

SAcrum Basileense Concilium à prima sui origine, quemadmodum patet per literas fel. rec. Martini Papæ V. inter alias principales caussas institutum fuit pro reductione Orientalis Ecclesiæ & quorumlibet aberrantium populorum, ac etiam pro Reformatione Ecclesiæ universalis in capite & in membris. Quæ quidem reformatio fieri debuerat in Concilio Magno Constantiensi, sed ob multa tunc occurrentia hæc dilata fuit ad primum tunc futurum Concilium. Sed proh dolor in Concilio Senensi, quod fuit tunc primum post illud Constantiense, factionibus quorundam ipsa reformatio fuit elusa, & Dei judicio huic sacro Basileensi Concilio reservata.

Postea: *Hodie cessent disputationes, glossæ & opiniones Magistrorum, per declarationem factam veritatis in illa magna Synodo Constantiensi, ubi fuit declaratum, quod in his, quæ pertinent ad fidem, & ad extirpationem schismatis, & ad reformationem Ecclesiæ universalis in capite & in membris, Concilium est supra Papam. Et sic judicium Concilii tan-*

quam

quam judicium superioris & majoris judicis, saltem in istis tribus & pertinentibus ad illa tria, est præferendum judicio Papæ.

Iterum: *Concilium magnum Constantiense declaravit præeminentiam & majoritatem Concilii generalis supra Papam. Et Concilium Basileense ante ipsius quondam Eugenii adhæsionem solenniter factam, illam Constantiensis Concilii approbavit declarationem & denuo recensuit, &c.*

Nam olim ante determinationem seu declarationem, per illam *magnam synodum Constantiensem* factam, multi circa hunc articulum tractatus & libelli à diversis editi fuere, varia sentientes circa potestatem ecclesiæ. Hinc etiam glossæ juris Canonici plurimùm variarunt in hac materia, trepidantes, ut patet ex nota 4. *dist. In istis*, 15. *dist. Sicut.* 40. *dist. Si Papa.* 112. *dist. Legimus.* 109. *dist. Ecce.* 9. *q.* 3. *Nemo.* 24. *q.* 1. *Quodcunque.* Et in *c. Arrepta*, & in *Clementina, Ne Romani, De elect.* Et in *Clementina, Ut nostrum, De Hæret.* & in *c. Significasti, De elect.* & in *c. Licet*, eodem titulo, & in *c. Proposuit, De concess. præbend.* & in *c. Ex tuarum*, & in *c. Ad honorem, De Auctor. & usu Pallii*, & in *c. Quanto, De translat. Prælator.* Et ibi per Doctores Juris Canonici, & in multis aliis locis.

Sed cùm hodiè *concilium illud generale & famosum Constantiense ipsam difficultatem declaravit, interpretationes variæ Magistrorum cessare debent.* Nam dicta Doctorum non sunt necessaria, id est non necessitant ad tenendum hoc vel illud, licet sint probabilia, ut notatur *in c. de postul. Prælator.* & in *L.* 1. *C. de LL.* Sed ecclesiæ auctoritas benè necessitat. Imò hæreticus est censendus, qui tenet sententiam ab auctoritate ecclesiæ deviantem. Ut in *c. Hæresis* & *c. Hæreticus*, & *c. Inter hæresin*, 24. *q.* 3. Ad hoc textus, junctâ glossa, in *Clementina* 1. *De usuris.* Et facit *c. Abolendum, De hæretic.*

Declaratio autem *Constantiensis Concilii* hanc quæstionem omninò *definivit*, loquens per hæc verba formaliter, videlicet: *Hæc sancta synodus Constantiensis generale concilium faciens & universalem ecclesiam repræsentans, declarat, quod ipsa ecclesia potestatem habet immediatè à Christo, cui quilibet cujuslibet status & conditionis existat, vel dignitatis, etiamsi Papalis, obedire tenetur in his, quæ pertinent ad fidem & reformationem ecclesiæ in capite & in membris. Item declarat, quod quicunque cujuscunque status & conditionis existat, vel dignitatis, etiamsi Papalis, qui mandatis, statutis & ordinationibus seu præceptis hujus sacræ synodi, aut cujuscunque alterius concilii generalis legitimè congregati, super præmissis, seu ad ea pertinentibus factis vel fiendis, obedire contumaciter contemserit, nisi resipuerit, condignæ pœnitentiæ subjiciatur, & debitè puniatur etiam ad alia juris suffragia, si opus fuerit recurrendo.* Hæc sunt verba formalia declarationis, factæ per illam *magnam synodum.* Quæ quidem declaratio, cùm apertissima sit, quoad casum nostrum, de quo quæritur, cuilibet hodiè de ecclesia, remoto quocunque scrupulo, sufficere debet. Nam, ut dixit *Hieronymus, in disputationibus contra Luciferianum*, poteram hoc unico ecclesiæ sole omnium tuarum argumentationum rivulos exsiccare. Et appellabat solem, id est auctoritatem ecclesiæ. Et *Augusti-*

nus in multis locis dixit : *Quod non crederet evangelio, nisi cùm ecclesiæ auctoritas eum moveret.* Ita potest hodiè dici cuilibet volenti in dubium vertere potestatem ecclesiæ suprà Papam.

Cùm autem sacrum concilium processerit contra quondam Eugenium, non potest refricari in dubium, de ejus potestate. Quanquam nonnulli adversariorum, non valentes aliter subterfugere auctoritatem ecclesiæ, dicant, quòd *Constantiense concilium* illam declarationem fecit post fugam Johannis XXIII. à concilio Constantiensi, & antequam obedientiæ aliorum, qui se gerebant pro summis Pontificibus, Gregorii scilicet & Benedicti, unirentur illi concilio Constantiensi. Quasi velint dicere, quod illud *Concilium Constantiense* tempore declarationis editæ non erat universale, sed repræsentabat duntaxat obedientiam Johannis. Profectò *istæ objectiones* dignitatem illius constitutionis seu declarationis non enervant. Quia, præsupposito, quod ita sit, quod post fugam Johannis, & ante unionem illarum obedientiarum fuerit facta ipsa declaratio, attamen *tota ecclesia universalis postmodum ibi unita tacitè multifariè illam constitutionem approbavit.* Primò *approbando depositionem Johannis*, qui fuit depositus ob multa delicta notoria, scandalizantia ecclesiam. Non autem potuisset deponi per concilium, nisi concilium ipsum habuisset in eundem potestatem. Quia inferior non habet Jurisdictionem in superiorem, nec par in parem, ut in *c. Inferior*, & *c. Denique*, 15. *dist.* & *c. Innotuit*, *De electione :* Et *in L. A quo*, §. *Tempestivum*, *ff. ad Trebellianum SCtum.*

Et si diceremus contrarium, *sequeretur*, *quod Papa Martinus non fuerit legitimè electus.* Quia non vacabat ecclesia, ex defectu potestatis.

Et idem diceremus, quod ad ipsum quondam Eugenium. Quia ex illa origine sortitus est apostolatum.

Item diceremus, illud concilium errasse in potestate universalis ecclesiæ. Et detrahendo privilegio prælationis Romanæ ecclesiæ, omnes illi patres & eos sequentes incidissent in hæresin, ut in *c.* 1. 22. *dist.* Et sic damnaremus totam obedientiam Johannis, quæ magna erat. Quia ei obediebat tota Germania, Italia, & multæ aliæ nationes.

Item si incidissent in hæresin, quomodo aliæ obedientiæ, Gregorii scilicet & Benedicti, univissent se & incorporassent se illi concilio, contra *c. Cum quibus*, 24. *q.* 3.

Item illa constitutio erat ibi plus quam notoria, & nunquam post unitatem factam fuit contra illam reclamatum. Imò fuit per totam ecclesiam recepta cum tacito consensu. Quia id, cui non resistitur, approbatur, ut in *c. error*, 83. *dist.*

Item, hoc probo efficaciori ratione. Concilium Basileense fuit legitimè inchoatum per ecclesiam universalem & indubitatam. Et nihilominus illud idem *decretum Constantiense recensuit*, *approbavit* & confirmavit. Et quod plus est, ipsemet quondam Eugenius in adhæsione sua expressè videtur illud approbasse, cùm dixerit & professus fuerit in illa adhæsione, concilium Basileense fuisse legitimè institutum, & legitimè continuatum. Et jam approbatio & confirmatio illius

con

constitutionis Constantiensis præcesserat illam adhæsionem. Ergò „
multipliciter illa constitutio fuit approbata per ecclesiam universalem. „

Quinimò, etsi ipse quondam Eugenius noluisset consentire, attamen in his, *quæ concernunt fidem & reformationem ecclesiæ*, & in pertinentibus ad illa, judicium concilii præfertur sententiæ Papæ, ut notatur in dicto *c. Anastasius*, 19. *dist.* Et probatur in *c. sicut*, 15. *dist.* & ibi per *Archidiaconum.* „

Nec fuga Johannis habuit impedire effectum illius declarationis. Quia, ut declaratum fuit in illo concilio, per illius fugam non desiit esse concilium. Nec auctoritas concilii fuit aliqualiter impedita. Facit enim Papa se alienum, recedendo ab universali ecclesia, ut in *c. alienus*, 23. *q.* 1. Et ecclesia, in qua est jurisdictionis fundamentum, potest omnem potestatem exercere, sicut potest mortuo Papâ. Sicut enim notanter dicit ArchiDiaconus in *cap. Porro*, 76. *dist.* potest Ecclesia, mortuo Papa, formam sacramentorum, præter formam panis & vini & baptismi, mutare. Quia illa forma fuit instituta à Christo. Et sic ecclesia potest etiam arduissima exercere, mortuô Papa. Quæ facta fuere etiam tempore apostolorum. Quod benè notatur. Si enim Jurisdictio ecclesiastica non esset in ecclesia, tanquam in fundamento, non posset hoc ecclesia attentare, mortuô Papa. *Papa* autem *fugiens à concilio habetur pro mortuo*, seu *alieno*, *Archidiaconus in c. cum dilecti, de elect. &* 16. *q.* 1. *in* §. *ecce*, & dicto *c. alienus.* „

Et ut illa declaratio *concilii Constantiensis, & approbatio subsequens* concilii Basileensis, non videantur editæ sine fundamento, corroborabo & *justificabo* illam, ferè *jure divino*, scilicet *dictis* nonnullorum *sanctorum*, corroborabo apostolico Pontificio ex gestis conciliorum, & sic consuetudine ecclesiæ universalis: Item *ratione juris naturalis & juris civilis. &c.* „

Postremò: *Dignus erat Eugenius Papa (Gabriel de Condulmario) depositione, cum sæpenumero in multis negavit Concilium Constantiense, ex quo ipse primatus sui originem traxit, nunc asserendo, quod in principio non fuit Concilium generale, nunc negando validitatem aliquarum constitutionum ejusdem, nunc negando ejus potestatem, & multa alia asserendo, ut clarissime colligi potest ex suis literis, præsertim novissime ad aliquos Dominos temporales & Universitates Studiorum missis. Debuit ergo Concilium tanta & tam gravissima tolerare? Non enim patientia, sed pestifera potius negligentia nuncupanda foret, ut inquit ille Magnus Leo* 24. *q.* 3. Illud.

JOHANNES, Patriarcha Antiochenus, in Opusculo in Basileensi Concilio edito *De Autoritate Concilii generalis supra Papam.*

QUando Christus ascensurus ad cœlos dedit potestatem Petro & successoribus, ut ministris ejus & Ecclesiæ sponsæ suæ, non est verosimi-

le intellexisse, quod in casu, in quo aliquis ex successoribus Petri male regendo scandalizaret Ecclesiam sponsam suam, ipsa non deberet uti potestate clavium contra talem, sed sine remedio ruinam fidei catholicæ & bonæ politiæ ipsius Ecclesiæ haberet tolerare. Quod esset absurdum. Et sic arguendo ob evitatione absurditatis, & à simili, est concludendum, Ecclesiam in tali casu contra Papam potestatem habere. Et pro ista parte facit decretum generalis Concilii Constantiensis, tenoris qui sequitur: In nomine sanctæ & individuæ trinitatis, Patris & Filii & Spiritus S. Hæc sancta Synodus Constantiensis generale Concilium faciens pro extirpatione schismatis ac unionis & reformationis Ecclesiæ Dei in capite & in membris fienda, ad laudem &c. Et primo declarat, quod ipsa in Spiritu S. legitime congregata, generale concilium faciens, & Ecclesiam catholicam repræsentans, potestatem à Christo immediate habet, cui quilibet, cujuscunque status vel dignitatis, etiamsi Papalis existat, obedire tenetur in his, quæ pertinent ad fidem, ad extirpationem dicti schismatis, & reformationem dictæ Ecclesiæ in capite & in membris. Item declarat, quod quicunque, cujuscunque conditiones, status, dignitatis, etiamsi Papalis existat, qui mandatis, statutis ordinationibus seu præceptis hujus sacræ Synodi & cujuscunque alterius Concilii generalis legitime congregati, super præmissis, seu ad ea pertinentibus, factis vel fiendis, obedire contumaciter præsumserit, nisi resipuerit, condignæ pœnitentiæ subjiciatur, & debite puniatur, etiam ad alia juris subsidia, si opus fuerit, recurrendo. &c.

HEINRICUS TOKE,

Canonicus Magdeburgensis,
Archi-Episcopi Magdeburgensis ad Basileense
Concilium Legatus,
In haud exiguo Opere MSC.

De Quæstione

An Ecclesia Catholica, militans, sancta & immaculata, sit, ex omnibus fidelibus nec non malis congregata, singulis mortalibus personis, etiam Papali, prælata?

QVid necesse est pro isto adducere multos, cum semel sit determinatum autoritate universalis Ecclesiæ in sacro Concilio Constantiensi, *ante cujus tempora apud Magistros hujus seculi erat dubium & hinc inde disputatum. Sed Domino Deo misericorditer ordinante, omnibus minus recte sapientibus impositum est silentium per decretum* Concilii nominati. *Quod iterum in hoc sacro Concilio Basileensi est innovatum, laudatum & confirmatum, ad sangvinem ab omnibus Christi fidelibus defendendum.*

Deinde: *Concilium generale non posse revocari sine autoritate & voluntate Concilii, per solum Papam, decretum est universalis Ecclesiæ, in* Concilio Constantiensi, *per Martinum Papam confirmatum. Sed si sic liceret dici confirmatum, cum magis proprie sic dicitur approbatum, quam confirmatum.*

Mitti-

Mittimus centena ſimilia, quæ faciant pro illuſtrandis *Conſtantienſis Concilii fatis*, prout ex illa Synodo ſubnatæ plures, & Baſileenſis præcipue, ſubortæque in his quæſtiones permultæ, de illius autoritate, de ejus decretis horumque ſenſu, quas grandibus voluminibus proxime ſtatim à Conſtantienſi Synodo viri eruditi ſunt proſecuti. Mittimus & *Johannem de Turrecremata*, Cardinalem, qui illa ætate *De Papæ & Concilii autoritate libro* Conſtantienſis Concilii dignitatem & decreta vellicavit. Linquimus *Antonium de Roſellis de Aretio*, *Almainum*, & alios veteres, qui de iisdem quæſtionibus, Conſtantienſe Concilium attingentibus, prolixe jam olim diſputarunt.

Pari jure mittimus recentiores, qui inter Gallos maxime & Italos, nec ſine bile, has ob res diu multumque toto pene hoc ſeculo inter ſe contenderunt.

Nos tandem præſente decimo ſeptimo jubilæo læti finem Conſtantienſi imponimus Concilio, quod tribus abhinc ſeculis, ſub exordium ſeculi decimi quinti, à toto Chriſtiano orbe ſolenniſſime fuit celebratum, cui par nullum antea inter Chriſtianos extiterat, nec ſimile forte unquam extiturum. Juvabit non hanc noſtram duntaxat ætatem, ſed & præcipue poſteros, poſt longos annorum circulos, in hoc ſplendidiſſimum & vere auguſtum Concilium oculos mentemque convertere, & quæ Majorum fuerint fata, quæ conſilia, qui conatus, qui ſucceſ-

(c) 3 ſus

ſus, quæ obſtacula & in rebus magnis conficiendis impedimenta, contemplari.

Eruditam præcipue *poſteritatem* oblectabit, quando intelliget, *florem orbis eruditi*, Conſtantiam in magnam hanc ſynodum divinâ providentia fuiſſe collectum, benigniſſimo fato, CÆSARE SIGISMUNDO, *literatisſimo Principe* reipublicæ literariæ capite auguſtiſſimo, præeunte ac præeminente, quem tota ſplendidiſſima ex univerſo orbe *eruditorum virorum cohors* magno plauſu ſecuta. Et eo quidem fine hanc *omnis eruditionis medullam* ex toto Muſarum corpore divinâ manu huc fuiſſe deportatam, ut *elegantioris ac ſolidioris eruditionis dignitas* in hoc magno Concilio effloreſceret amplius, & ab inſidiis ineruditorum ac rudium *doctrinæ præſtantia* ſarta tecta conſervaretur. Siquidem in hac Synodo *libertas Muſarum* ab indoctorum ſervitute ſtrenue aſſerta ac vindicata, quando *pretium literis redditum*, ac palam mille argumentis demonſtratum, Eccleſiam & rempublicam à viris imperitis, impolitis, rudibus, imprudentibus, inexpertis, artium & literarum expertibus, quin hoſtibus & roſoribus, fuiſſe corruptam, turbatam, peſſandatam & everſam. *Contemptum doctrinæ & virorum doctorum* illud fuiſſe *venenum*, quod ſordibus, avaritiâ, ſimoniâ, arrogantiâ, tyrannide, Eccleſiam & rem civilem, infeciſſet, omnique decore ac formæ pulchritudine exuiſſet. *Æſtimium* verò *liberalium & ingenuarum artium*, ſcientiæ ac ſapientiæ ſerenioris, eloquentiæ integrioris, *animam* eſſe.

esse & *sanguinem* fortunæ & salutis, in publica re universa, civili & sacra. Ad ravim usque in hac Synodo in augusto Reformatorio declamatum, rudes, sed ære turgentes, suis corruptionibus effecisse, ut repulsis vel & oppressis viris doctis, politis & sapientibus, ad honoris & dignitatum culmina penetrarent, officia quælibet pinguiora occuparent, indeque sordibus suis illuc invectis Ecclesias corrumperent, macularent ac defœdarent. Unde, tanquam ex squalido voragine, illa turpitudo prognata in Ecclesia & republica, quam tanto molimine detergere conaretur universale & augustum Concilium. Huc quippe ferventissimum Constantiense Reformatorium curate collimavit, ut *bonæ literæ resurgerent*, ac viri sapientes & eruditi officiis præficerentur sacris, à quorum virtute salus penderet communis. Quod concilii studium, vindicandis literis impensum, ansam quoque dedit viris illustribus, ut ex vicinis quibuscunq; monasteriis in Germaniæ & Italiæ finibus, *omnis generis monumenta literaria antiqua* Constantiam adveherent. Ut fieret illa tempestate Constantia in Synodo universali Bibliotheca universalis, infinitis præclarissimis codicibus referta ac constipata. Qui thesauri literarii, ex *Augia divite*, Bibliotheca *Salemitana*, aliisque, finito Concilio in remotiora regna sunt deportati. In quibus rariorum Codicum cumulis ac montibus, Constantiæ accumulatis, Poggius Florentinus, sagacissimus harum rerum pretiosarum scrutator, *aureos Quintiliani libros De institutione oratoria*

ria, inveniſſe, deſcripſiſſe, ac primus in Italiam reduxiſſe fertur. Fauſto profecto omine: Illo tempore, eloquentiæ & elegantioris literaturæ florem magis magisque aſſurrecturum, & proximis hiſce ſeculis fragrantisſimum odorem per totam Europam ſparſurum. Proinde *univerſus orbis literatus Conſtantiæ Germanorum plurimum debet*: Quippe quæ literis lucem reddidit, eruditioni decorem reſtituit, & Muſis trophæa poſuit. Ut vere dici posſit magnum hoc Concilium, elegantioris doctrinæ præſidium, purioris eloquentiæ palladium, veræ ſapientiæ theatrum.

Quare hæc *eruditi Concilii fata* venerare, ô docta & grata poſteritas, DEOque, & Imperii Chriſtiani Apollini, auguſtisſimæ eruditionis celſisſimo culmini, CÆSARI LEOPOLDO, necnon literatisſimo DUCI, RUDOLPHO AUGUSTO, pro reſtauratis doctæ Conſtantiæ & eruditæ Germaniæ pulcherrimis ornamentis, ac nobili pretio elegantiori doctrinæ poſito, æternas perſolvere grates memento.

S. d. XX. Jan.
A. M DCC.

Index

Index Librorum & Capitum.

PARS I.

PARS II.

TOMI VI. PARTES IV.

RERUM CONCILII CONSTANTIENSIS

DE

AUTORITATE ET FATIS MAGNI HUJUS CONCILII.

Quo Senense, dein & Basileense Concilium unice nixum,

Ad cujus quoque mensuram universum Ecclesiæ regimen inter posteros ex Christiani orbis voto erat componendum.

FELICISSIMIS AUSPICIIS

SERENISSIMI PRINCIPIS

RUDOLPHI AUGUSTI

BRUNSVIC. AC LUNÆB.

DUCIS &c.

Ex antiquissimis Codicibus MSCtis

CÆSAREIS, DUCALIBUS & ACADEMICIS

aliisque monumentis

recensente

HERMANNO von der Hardt.



FRANCOFURTI ET LIPSIÆ

IN OFFICINA CHRISTIANI GENSCHII.

HELMESTADI, Typis SALOMONIS SCHNORRII, 1699.

PANORMITANUS
In Apologia contra Eugenium Papam
Pro Autoritate Concilii.
In MSC. Vindobon.

Præsertim defendendum erat & est illud magnum & præclarum Concilium Constantiense, ex quo Ecclesia Dei, abjecto inveterato schismate unitatem pristinam reassumsit, & multa alia præclara opera egit, quæ omnia non sine magno Christianitatis scandalo vacillarent, illius Concilii autoritate læsa.

S. d. XI. Octob.
A. MDCXCIX.

Prudenti & ingenuo Lectori S.

MAgni hujus *Concilii dignitas atque veneratio* illo ævo tanta extitit, ut universus orbis oculos in illud converteret, sibique ex eo omnigenam salutem polliceretur. Ita quidem, ut & Græci, à Romanis in religione dissidentes, læti Concilium inviserent, magna unionis ac reconciliationis spe lactati. Quemadmodum & SIGISMUNDUS CÆSAR hoc animo orbem Christianum illuc convocarat, ut Græcam Ecclesiam cum Romana copularet.

Nullum verò majus pretium Concilio reapse positum, quam ex compositis dissidiis trium Pontificum, JOHANNIS, BENEDICTI, & GREGORII, qui Ecclesiam ejusq; regimen quassarant & conculcarant. Qui unanimi orbis consensu in hocce Concilio sede moti, carcere pressi, aut anathemate perculsi, quarto omnium applausu Martino V. Constantiæ electo.

Hoc præcipue *Concilii hujus robur* auxit, quod magnam Conciliis conciliare autoritatem allaboraverit gravissimis *de Conciliorum autoritate* decretis promulgatis. Quæ ex hoc capite Con-

ſtantienſis Concilii veneratio tanta extitit apud Baſileenſis Concilii Patres, ut vel *millies*, magnis encomiis cumulatis, ad memorabile hoc Conſtantienſis Concilii facinus provocarent, inque eo omnem ſpem atque ſalutem *in regimine Eccleſiaſtico emendando* ponerent.

Id quod vel ex pauculis *Æneæ Sylvii* effatis luculentiſſime conſtabit, qui cum in *Commentariis ſuis De rebus geſtis Concilii Baſilienſis* fuſe diſſeruiſſet *de Concilii ſupra Papam autoritate*, & ad Conſtantienſis Concilii decreta provocasſet, ſubjungit: *Nec ego minoris autoritatis Conſtantienſe Concilium exiſtimaverim quam Nicænum.* Et paulo poſt: *Sufficere nobis Conſtantienſe Concilium poſſet, cujus non minor autoritas fuit, quam illorum quatuor, quæ doctor illuſtris Gregorius ut quatuor Evangelia venerari ſe dicit.* Quanquam verò *Æneas* animum poſtea mutaverit, honore Pontificio ipſe mactatus ac *Pius* effectus: Nihilominus quid ſub ipſius Baſilienſis Concilii luce de Conſtantienſis Concilii dignitate ſenſerit, hinc clare elucet.

Noſtrum non eſt ſingulorum excutere effata, & quo pertineant demonſtrare. Sufficit nobis, ſubindicaſſe, quanti illuſtre Concilium Conſtantienſe fecerit illud ævum, ut illi immenſam ſuperſtrueret in Concilio Baſilienſi molem.

Poſtremo, *difficilia* Concilii *fata*, vel ſub ipſo Concilio vel à fine illius ſubnata, meminiſſe juvabit.

TOMI VI.

TOMI VI. PARS I.

DE AUTORITATE CONSTANTIENSIS CONCILII EX INDICENTIUM JURE ATQVE POTESTATE,

Nimirum Cæsaris Sigismundi & Johannis Papæ XXIII.

QVandoquidem *Concilii autoritas* non à temerario ac tumultuario hominum dependet confluxu, sed jure atque potestate illorum, quibus Concilium convocare competit: *Constantiensis Concilii autoritas* irrefragabilis æstimata. Quod illi est, qui Ecclesiæ membra convocarunt, qui præ ceteris in Ecclesia & republica in sublime erant evecti. Erant hi *Cæsar Sigismundus & Papa Johannes XXIII.* De utriusque, *Cæsaris* potissimum, in Concilium cogendum *jure*, suse inter orbis eruditi principes disputatum jam fuerat ante, quam Constantiam Concilium vocaretur. Qua de re videri poterunt, quæ *Petrus de Alliaco & Gerson* ante Constantiensis Concilii exordium publicis docuerant scriptis, quæ *Tomo I.* ex *MSCtis* sunt recensita. Altius si cui rem repetere volupe fuerit, illa consulat virorum eruditorum monumenta, quæ paulo ante, proxime ante Concilii Pisani ætatem, de hoc *Cæsaris in Concilium jure* sunt prodita. Inter quæ non postremum obtinebit locum *Henrici de Hassia*, Theologi tunc Parisiensis, præclarum opus, quod *Tomo II. Parte I.* ex MSCto dedimus.

Addidisse juvabit *Zabarella de Conciliis* insigne monumentum, quod in limitibus Concilii Pisani edidit. Pro suo proinde jure *Cæsar*, postquam Laudæ inter ipsum & Pontificem Johannem 23. convenerat de loco, Imperiali oppido Constantiæ Germanorum, nec non de tempore, in Calendas Novembris Anni 1414. Concilium indixit, publicis editis diplomatibus. Reges etiam & Principes specialibus literis ad id invitavit. Idem præstitit & Papa, qui similiter Concilium indixit, Christianumque populum ad Concilium vocavit. Cujus adeo utriusque in Concilium convocandum studii tesseræ sunto quæ seqvuntur epistolæ.

CÆSARIS SIGISMUNDI Edictum universale Quo omnes ad Constantiense Concilium invitati, & securitas in Concilio promissa.

SIGISMUNDUS DEI gratia ROMANORUM REX *semper Augustus*, ac *Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, &c. Rex.* Universis & singulis præsentes literas inspecturis notum facimus, Qualiter Reverendissimi Patres in Christo, Domini, *Antonius*, tituli sanctæ Cæciliæ *Presbyter*, & *Franciscus*, Sanctorum Cosmæ & Damiani *Diaconus*, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ *Cardinales*, Apostolicæ sedis *Legati*, ac nobilis *Manuel, miles Constantinopolitanus*, habentes à Sanctissimo Domino nostro *Papa Johanne XXIII.* simul *cum* suo sacro *collegio* Dominorum *Cardinalium* plenam ad infra scripta potestatem, prout literis Apostolicis constat, habitis nobiscum multis super infra scripta deliberationibus & consiliis, tandem *pro loco Generalis Concilii*, DEO favente celebrandi, *elegerunt cum consilio & assensu nostro Civitatem Constantiæ*, Provinciæ Moguntinensis. Quem *locum nos eisdem nominavimus*, tanquam idoneum, commodum, tutum & communem omnibus nationibus ad ipsum Concilium venturis. Et in quo poterimus *secundum nostrum Imperiale officium* tueri omnes & singulos, cujuscunque status ad Concilium venturos

Ex Bzovio. Antonius de Chalanco. Franciscus Zabarella Emanuel Chrysolora. Cæsar Constantiam pro Concilii loco commendavit.

Consense- re in Con- stantiam Legati Papales. Indictum Constan- tienseCon cilium ad A.1414. d.1. Nov.

in plena libertate. Quem etiam *locum nos* cum prædictis Dominis Cardinalibus pro Concilio *elegimus*. Et insuper *ipsi nobiscum* & *nos secum assignavimus* ad initiandum præfatum Concilium *tempus* unius Anni, incipiendo *die prima Mensis Novembris* nunc instantis.

Quamobrem vos universos & singulos in Domino exhortamur, ut illi ex vobis ad quos pertinet ad Concilium venire, deposito omni timore curetis ad locum præmissum tempore præscripto vos conferre. Ubi etiam *nos* DEO favente *curabimus interesse*, ac omni nostro posse facere, ut omnes & singuli in Concilio existentes plena securitate atque libertate, tam in accessu quam statu & recessu potiantur. Et quod idem Dominus noster Papa cum Dominis Cardinalibus & sua curia, ac cum omnibus Prælatis & Clericis in Concilio existentibus gaudeant plena Ecclesiastica immunitate, ita etiam quod ipse Dominus noster Papa ibi libere possit omnem suam Apostolicam auctoritatem, jurisdictionem & potestatem exercere. Et similiter Domini Cardinales & Prælati & Principes, omnesq; aliæ tam Ecclesiasticæ quam seculares personæ in Concilio existentes, possint *libere loqui & tractare* & expedire omnia quæ sibi videbuntur opportuna. Præsentium sub nostræ Majestatis sigilli testimonio literarum.

Datum in Ecclesia S. Stephani Protomartyris, in villa vocata *Viglud* in vulgari *Vegni*, Cuman. Diœceseos. *Anno* à Nativitate Domini 1413. *die lunæ, penultima Mensis Octobris.* Regnorum nostrorum anno, Hungariæ &c. 27. Romanorum verò quarto.

CÆSARIS SIGISMUNDI
Epistola ad GREGORIUM Papam XII.
Qua ad Constantiense Concilium invitatus, securitate promissa.

SIGISMUNDUS &c. *Maximo desiderio jam dudum tenebamur*, ut diem messis videre possemus, unicam Christi Sponsam *Ecclesiam Catholicam debite reformatam.* Postea vero, cum ad Imperialia gubernacula fuissemus assumpti, id quod erat nobis in desiderio, transivit in præceptum: Cum *teneamur* Ecclesiam per Imperiale officium tueri, cujus etiam Canones sanctorum Patrum nos appellant *Advocatum & defensorem.* Itaque summo studio curavimus, ne quid negligentiæ in re hac possit nobis apud DEUM vel homines imputari. Et ob hanc rem *per literas & nuncios* institimus apud Sanctissimum Dominum nostrum *Papam Johannem XXIII. pro convocatione generalis Concilii* loco habili & tempore congruo facienda. Qui nostris votis annuens, misit ad nos Reverendissimos in Christo Patres, *Antonium* tituli sanctæ Cæciliæ Presbyterum, & *Franciscum* Sanctorum Cosmæ & Damiani Diaconum, sanctæ Romanæ Ecclesiæ *Cardinales*, & nobilem virum *Manuelem Chrysolora, Militem Constantinopolitanum*, tradita eisdem in prædictis plena potestate. Ipsis vero ad Nos pervenientibus, post multa Nobiscum habita super his consilia, tandem *Nos cum eisdem* pro loco Concilii *elegimus Civitatem Constantia* Provinciæ Moguntinensis. *Quem locum Nos eisdem nominavimus*, tanquam idoneum, tutum & communem omnibus nationibus ad Concilium venturis, & in quo poterimus secundum nostrum Imperiale officium tueri omnes cujuscunque status ad Concilium venturos in plena libertate. Et insuper *Nos* cum prædictis legatis & nuntiis ad initiandum præfatum Concilium *assignavimus tempus* unius anni, incipiendo *die I. Mensis Novembris* nunc instantis.

Si ergo facere vultis quantum in vobis est, *ut Ecclesia DEI possit esse debite reformata*, modum habetis, in veniendo ad præmissum locum tempore constituto, cum vestris de vestra obedientia. Ubi si facere volueritis vestrum debitum, DEO, mundo, vestræque conscientiæ atq; Nobis plurimum satisfacietis. Ad quem etiam adventum *Vos pro nostro Imperiali officio exhortamur, requirimus, & monemus. Et*

super

super his nostras literas vobis transmittimus, ne postea dicere vel allegare ullam ignorantiam valeatis. Nos etiam ut pleniorem causam veniendi habeatis per præsentes damus vobis & vestris plenum *salvum conductum* & securitatem. Datum *Laudæ* &c, ut supra.

SIGISMUNDI IMPERATORIS
EPISTOLA
ad Carolum VI. Galliæ Regem, Qua ConstantienseConcilium denunciavit & ad illud Legatos ejus invitavit.

SIGISMUNDUS DEI gratia &c. Serenissimo Principi &c.

REx pacificus pia miseratione disposuit, ne homo, creaturarum dignissima, quem de limo terræ formatum ad imaginem & similitudinem suam fecit, per abusum liberi arbitrii laberetur, & labendo à cognitione sui recederet creatoris: Dum par in parem imperium non haberet, *præsides* suo operi superesse voluit, quorum ducatu vita cujuslibet regeretur, ac ipsorum monitionibus & præceptis inferiores cœteri obedirent. Sicque statuit duo luminaria super terram, majus videlicet atque minus, ut in ipsis universalis Ecclesiæ consisteret firmamentum, in quibus *Pontificalis auctoritas & Regalis potentia* designantur: Una videlicet qua *Spiritualia* & altera qua *corporalia* regerentur.

Ex Goldasto.

Ad subsistentiam igitur machinæ *Spiritualis*, beatum Petrum Apost. Principem, & in beato Petro *Pontifices* successores, summus Pontifex in æternum, unigenitus Dei filius Jesus Christus, qui doctrinam humano tribuit generi salutarem, magistros esse voluit & *Pastores*. Ad *corporalis* vero compaginis firmamentum, cujus facilis est profectò distinctio, *Reges & Principes*, Rex Regum & Dominus Dominantium idem ipse præesse voluit Jesus Christus. Ut illi quidem in executione Pontificalis officii *spiritualibus vacando negotiis* proficerent ad salutem, & hi salubriter *in excellentia Regiæ dignitatis corporalia gubernando* malitiis hominum obviarent: Sicque machina fieret utriusque subjecti stabilior, dum haberet quodlibet proprium servatorem.

Spiritualia à præsidib' Ecclesiasticis gubernāda, Civilia à Regibus & Principibus dirigenda.

Debitum perfectæ *caritatis*, quæ non quæ sua sunt quærit, nimirum exposcit, ut non solum is, qui *contemplationis speculam* ascendit, sed oportunitate suadente *actionis onera supportans*, *magis necessarius* inveniatur. Quia licet ille sit securior, hic tamen est *utilior*, sibi & aliis commodum afferens & profectum. Licet enim Mariæ sedentis secus pedes Domini otium Marthæ ministerio præferatur, & quod sit status ille tutior, utpote à seculari strepitu segregatus; *Activus* tamen potest *utilior* judicari esse, quod sibi prodest & aliis, tribulationes sustinens & pressuras, per quas virtutes suscipiunt incrementum. Quoniam, sicut ait Apostolus, tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio spem, spes autem non confundit. Et plerumque contingit, quod virtus in infirmitate perficitur.

Geno vita speculativa nō atque necessariū quam activa.

Regimen civile utilius.

Sed quia diebus istis novissimis, in quibus, superexcrescente malitia in immensum, *refrigescit caritas*, in plerisque proprius appetitus, qui niti semper in vetitum consuevit, adeo *debachatur* in homine, ut quodam dato quasi libello repudii, *libertas arbitrii*, qua bonum malumque discernitur, *exulet* extra terminos honestatis: *Multum oneris multumq; sollicitudinis nobis incumbit, ut animarum corporumq; periculis caveatur.* Nisi enim malitiis hominum congruis obstaculis obvietur, descensus est profectò labilis ad excessus. Et dum per lubricum iter discriminis abusive descenditur, facilis (proh dolor) relevatio vix habetur.

Cæsaris officium, cura salutis omnium.

Inter profectò curas varias nostris processibus influentes *sollicitudo quotidiana*

na

Sigismundi Cæsaris sollicitudo pro salute publica. Ecclesiæ emendationem anxie quæsivit Sigismundus.

na nos excitat, qualiter generali bono *statui totius populi Christiani* multifarie multisque modis nostris temporibus *proficere* valeamus. Ut, cum in die illa novissima, die scilicet districti & tremendi Judicii, discussio venerit, plenam possimus ipsius Dei superfavente clementia de commissis nobis talentis, duplicata Domino importando, reddere rationem.

Maximo etenim *desiderio jamdudum tenebamur, ut diebus nostris videre possemus* unicam Christi sponsam *Catholicam Ecclesiam feliciter reformatam.* Postea verò cum ad Imperialia gubernacula fuissemus assumpti, id *quod erat nobis in desiderio transivit in præceptum:* Cum teneamur Sanctam Matrem Ecclesiam *per imperiale officium* tueri, cujus etiam Canones Sanctorum Patrum nos appellant *Advocatum & defensorem.*

Sigismundi tractatus cum Imperii Principibus ante Const. Conciliū de Ecclesia reformanda.

Considerantes veruntamen, qualiter & *quomodo* salubriter id peragere valeamus; Cum Principibus, Ecclesiasticis & secularibus, Ducibus, Comitibus, Baronibus & Proceribus, aliis quoque prudentibus & peritis nostri & Imperii sacri fidelibus, prout tantæ rei instantia exigebat, *accurato & frequenti tractatu prahabito:* Interea contigit, Nos intellexisse, quomodo sanctissimus Dominus noster Dominus *Johannes Papa XXIII.* venerabile *concilium indixisset.* Summo itaque studio curavimus, ne quid negligentiæ posset in hoc nobis apud Deum & homines imputari. Conciliū Romanū.

Et ob hanc rem *per literas & nuncios institimus apud* eundem Dominum nostrum *Papam* pro convocatione *generalis Concilii*, loco habili & tempore congruo deputandis. Qui *nostris votis annuens*, misit ad nos Reverendissimos in Christo Patres, Dominos *Antonium tituli* sanctæ Cæciliæ *Presbyterum, & Franciscum* tit. Sanctorum Cosmæ & Damiani *Diaconum*, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ *Cardinales*, Apost. Sedis legatos, & Nobilem *Manuelem Chrysoloram*, tradita eisdem in prædictis plena potestate. Ipsis verò ad nos pervenientibus, post multa nobiscum habita super his consilia, tandem *nos* cum eisdem pro *loco concilii* elegimus *civitatem Constantia*, Provinciæ Moguntinensis. *Quem locum nos eisdem nominavimus* tanquam idoneum tutum & communem omnibus nationibus ad concilium venturis. Et in quo Deo favente curabimus personaliter interesse, & omni modo posse *secundum Nostrum imperiale officium* tueri omnes cujuscunque status, ad concilium venire, ibi stare & recedere pro sua voluntate. Et insuper *Nos* cum prædictis legatis & nunciis ad initiandum præfatum concilium assignavimus *tempus* unius anni, incipiendo *die I. mensis Novembris* nunc instantis.

Expedit quippe, ut universi & singuli sollicitudine non pigri, fervente spiritu Domino servientes in vinea Domini Sabaoth, in qua ex denario divino & labore convenimus, irrefragabiliter operemur *extirpandis vitiorum spinis & peccatorum tribulis*, quæ superficiem ejus obumbrasse videntur, nec non *plantandis virtutum germinibus*, in quibus Dominus delectatur, totis affectibus intendendo illustrare.

Invitatus Rex Galliæ ad Cōstantiense Conciliū.

Illustrem itaque Serenitatem Vestram *ex Imperiali officio* ad tam suave & dulcissimum convivium fraternè l. caritativè invitamus & requirimus. Et hortamur in Domino, ut pro Religione Catholica, quam Deo debetis, *ad* cujus *divinæ Religionis exaltationem & statum institutum est præmissum Concilium*, velitis in præfato concilio tempore præscripto, si commode potestis, per Vos, vel si commoditas personalis non patietur, saltem per Vestros solemnes *Ambasiatores* interesse, atque cum effectu disponere & curare, ut Prælati, Doctores, & Magistri & viri Ecclesiastici, religiosi & seculares, qui sunt in vestro Regno & territorio, veniant ad hujusmodi concilium tempore constituto.

Ubi dum tantorum Regum, Præsulum & Principum, quos unitas fidei Orthodoxæ connectit, fuerit honorabili congregatione *concilium* ipsum ex comitiva suffultum, ut in ejus nomine, cujus spiritus ubi vult spirat, collecta Ecclesia, *post reparationem, ordinationem, reformationem & stabilitatem sacrosanctæ Ma-*

tris & universalis Ecclesiæ, *ac pacem & quietem populi Christiani*, sicut casti consilii seminator Altissimus infusionem suæ gratiæ, administrabit: Agetur communi consilio etiam de sedando vetustissimo antiqua & antiquata peste *dissidio*, quô universalis Ecclesiæ unitatem *Orientalis* seu *Græcorum* dissensio damnabiliter secuit. Ut in domum Domini individuam sponsa unica, in unitate orthodoxæ collectionis & intemeratæ fidei puritate (utinam nostris temporibus cœlitus infundatur hæc gratia) *per providam reintegrationem reducatur*: Et lucis cœlestis illuminatione, quæ det lumen in revelationem gentium, inveniatur *provisio*, & ejusdem *approbatione Concilii* roboretur. *Græca cū Romana Ecclesia redunienda.*

Per cujus *salutiferam executionem*, virtus altissimi, *fugatis erroribus*, *roborata fide*, *ad tramitem veritatis reductis errantibus*, *redintegrata ejusdem fidei unitate*, *extirpatis vitiis*, *virtutibusq; plantatis*, *correctis excessibus*, *moribus reformatis*, *repressis oppressionibus*, *libertate solida stabilitate munita*, *recuperatis deperditis*, *& ejusdem Ecclesiæ statu prospero recuperato*; occupata restituat, vastata restauret, & restaurata conservet. Viamque reperiat idem ipse qui novit, & facultatem tribuat ipse qui potest, ut sic in præmissis juxta *intensum animi nostri desiderium* subministretur salubriter, ut idem verus ejusdem universalis sponsus Ecclesiæ ipsam dilectam suam, *purgatam maculis*, *ornatam virtutum monilibus*, ac speciosam unam semper habeat cum unico sponso vero & formosam, quam in dilecta tabernacula sua *virtutum* bonus Pastor qui animam suam pro suis posuit ovibus, non habentem maculam neque rugam, in vestitu deaurato, circumdatam veritate, introducat, ad sui nominis laudem & gloriam, animarum profectum, robur fidei, sanctæ Matris & universalis Ecclesiæ exaltationem, ac pacem plebis Christianæ &c. *Spes ex Constantiensi Concilio.*

JOHANNIS XXIII. Papæ Bulla, qua Constantiense Concilium indixit & omnes ad illud convocavit.

Johannes Episcopus Servus Servorum Dei, ad futuram memoriam.

AD *pacem*, & exaltationem Ecclesiæ, & *tranquillitatem Christiani populi*, prompto corde, & efficaci desiderio intendentes, ea libenter ordinamus, & quærimus, per quæ hujusmodi *pax & exaltatio tranquillitatis* merito valeat promoveri. Dudum siquidem felicis recordationis *Alexander Papa V.* antecessor noster, *in sacro generali Pisano Concilio* tunc præsidens, ex quibusdam magnis & arduis causis eundem moventibus, ipso approbante Concilio, inter cœtera *decrevit*, *iterum generale Concilium* ex tunc ad terminum, per se, vel successorem suum, in loco, de quo sibi, vel eidem successori videretur, fore *solenniter convocandum*. Idemque prædecessor, *ea quæ circa reformationem Ecclesiæ expedienda restabant*, pro tunc suspendit, ipsumque Concilium, usque ad *tempus triennii* præfatum, *continuandum* statuit, & prorogavit.

Postmodum vero ipso Alexandro Prædecessore nostro (sicut Deo placuit) vita functo, nobisque divina favente clementia ad apicem summi Apostolatus assumptis, dum *tempus triennii* ejusdem jam advenerat, & nos per vestigia ejusdem Prædecessoris incedere, & ordinationem præfatam ab eo in Concilio (ut præfertur) factam, puro corde, & recta voluntate adimplere properaremus, quibusdam rationibus tum expressis, animum nostrum moventibus, *Concilium* hujusmodi *in Romana urbe* (quæ paulo ante de manibus hostium recuperata, præsentiam nostram pro ipsius conservatione plurimum flagitabat) debito tempore *convocavimus*.

Verum quia veniente postea tempore constituto, Prælati & cœteri, qui hujusmodi Concilio interesse debebant, *nequaquam in tanto numero convenerunt*, quan-

quantum rerum agendarum pondus, & magnitudo requirere videbatur: Nos post alias prorogationes per nos factas, tandem *Concilium* ipsum ad mensemDecembris nunc præsentem, solenniter prorogavimus, ac *celebrandum statuimus. Locum* autem infra certum tempus reliquimus declarandum, ut interim super eo maturius consuleremus.

Post hæc vero, infra dictum tempus nondum elapsum, per *literas* charissimi in Christo filii nostri *Sigismundi* electi in *Regem Romanorum, & Hungariæ Regis* illustris, *instantissime requisiti, ut non properaremus in declaratione hujusmodi loci pro Concilio faciendo*, sed tam in declaratione *loci* prædicti, quam etiam in *tempore* dicti Concilii celebrandi supersedere vellemus, donec ipse nuncios suos super hoc instructos ad nostram præsentiam destinaret: Nos *votis* ejusdem *Regis*, quæ ex zelo devotionis & puritatis fidei emanare conspiciebamus; *annuentes*, adventum præfatorum Nunciorum, de venerabilium Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Crrdinalium & Prælatorum, qui Romæ in generali Consistorio ad hoc vocati fuerunt, voluntate, consilio & assensu duximus expectandum.

Deinde cum post Romanæ Urbis miserabilem casum, ad nos tunc apud *Florentiam* existentes ejusdem *Regis nuncii accessissent*, & ex parte ejusdem Regis multa nobis circa materiam suggessissent, eorum auditis relatibus, pro pleniori expeditione, dilectos filios nostros, *Antonium* tituli sanctæCeciliæ Presbyterum, & *Franciscum* tituli Sanctorum Cosmæ & Damiani, Diaconum, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ *Cardinales*, cum plena potestate super hujusmodi electione loci, & *deputatione temporis*, ac simul cum eis dilectum filium nostrum, nobilem virum *Manuelem Chrysoloram, Militem Constantinopolitanum*, ad præsentiam ejusdem Regis transmisimus. Qui ad eum venientes tandem *de ipsius Regis consilio* & assensu, *civitatem Constantiensem*, Provinciæ Moguntinensis, pro *loco* hujusmodi *Concilii* celebrandi, *concorditer elegerunt*, ac *tempus* ad initiandum hujusmodi Concilium statuerunt, diem *primum mensis Novembris* proxime venturi.

Deinde vero nos, qui pro quibusdam arduis & magnis negotiis, *cum eodem Rege*, juxta nostrum & ipsius desiderium *personaliter convenientes*, certificati ab eo de *habilitate, capacitate, & securitate Civitatis Constantiæ* antedictæ, quam securitatem ipse Rex se præstiturum & in ipso Concilio personaliter affuturum pollicetur: Volentes & ab intimis cupientes, ut præfata celebratio Concilii salubriter impleatur & optatum consequatur effectum, hujusmodi *electionem loci & temporis* (ut præfertur) factam, autoritate Apostolica tenore præsentium de eorundem fratrum nostrorum consilio & assensu ratificamus, ac ei Apostolici roboris adjicimus firmitatem, præfatumque Concilium in civitate prædicta *Constantiensi, die prima mensis Novembris* proxime venturi initiandum, & autore Domino exinde celebrandum, eadem autoritate & consensu, harum serie statuimus, pronunciamus & decernimus: Venerabiles fratres nostros, Patriarchas, ArchiEpiscopos, Episcopos, & dilectos filios, Electos, Abbates, & cœteros Ecclesiarum & Monasteriorum Prælatos requirentes, hortantes, & monentes, ac in virtute præstiti juramenti & sanctæ obedientiæ, eisdem mandantes, quatenus *personaliter*, nec non charissimos in Christo Reges & nobiles viros, Duces, Principes, Marchiones, & alios, qui hujusmodi Concilio interesse debent, vel qui prodesse possunt quoquomodo, per viscera charitatis Domini nostri Jesu Christi invitantes, & exhortantes, quatenus pro pace Ecclesiæ, & omnium Christianorum, etiam *personaliter*, vel si personaliter non possint, *per solennes oratores*, congruo tempore Concilio dicto debeant interesse. Ut sit congregata fidelium multitudine copiosa, ea *quæ in eodem Concilio agenda* incumbunt, Deo autore & adjutore salubriter ordinentur.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ ratificationis, approbationis, confirmationis, pronunciationis & decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attentare præsumserit, indignationem omnipotentis Dei se noverit incursurum. Datum *Laudæ, V. Idus Decembris*, Pontificatus nostri anno quarto.

TOMI VI. PARS II.

DE AUTORITATE CONSTANTIENSIS CONCILII EX DECRETORUM EJUS VIRTUTE, PONDERE, ATQUE VALORE.

INvitatus *Papa Johannes* à Cæſare Sigiſmundo ad Concilium, comparuit. Neque de Concilii congregati autoritate ullum ſubnatum in principio dubium. Donec *Johannes Papa*, animadverſa Concilii de ſe ſententiâ, qui Papatu cedere cogeretur, fugâ, variisque artibus Concilium diſſolvere anniſus, autoritatemque ejus ſe abſente infringere, & irritam ac inanem declarare conatus, quando Cardinalibus & Curialibus ſuis Concilio intereſſe interdixit, & ad ſe pellexit. Quas inſidias *Cæſar* pro ſuâ prudentiâ ſine mora eluſit, quando altero ſtatim à fuga Papali die Concilio animum addidit, non loco cedere ſuaſit, quin in ſalutari propoſito perſeverare rogavit. Quod & factum, teſtibus *Actis, ſupr. Tom. IV.*

Quapropter primis ſtatim à fuga Papæ publicis Seſſionibus *Concilii dignitas* defenſa, ejusque *integritas* contra omnes Johannis Papæ ſociorumque inſultus & inſidias roborata.

Eaque tempeſtate Concilii Patres Conciliorum autoritatem atque *jura* in Congregationibus nationum ſerio urgere atque defendere, quin & ſcriptis variis editis ſtatuminare.

Cujus argumenti fuit ORATIO GERSONIS, die XXIII. Martii A. 1415. Conſtantiæ ſolenniter habita, antequam Legati è Concilio ad fugitivum Papam Johannem migrarent; Qua *Concilii autoritatem* ſtrenue propugnavit. Adeo quidem aperte & ſine fuco, ut, cum ex legatis hoc reſciſceret Papa, hic vehementer indignaretur, Concilii dignitatem atque poteſtatem ſuæ autoritati longe præferri. Dedimus luculentum hunc *Sermonem ſupr. Tom. II. Parte XI. f. 265. ſeqq.*

Similiter PARISIENSIS ACADEMIÆ LEGATI communi nomine gravibus admodum PROPOSITIONIBUS, CONCILII AUTORITATEM illo tempore *Conſtantiæ* muniverunt, quando Johanni Papæ jus Concilium diſſolvendi prorſus negarunt, eum ad Concilium vocari ac citari poſſe aſſeruerunt, Papæ Concilium diſſoluturo minime obediendum edixerunt, Concilium denique per ſe ſine Papa jus proponendi, tractandi, deliberandi ac concludendi habere, & de bonis Eccleſiaſticis diſponere poſſe, aperte pronunciarunt. Quas *Propoſitiones* ex *MSCto Vindobonenſi* exhibuimus *ſupr. Tom. II. Parte XI. cap. II. f. 273.*

Eadem tempeſtate *Conſtantiæ* Concilio oblatæ novæ PARISIENSIUM in Concilio Legatorum CONCLUSIONES DE ECCLESIÆ & CONCILII potiori quam PAPÆ AUTORITATE ac DIGNITATE. Quæ cum aliquibus nimium viderentur derogare Papali dignitati, qualem ſententiam illa ætas vix ac ne vix quidem ferre ſuſtinebat, Concilii calculum omni ex parte impetrare non potuerunt. Suffecerit pervidiſſe, quid *Pariſienſes* illo tempore in publico Eccleſiæ conſpectu, coram Concilio, his de rebus aperto ore pronunciarint. Legere licebit ſupra *Tom. II. Parte XI. Cap. III. f. 275. ſeqq.*

Deinceps in Concilio mota eſt quæſtio: *An Papa Johannes ejusdemq; Cardinales tractatibus Concilii intereſſe poſſent, ſi quando de illorum ageretur Reformatione.* Quæ controverſia ultro citroque acriter ventilata varios peperit *libellos*: Quibus non ſolùm *Concilii patres* concilium Papæ & Cardinalibus in illis caſibus anteponerent, & Papam ac Cardinales ſub Concilio collocarent, ſed & *Cardinales* par jus Concilio & Papæ cum Cardinalibus in Reformatorios tractatus tribuerent.

Illis itaque *Disputationibus* Concilii & Papæ autoritas variis argumentis pertentata & vel impugnata vel defensa.

Videri laudati libelli poterunt supra *Tom. II. Parte XIII. Cap. II: f. 286.* & seqq. Ubi cum CARDINALIUM CONCLUSIONES, præsente Cæsare Sigismundo concilio oblatæ, tum CONCILII RESPONSIO comparent.

JOHANNES PATRIARCHA ANTIOCHENUS, Papæ fugitivo patrocinari quodammodo visus, Quæstionem eandem, UTRUM PAPA CATHOLICUS CONCILIO GENERALI SUBJICIATUR, peculiari scripto Constantiæ ventilare annisus, qui in gratiam Papæ Johannis in fuga occupati Concilio Papam præferret. Stitimus supra *Tom. II. Parte XIII. Cap. III. p. 296.*

Reprehensus autem Patriarcha eo nomine à Cardinali *Petro de Alliaco*, non se illa asserendi sed disputandi animo proposuisse affirmavit. Indeque Cardinalis Cameracensis laudatum Patriarchæ libellum publice in Concilio refutare non dubitavit, uti constabit ex sequenti ejus Opere.

Inter hæc, proxime à fuga Papæ, prima nimirum abinde Sessione, solennibus decretis, absente & vel invito Pontifice, *Concilium confirmatum*, roboratum atque statuminatum. Proindque *autoritas* illius, citra Pontificis præsentiam, quin citra illius sententiam, *conservata* atque *declarata.*

Ulterius mox progressa Synodus, nationum voluntate atque nutu constituerat *Sessione* secunda à fuga Papæ, quæ in Concilio erat *quarta*, Constantiensis & aliorum quorumcunque Conciliorum generalium jura, potestatem atque autoritatem luculentius definire. Quo fine jus Concilii Constantiensis & cujuscunque alterius in Pontifices æque atque universum Ecclesiæ corpus emendandum & reformandum, quin & reluctantem Pontificem coërcendum, determinaverat. Inque eo jam erat, ut in solenni consessu decreta hanc in rem composita prælegi curaret. Verum in ipso theatro, inque ipso actu, quando *Cardinalis Zabarella* ex officio decreta prælegit, ex improviso, nemine prævidentè, ex Cardinalium consilio, filum decretorum rupit, eaque ex decretis verba sciens ac volens prætermisit, quæ jus Concilii in Pontificem corrigendum enunciarent. Quod pluribus fuit demonstratum *supr. Tomo IV. ad Sessionem IV. & V.* Idque *Zabarellianum* Decreta Concilii castrandi *negotium* tantopere Concilio displicuit, ut mox à Sessione confluerent Nationes, de facinore Cardinalis querulæ. Neque *publicis scriptis* damnare atque *execrari* destiterunt Patres hoc *Zabarellæ facinus*, ad nutum Cardinalium perpetratum. Cujus luculentum est exemplum, quod dedimus *Tomo II. Parte XII. f. 280. & seqq.* Exprobrare quoque Cardinalibus hoc factum non intermisit Concilium in peculiaribus congregationibus, hac de re proxime à Sessione IV. institutis. Quæ omnia abunde constant ex *Actorum & Decretorum Corpore, Tomo IV.* Animoque sumpto, cum irritam illam Sessionem ista ex parte intelligeret Synodus, nova *Sessione Vta*, decreta superiora repetere, restituere atque supplere decrevit. Et ne Zabarella, vel Cardinalium alter, quibus prælegere datum aliàs erat, denuo eadem vel alia verba transiliret, tenoremque decretorum in ipsa prælectione corrumperet, hoc legendi publicandique officium extra Cardinalium Collegium alii commissum. Quo pacto integra tandem omnia recitata atque promulgata.

Quæ *historia momenta* curatius *ex MSCtis antiquis Codicibus* observata, diras inter Gallos & Italos hoc præsertim seculo & novissime quidem motas lites, de Sessionis IV. decretis, facili component negotio. Neque adeo ulla superest causa, quare litem illam nostram faciamus, quæ finem habet, si Actorum series distincte spectetur. Nihil proinde nobis rei cum illustribus viris, *Maimburgio, Schelstrateno, Natali Alexandro*, aliisque, qui de Sessione IV. promulgatis Decretis acerbe disputarunt.

Neque juvat volumina eorum hac de quæstione contexta hic recensere. Certum est, nationes in Decretorum illorum lectionem atque promulgationem

nem consensisse, à quarum consensu atque voluntate decretorum sententia vis atque robur proficiscebantur.

Certû etiam, Cardinales brevi ante consessû isthæc Concilii decreta vidisse & legisse, sed & constituisse, affectu in Papam Johannem ductos, dissentire, ut liceret.

Neq; ullum dubium, MSCtorum antiquissimorum fide, Cardinalem Zabarellam prælegendo decreta isthæc palam in publico consessu mutilasse, quando nonnulla potioraque verba omisit.

Extra controversiam quoque positum, Concilium ægerrime hunc *saltum Zabarellianum* tulisse, decrevisseque, proximo in publica nova Sessione *Zabarellianam* illam *lacunam* iterum supplere & invisam illam scissuram resarcire. Quod & factum.

Atque ita *Galli atq; Itali* certa ratione facile conspirabunt, ut utrisque possit indulgeri quod asserunt, sine veritatis injuria.

Galli verba ex decretis Sessionis quartæ omissa esse, bene negant, scil. ante consessum publicum, & ex sententia Nationum. Tamdiu enim integra erant. Quin & in ipsa Sessione, scil. ex voluntate Synodi vel Nationum, esse mutilata jure pernegant. Cum id fieret invita Synodo, idque vehementer improbante. Neque enim consciis nationibus id factum, sed refragantibus ac improbantibus.

Itali quoque rectè affirmant, Sessione quarta verba quædam ex decretis esse omissa, de facto, Zabarella dissimulante ac omittente.

Galli proinde non fallent, inquientes, Sessionis IV. decreta *fuisse integra*, scil. ex sententia, mente, voluntate, scopo, & fine Nationum, totiusvè Synodi, quæ integra omnia prælegi optabant & expectabant, neque in mutilationem ullo modo consenserunt.

Itali vere quoque dixerint: Sessionis IV. decreta *non esse integra*, si *factum* spectetur, cum fuerint præter spem atque Concilii opinionem mutilata.

De *fine & scopo Nationum*, quod integra prælegi per Zabarellam debuerint, *Itali* non disputabunt, quin dabunt facile.

De *facto* Zabarellæ, *Galli* ex fide dignis MSCtis, à nobis Tomo IV. allegatis, veritatem sponte agnoscent, neque refragabuntur; Cum illud nihil deroget decretis eorumque dignitati, sed vim potius decretis illatam arguat, quam Synodus publicis mox scriptis repetitisque ac resarcitis iisdem decretis abunde ulta.

Quod si forte Galli in Codicibus suis MSCtis Actorum Concilii, vel aliquibus vel plerisque, repererint in serie Decretorum Sessionis IV. scripta verba integra, quæ tamen non prælecta: Detur, dummodo sint autentica, cum inspicere non contigerit. Fieri namque potuit, ut Notarii Galli, qui in Concilio Acta & decreta consignabant, pro intentione Nationum integra omnia in hujus Sessionis decretis exprimerent, prout prælegi debuissent, ac prout integra in manibus fuerant Zabarellæ: Prout etiam in congregationibus Nationum pridie viderant atque legerant integra. Cum præ ceteris Galli indignissime ferrent, decreta isthæc per Zabarellam castrari, uti ex *Tomo IV.* liquet.

In *Gallorum* itaque *MSCtis* verba comparebunt, ut fuerunt *scripta* ac prælegi debuerant, pleneque erant manibus Zabarellæ oblata.

In *Italorum MSCtis* verba extabunt, ut sunt *prælecta*. Quibuscum conspirant *Codices Germanorum MSCti*. Quorum *permulti* in nostras venerunt manus. In quibus non quid fieri debuerat, vel & *scriptum* fuerat, sed quid factum & quid re ipsa *prælectum*, pro rerum gestarum indole ac fide consignatum.

Supervacanea igitur isthæc etsi acerba & sangvine plena Disputatio Gallorum atque Italorum, qui de pauculis Sessionis IV. verbis longa volumina contexuere: Dummodo utrorumque mens plene planeque explicetur, ut penes utramque partem diversa ratione stet veritas & fides.

Neque verò autoritatem decretorum, Sessione IV. mutilatorum, minuit, quod haud integra sint prælecta. Siquidem invito & reluctante indignanteque

 Concilio

Concilio illa contigit mutilatio, quam Concilium improbavit ac damnavit. Proindeque novâ proximâ Sessione sine mora universa restituit ac redintegravit.

Superflua proinde lis de Sessionis IV. decretis. Cum illa Sessio ex fatis iniquis, factoque Zabarellæ, per se veluti evanuerit, ac, quasi expirasset, per novam sequentem Quintam integriorem ac pleniorem regenita ac resuscitata fuerit. Ut abunde sufficiat, Decreta Concilii, si non Quartâ, Quintâ certe Sessione extare plena, incorrupta, immaculata atque perfecta. Quinta namque Sessio in locum Quartæ ob fata isthæc inexpectata successit. Tantoque nitidior quartæ sessionis facies effulsit in quinta, quanto ferventius in eisdem decretis emaculandis, expoliendis, perpurgandis, ornandis atque perficiendis omnis Concilii opera in Sessione quinta confluxit. Ut integra quinta referat ideam quartæ, qualis existere debuisset, ni labefactata fuisset. Pulchrior adeoque quinta utique compensabit labem quartæ.

Missa ergo lite de Sessione IV. quin umbrâ potius Sessionis IV. quæ luce Sessionis Vtæ est dispuncta, res omnis redit in Quintam Sessionem.

De hujus ergo Quintæ Sessionis Decretis, nova postremo suborta controversia: *Utrum & hac Sessionis Quinta integra plena atque perfecta decreta, plenam atque intemeratam habeant autoritatem?*

Nostrum hic non est & hanc discutere quæstionem, qui non nisi historiam perteximus. Sane *in ipso Concilio* his decretis eorumque fide nixi deinceps Concilii Patres, in rebus quibuscunque arduis atque difficilibus. Virtute illius Sessionis Johannes Papa examen meruit in Concilio publicum, quoad totum vitæ ambitum. Illius Sessionis pondere pressus, ejusdem vinculis constrictus, in carcerem concessit. Similique fato, eodemque jure, Benedictus XII. Papa in Concilio excommunicatus & exautoratus. Nec non Gregorius XII. ex Papa Cardinalis factus.

Ad hujus Sessionis argumenta publice magno verborum apparatu provocavit, tanquam irrefragabilia, summaque autoritate munita, *Gerson*, haud longe à principio Concilii, in *Oratione propemptica*, quando Cæsar è Concilio in Hispaniam pro Papa Benedicto debellando emigrabat. V. sup. *Tom. II. Parte XVII. f. 475.* Eandem machinam eademque tela ex Sessionis Vtæ pharetra petita vibravit in variis Conciliaribus scriptis, & sub finem Concilii, in Bavariam dilapsus, in *Apologetico* suo.

Longius hic *à fine Concilii* expatiari animus non est. Alioquin hoc Volumen non caperet, quæ de Autoritate Constantiensis Concilii, vel speciatim Decretorum Sessionis Quintæ, quin & Sessionis XL. & præ aliis, quod incipit, *Frequens Conciliorum celebratio*, tempore Senensis & Basiliensis Concilii magno molimine proposuerunt Ecclesiæ antistites, Cardinales, Episcopi, Doctores, aliique viri eruditi. Si cui tamen volupe fuerit in hæc velut per transeanam inspicere, consulat *Appendicem hujus Tomi.*

Subortæ postmodum in ipso Constantiensis Concilii fermento novæ subinde quæstiones, quæ Concilii autoritatem attingerent, diris autem ac longis motibus atque concertationibus non carerent.

In quibus erat *De jure novum eligendi Pontificem*, illudne Concilio & Nationibus, an illis solis, an Cardinalium Collegio junctis, an Cardinalibus duntaxat competeret. De qua controversia quamdiu & quantis utrinq; adhibitis machinis sit disputatum in Concilio, *Corpus Actorum* luculentissime docebit *Tom. IV.* à fine præsertim Anni XVI. usque ad novi Pontificis Martini V. electionem, per Concilii Nationes Cardinalibus sociatas instructam, sub finem Anni XVII.

De his igitur similibusque Concilii dignitatem concernentibus scrupulis, *Constantiæ*, in ipso Concilii theatro palam stitit Opus celebre, d. 1. Octobr. A. 1416. *in templo S. Stephani* publice prælectum atque publicatum, PETRUS DE ALLIACO, CAMERACENSIS CARDINALIS. Inventâ eodem seculo typographiâ, typis

mox

mox excuſum hoc Alliacenum monumentum, aſt ſine loco, ſine conſule & die, quin & ſine fronte aut titulo, quemadmodum prima illa ætate typographis non erat inſolens. In fine nihilominus hic autoris indiculus attextus: *Explicit quidam tractatus Petri de Alliaco, de poteſtate Papæ & autoritate Cardinalium, factus per eum in Concilio Conſtantienſi poſt depoſitionem Johannis Papæ viceſimi tertii.*

Nos ex præclaris & antiquis dabimus *MSCtis*, hoc in *Vindob.* charactere t *Tractatus de Eccleſiaſtica poteſtate, editus per Dominum Cardinalem Cameracenſem in ſacro Concilio Conſtantienſi Anno &c.* 1416.

PETRI DE ALLIACO
Cardinalis Cameracenſis
tractatus
DE ECCLESIASTICA POTESTATE
Sive
Conſtantienſis Concilii autoritate & Fatis.
In Conſtantienſi Concilio ſcriptus,
& A. 1416. *d.* 1. *Octobr.*
In Eccleſia S. Pauli ſolenniter ibidem prælectus ac publicatus.
Ex *antiquiſſimis Codicibus MSCtis*
CÆSAREO VINDOBONENSI, *Parte IV. Act. C. C. f.* 211.
& HELMSTADIENSI.
Præfatio Cardinalis.

In MSC. Vind. & Helmſt.

Chriſti nomine invocato, cui data eſt ipſo teſte omnis poteſtas in cœlo & in terra, *Matthæi ultimo: De Eccleſiaſtica poteſtate ab eo derivata* tractatum hunc brevem aggredior, exordium faciens à verbo Apoſtoli, *ad Tit. I.* Ubi docens qualem oporteat eſſe *Epiſcopum*, inter cætera admonet, *ut potens ſit exhortari in doctrina ſana, & eos, qui contradicunt, arguere.* Quibus verbis exprimit, *duo* eſſe *opera Catholici Doctoris*: Primum, *ſanam doctrinam prædicare*, quod eſt exhortari in doctrina ſana. Secundum, *falſam doctrinam reprobare*, quod eſt, eos, qui contradicunt, arguere. Hæc ſunt ſecundum Ariſtotelem *duo ſapientis opera*: Primum, *non mentiri* de quibus novit. Secundum, *mentientem manifeſtare poſſe.*

Hac igitur conſideratione permotus ego *Petrus, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis, Cameracenſis* vulgariter nuncupatus, minimus *ſacræ Theologiæ Profeſſor*, conſiderans, & non ſine cordis amaritudine recogitans, nonnullos, *in gravem hujus Concilii Conſtantienſis injuriam*, plurimos, quandoque in ſermonibus, quandoque in aliis actibus, errores ſeminare: Adverſus quos cum dixiſſet Apoſtolus: *Et eos, qui contradicunt, arguere*, cauſam ſubjunxit: *Sunt enim multi inobedientes, vaniloqui & ſeductores*: Propoſui *ad honorem hujus ſacri concilii* aliquas *veritates catholicas* ſtabilire, & etiam errores plurimos confutare.

Et ut hoc ſalubriter fieri valeat, Chriſtum ſupplex exoro, ut ſuâ ſtabilitus gratia potens ſim, juxta verbum Apoſtoli, *exhortari in doctrina ſana, & eos, qui contradicunt, arguere.*

In quo quidem verbo conſiderandum nobis eſt, quod notanter dicit Apoſtolus: *In doctrina ſana.* Quia non ſufficit, Doctorem Theologum exhortari in qualibet, ſeu quantumlibet *vera doctrina*, niſi & ipſa ſit *doctrina ſana*, id eſt, ad ſanitatem animæ ſpiritualem ſive ad virtutem & ſalutem ædificativa. Qualis eſt *doctrina Scripturæ ſacræ*, in qua ſuper omnem aliam doctrinam ſingulariter conſiſtit vitæ ſpiritualis virtus, & ſalutaris ſanitas animæ. Propterea dicitur ipſa *liber vitæ, Eccleſiaſtici XXIV.* Et de Doctoribus ejus ſcribitur: *Multitudo autem ſapientum ſanitas orbis terrarum. Sap. VI.*

Ubi diligenter notandum eſt, quod ſicut ſanitas corporis conſiſtit in quadam

dam proportione media inter extremas qualitates contrarias, sic *virtus moralis*, quæ magna pars est sanitatis animæ, secundum Philosophum, *II. Ethicor.* consistit in medio, scilicet, inter duo extrema vitia contraria. Et quodammodo proportionaliter doctrina Scripturæ sacræ, in qua complementum est totius sanitatis spiritualis, consistit quasi media inter errores plurimos, & sæpe inter errores contrarios. Nam plurimum contingit, quod volentes vitare errorem aliquem, periculosius in errorem contrarium dilabuntur, inter quos duos errores *doctrina sana* in medio consistit.

Sic enim *in libro de duabus naturis & una persona Christi* ostenditur, quod fides medium tenet inter duos errores contrarios, *Nestorii* scil. & *Eutychis*.

Consimili modo *circa Ecclesiasticam potestatem* medium docet veritas Catholica inter duos errores. Nam error *Waldensium* fuit, quod successoribus Apostolorum, sive *Papæ & Prælatis Ecclesiasticis repugnet dominium in temporalibus, nec eis liceat habere divitias temporales*. Unde Ecclesiam Dei & successores Apostolorum, & veros Prælatos Ecclesiæ durasse dicunt tantum usque ad Sylvestrum. A quo, donatione facta Ecclesiæ per Constantinum Imperatorem, dicunt incepisse *Romanam Ecclesiam*, quæ modo est, quæ secundum ipsos non est Dei Ecclesia sed jam defuisse dicunt, nisi in quantum in ipsis est continuata, vel per ipsos reparata. Ad quod inducunt autoritates Evangelii, quæ suadent consilium Evangelicæ paupertatis. Ex quibus quasi de *consilio* volentes facere *præceptum*, dicunt, *Ecclesiæ Prælatos*, Apostolorum successores, *non debere in temporalibus divitiis habere dominium*. Et hunc antiquum errorem noviter resuscitare nisi sunt duo pernitiosi hæretici, *Johannes Wicleff* in Anglia, & ejus discipulus *Johannes Huss* in Bohemia, novissime in hoc sacro concilio condemnati.

Waldensium sententia de bonis clericorum.

Alius vero error fuit *Herodianorum*. Herodes enim audiens Christum Regem natum, credidit, ipsum Regem esse terrenum. Ex quo derivari videtur *error* quorundam, qui in tantum ad oppositum prædicti erroris Waldensium declinant, ut asserere præsumant, *Papam*, in quantum est loco Christi in terris, ab ipso immediate *habere primariam autoritatem, dominium & jurisdictionem in temporalibus bonis*, non solum Ecclesiæ donatis, vel alias juste acquisitis, sed *etiam Principibus secularibus subjectis*. Licet dicant, quod Papa in his non habet executionem immediatam, nisi in quibusdam casibus, notatis *Extrav. Qui filii sunt legitimi, cap. Per venerabilem*.

Inter hos autem duos errores contrarios veritas Catholica medium tenet. Videlicet, quod *Papæ & Prælatis Ecclesiæ non repugnet habere* dominium in temporalibus & jurisdictionem: Contra primum errorem. Nec tamen eis debetur, per se ratione status sui, in quantum sunt vicarii Christi, & Apostolorum successores: Contra secundum errorem. Sed eis convenire potest habere talia, *si eis ex devotione collata fuerint*, vel aliunde justo titulo acquisiverint.

Sic consimiliter *in hoc sacro concilio* errores contrarii *circa Ecclesiasticam potestatem* & à nonnullis periculose seminati sunt.

Inter cæteros errores *quidam Papæ Romanæ Ecclesiæ autoritatem* taliter *extulerunt*, ut potestatem generalis concilii enervarent: Alii verò e contra, sicut plenius inferius apparebit.

Ideo inter hos aliosque errores contrarios *medium* veritatis catholicæ tenere cupiens, hoc opus aggredi Christo auxiliante decrevi. Hujus autem tractatus *tres erunt partes*. *Prima* de primæva origine Ecclesiasticæ potestatis.

Secunda, de jure ministrorum Ecclesiæ, quod habent in Ecclesiasticis bonis.

Tertia, de papalis potestatis plenitudine, & an subsit judicio concilii generalis.

Prima pars continebit *quatuor capitula*. *Primum* duodecim præmittit conclusiones fundamentales. *Secundum* ad eas inducit juris humani allegationes. *Tertium* circa statum hierarchicum Ecclesiæ fundat duodecim propositiones. *Quartum* de autoritate Romanæ Eccle-

siæ

siæ deducit decem correlarias conclusiones.

Secunda pars, quæ est de jure ministrorum Ecclesiæ, quod habent in Ecclesiasticis bonis, *duo continebit capitula.*

Primum circa hoc ponit decem & octo propositiones, in jure naturali, divino & humano fundatas.

Secundum ex præmissis infert decem propositiones correlarias.

Tertia pars, quæ est de papalis potestatis plenitudine, & an subsit judicio concilii generalis, *quatuor* habebit *capitula.*

Primum, de hac quæstione, utrum plenitudo potestatis Ecclesiasticæ resideat in solo Romano Pontifice. *Secundum*, utrum Papa subjiciatur concilio generali, non obstante prædictæ potestatis plenitudine. *Tertium* circa hoc recitabit opinionem contrariam veritati Catholicæ. *Quartum* ponet veram decisionem & reprobationem opinionis præmissæ.

PRIMA PARS

De primæva origine Ecclesiasticæ Potestatis.

CAP. I.

Conclusiones XII. De origine & electione Papæ, Cardinalium & Episcoporum.

QUia secundum Philosophum scire est rem per causam cognoscere, ideo, quæ, (ideoque) qualis & quanta sit *potestas Ecclesiastica*, facilius apprehenditur, si ejus *prima & originalis causa* prænoscitur. Eapropter in hujus tractatus principio *de origine Eccclesiasticæ potestatis* aliquas *conclusiones*, plurium dubiorum exclusivas, breviter recolligere dignum duxi.

Concl. I. *Prima* est, quod *Ecclesiasticæ potestates* leguntur in Evangelio à Christo suis *Apostolis* & discipulis pro ipsis & eorum successoribus, *ministris Ecclesiasticis*, fuisse collatæ.

Prima *potestas consecrationis*, quæ interdum dicitur *character* vel *potestas ordinis*. Quam contulit Dominus, quando dixit: Hoc facite in meam commemorationem *Luc. XXII.*

Secunda est *potestas administrationis sacramentorum*, & præcipuè sacramenti *pœnitentiæ*, quæ est *potestas clavium*, vel spiritualis jurisdictionis in foro conscientiæ. Et hæc potestas promissa fuit Petro, quando dixit Dominus: *Tibi dabo claves* &c. *Matth. XVI.* Promissa etiam fuit omnibus, *Ibi: Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis &c. Joh. XX.*

Tertia est *potestas* seu autoritas Apostolatus sive *prædicationis*, quam tradidit eis Dominus dicens: *Euntes prædicate &c. Matth. X.*

Quarta est *potestas judiciariæ correctionis* in foro exteriori, per quam timore pœnæ peccata corriguntur, præcipue, quæ sunt in scandalum Ecclesiæ. Et hæc data est eis ibi: *Si peccaverit in te frater tuus &c. & si non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus.* Et sequitur: *Quæcunq; ligaveritis* &c. Matth. XIIX.

Quinta est *potestas dispositionis ministrorum*, quoad determinationem *jurudictionis Ecclesiasticæ*, ut evitetur confusio & dissensionis materia, in populo & inter ministros, si ipsi æqualiter & indistinctè de omni populo curam haberent. Et hæc potestas collata est Petro & successoribus ejus, cui specialiter dictum est: *Pasce oves meas* &c. *Joh. ultimo.*

Sexta *potestas* est *accipiendi necessaria vitæ* ab his, quibus spiritualia ministrabant. Et hæc potestas declarata est, ubi dicitur: *Euntes prædicate* &c. ubi subditur: *Dignus est operarius cibo suo, vel mercede sua, Matth. X. & Luc. X.*

Aliam ergo potestatem præter illas *sex* non acceperunt discipuli à Christo, nisi *miracula faciendi* ad confirmationem fidei. In qua non necessario succedunt eis Episcopi & alii presbyteri. Quia jam non indiget fides miraculis confirmari.

Secunda conclusio est, quod *prædictæ sex potestates* à principio *communes* fuerint, & quasi *pares omnibus Apostolis*, præ- Concl. II.

De usu jurisdictionis Ecclesiasticæ inter Apostolos eorumq; successores

ter *quintam*, quæ Petro specialiter collata est. Nam potestas jurisdictionis licet *quasi æqualiter* collata fuerit omnibus Apostolis, & sine determinatione ubique & in quemlibet *poterat quilibet ea uti*, sicut Paulus ubique sine determinatione populum hierarchisabat. Tamen quod ex hoc confusio sequi poterat, ut dictum est, ideo Dominus hoc prævidens contulit Petro pro se & suis successoribus *autoritatem disponendi ministros Ecclesiæ*, & determinandi jurisdictionem, dicens: *Pasce oves meas*, id est, sis Pastor & Prælatus generalis, ad quem pertineat dispositio, & regimen generale ovium & ovilis. Et sic quamvis omnes Apostoli eandem habuissent à Christo potestatem & æqualem clavium & jurisdictionis, non tamen jurisdictionem sive materiam subjectam, secundum aliquos, habuit nisi Petrus, & cui committere voluit. Et ita secundum hunc intellectum in Petro fuit ista plenitudo potestatis, quam tamen postea divisim aliis dedit, vocans eos in partem sollicitudinis. (*In MSC. Helmst.* aliis dedit vicariis, eos in partem sollicitudinis vocans.)

De Petro quo sensu caput Ecclesiæ dici potuerit.

Tertia conclusio sequitur ex prædictis; Quod, sicut Apostoli & discipuli, sic *Episcopi & presbyteri*, *Ecclesiæ ministri*, *à Christo immediate potestatem Ecclesiasticam susceperunt*, tanquam ab eo, qui solus est proprie & maxime caput Ecclesiæ. Tamen nihilominus *Petrus*, & quilibet ejus vicarius Pontifex summus, potuit dici *caput Ecclesiæ*, *in quantum principalis est inter ministros*, à quo tanquam à principali hierarcha & architecto aliquo modo dependet totus ministrorum Ecclesiasticus ordo. Unde, licet cæteris Apostolis generaliter dictum sit; *Quæcunq; ligaveritis*, &c. tamen, quia hoc ei singulariter dictum est, ideo specialiter dicitur claves accepisse, propter principalitatem, quam à Christo præ cæteris immediate susceperit.

Quarta conclusio est, quod Petrus fuit prius Pontifex summus, quam Episcopus Romanus, utrumque tamen Episcopatum à Christo immediate recepit.

Pro cujus declaratione sciendum est, quod, quando Christus Petrum constituit Pontificem summum, dicens: *Pasce oves meas*, simul & eisdem verbis dedit ei *potestatem eligendi sedem*, ubicunque vellet, & ut ibi esset particularis Episcopus. Unde, sicut Ecclesiasticæ tradunt historiæ, & sanctorum Patrum decreta testantur, *Petrus quatuor annis tenuit cathedram Ecclesiæ*, *nullam sibi particularem Ecclesiam eligendo*, sed tanquam Prælatus & caput omnium fidelium sedebat, ubicunque volebat. Unde in Hierusalem, ubi legitur Jacobus statim post passionem Domini à Petro & Apostolis fuisse Episcopus ordinatus, Petrus, licet ibi omnibus præfuerit, tamen illam Ecclesiam, tanquam sibi specialem non elegit, sed postea his quatuor elapsis fere annis, *Antiochiæ* sedit annis septem, & illam sibi Ecclesiam appropriavit. Deinde vero *apparente sibi Christo & eidem revelante*, sedem suam Romam transtulit, & ibi factus est *Romanus Episcopus*. Et ita ex tunc in Petro & suis successoribus duo Episcopatus concurrerunt, videlicet universalis Ecclesiæ, & particularis Ecclesiæ Romanæ.

De Antiochenæ & Romanæ Ecclesiæ prærogativa.

Ex quibus sequitur *quinta conclusio*, quod prius *Antiochena*, & deinde *Romana Ecclesia*, super ceteras Ecclesias obtinuit principatum, & à tempore quo Petrus & sui successores summi Pontifices fuerunt, & erunt Episcopi Romani, Ro. Ecclesia fuit & erit caput omnium Ecclesiarum particularium, ac totius universalis Ecclesiæ, hac videlicet ratione, quod ejus particularis Episcopus est *caput* universalis Ecclesiæ, eo modo loquendi, quo *una metropolitana Ecclesia dicitur caput omnium Ecclesiarum suffraganearum*. Quia Episcopus ejus est caput, seu ArchiEpiscopus earundem. Et in hanc sententiam concordant Ecclesiasticæ historiæ ac Sanctorum Patrum decreta. Unde *ad hunc sensum* negare Romanam Ecclesiam esse caput omnium Ecclesiarum est hæreticum, sicut negare summum Pontificem esse caput Ecclesiæ.

De nominibus Papato, Car-

Sexta conclusio: Licet *nomina Papatus & Cardinalatus* tempore Petri & aliorum Apostolorum non fuerint in usu Ecclesiæ, sed postea crescente Eccle-

sia

dinalatus Patriarchatus ArchiEpiscopatus & Episcopatus.

sia, in titulum honoris ex devotione fidelium, hæc nomina, sicut & *nomina Patriarcharum, Primatum, ArchiEpiscoporum & Episcoporum*, in usum venerint à sanctis Patribus approbatum: Tamen Ecclesiasticæ potestates dictis nominibus papatus & cardinalatus nunc designatæ, ex tunc in Apostolis præfuerunt, videlicet *in Petro papalis dignitas, & in cæteris Apostolis cardinalatus autoritas.*

Pro cujus declaratione sciendum est, quod, sicut patet ex decursu historiæ Actuum Apostolorum, & aliis Ecclesiasticis historiis, ac sanctorum Patrum decretis, ante divisionem Apostolorum, per quam ad diversas mundi partes dispersi sunt, Apostoli Petro, tanquam (Papale) officium gerenti, assistebant tanquam cardinalatus ministerium exercentes, sicut nunc *Papæ assistunt Cardinales, tanquam ejus principales assessores & consiliarii*, atque cooperatores in regimine universalis Ecclesiæ. Postquam verò Apostoli à Petro separati in opus prædicationis diversa mundi loca perlustrantes speciales sibi diœceses sortiti sunt, ex tunc episcopale officium exercuerunt. Unde ex hoc potest inferri, quod dicti *Apostoli prius fuerint Cardinales quam Episcopi*, seu, quod prius exercuerint Cardinalatus ministerium, quam Episcopale officium.

De quorum cardinalatu spiritualiter intelligi potest illud Propheticum: *Domini sunt cardines terræ, & posuit super eos orbem.* Ex quo sequitur, quod prius fuerint *cardines orbis* quam *urbis*. Nam sicut Petrus prius fuit *Papa orbis*, id est universalis Ecclesiæ, antequam Episcopus Ecclesiæ Romanæ, ut dictum est, sic & Apostoli prius fuerunt *Cardines orbis*, quam aliqui fierent *Cardines Romanæ urbis.* In signum vero hujus distinctionis in investitura papatus dicitur Papæ: *Investio te de papatu Romano, ut præsis urbi & orbi.* In utraque verò tam urbis quam orbis præsidentia coassistunt Papæ Cardinales, tanquam speciales ipsius coadjutores, vice & nomine tam Romanæ quam universalis Ecclesiæ. Et ideo Papa ante suam consecrationem profiteri debet, sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium consilio, consensu, directione & rememoratione, ministerium suum gerere, atque peragere, ut patet *in professione*, quam fecit *Bonifacius IIX.*

De prærogativa Cardinalium & Episcoporum.

Ex præmissis fundatur *septima conclusio*, Quod sacro *collegio* vel senatui *Apostolorum succedat in ordine hierarchico sacrum collegium Cardinalium*, videlicet quantum ad illum statum, quo Apostoli coassistebant Petro, antequam post eorum divisionem fierent particularium Ecclesiarum Episcopi. *Statui* autem *Apostolorum, in quantum fuerunt Episcopi, succedit ordo Episcoporum.* Et ita intelliguntur dicta sanctorum, ex quibus sumitur illa glossa *Luc.* X. super verba: *Designavit & alios septuaginta duos* &c. ubi dicitur, quod sicut in Apostolis forma Episcoporum, sic in septuaginta duobus discipulis forma est ministrorum secundi ordinis, & omnis potestas sacerdotalis ad hos duos ordines reducitur.

Si verò objiciatur, quod *Cardinales Diaconi* non succedant Apostolis, cum omnes fuerint presbyteri: Respondetur, quod licet non succedant in ordine Presbyteratus, tamen succedant in ordine diaconatus. Et nihilominus succedunt eis, quantum ad ordinem hierarchicum Cardanalatus, ad intellectum superius declaratum. Unde quantum ad hoc, *Cardinales Diaconi* non solum jure prædicto, sed etiam ex laudabili & approbata consuetudine jam præscripta *præcedunt Episcopos*, licet ordo Episcopalis & sacerdotalis dignior sit ordine diaconatus. Sicut verbi gratia archidiaconus, licet non sit presbyter, tamen præest pluribus presbyteris, suo archidiaconatui ordine hierarchico subjectis. Prædicta autem *consuetudo* processit, ut verosimiliter creditur, *ex traditione Apostolorum & suorum successorum*, sicut patet ex approbatis Ecclesiasticis historiis. Nam in historia Damasi de pluribus summis Pontificibus dicitur, quod fecerint ordinationes, videlicet tot presbyteros, tot diaconos, tot per diversa loca Episcopos. Ubi patet, quod presbyteri & diaconi Romani præferuntur Episcopis. Secundo patet quod ad Pontifices Romanos pertinet, Episcopos ordinare.

Sic enim *Papa* aliquando *concessit* quibusdam *Regibus jus eligendi summum Pontificem*, vel aliquando aliis. Sed secundum opinionem prædictam hoc non fecit, quod ipse solus habuerit potestatem hujusmodi jus concedendi, sed, quod Romani vel in eum solum, vel in eum & alios simul, qui gesserunt vicem Romanorum, prædictum jus transtulerunt.

Sic *Hadrianus Papa*, ut habetur in Decreto, non solus, sed ipse & synodus celebrata Romæ, in qua plures fuerunt Romani, tradiderunt Carolo Regi jus & potestatem eligendi summum Pontificem, & ordinandi Apostolicam sedem.

Sic etiam *Leo Papa*, ut in Decretis legitur, non solus, sed cum multo clero & populo Romano jus concessit Ottoni I. Regi Teutonicorum, summum sedis Apostolicæ Pontificem ordinandi.

Sic deniq; *Nicolaus* Papa, non sine consensu Romanorum in quadā Romana synodo centum & tredecim Episcoporum hanc electionem & potestatem Cardinalibus contulit. Quæ potestas pluribus juribus & consuetudine præscripta firmata est.

Hic tamen notandum, quod per præmissa non tollitur, quin Papa etiam ex ordinatione Christi & ex potestate collata sibi à Christo, in aliquo casu habeat potestatem ordinandi, qui debeant eligere successorem suum. Cujus ratio est, quod Christus sufficienter providit Ecclesiæ in omnibus necessariis. Ideo committendo Ecclesiam suam beato Petro, dedit ei & successoribus suis plenitudinem potestatis in spiritualibus quoad omnia necessaria Ecclesiæ suæ, *salvo tamen jure aliorum, quando debite volunt & possunt uti jure suo.* Ita, ut Papa in omnibus necessariis possit supplere in spiritualibus defectum illorum, qui nolunt vel non possunt uti jure suo. Et ideo, quia ex jure divino Romani habent jus eligendi Episcopum suum, Papa non habet potestatem ordinandi de electione eadem in præjudicium Romanorum, quando ipsi vellent vel possent ad bonum commune uti jure suo. Solus ergo Papa potest habere jus ordinandi de electoribus, & de modo electionis sui successoris, si Romani transtulerunt jus suum in Papam, vel etiam, si Romani in ordinando de electoribus Romani Pontificis invenirentur in detrimentum Ecclesiæ negligentes.

Et satis *probabile* est, *quod Romani tale jus aliquando transtulerunt in Papam.* Et ideo ex tunc potuit Papa solus concedere potestatem eligendi summum Pontificem, vel Imperatoribus, vel Regibus, vel vicinis Episcopis, vel clero Romano, vel canonicis Ecclesiæ Romanæ, vel aliis, maxime Cardinalibus, prout ei visum fuerit, utilitati Ecclesiæ convenire.

De jure eligendi summum Pontificē, si electores concesso sibi jure abutantur: An ad Concilium spectet?

Ex præmissis secundum opinionem prædictam infertur *duodecima conclusio*, Quod, quia res de facili ad naturam suam revertitur, *si electores Romani Pontificis*, sive Cardinales, aut alii, in quos Romani jus suum transtulerunt, *ex culpa sua jus aut potestatem suam hujusmodi perderent*, in hoc casu *reverteretur ad Romanos*, nisi Papa, habens in hoc Romanorum potestatem, aliter ordinaret de electoribus hujusmodi. Et ideo si sede vacante casus prædictus contingeret, tunc jus eligendi & *ordinandi de electoribus* ad Romanos pertineret, secundum opinionem prædictam.

Sed tamen *probabilius* videtur posse dici, quod in casu præmisso *jus* prædictum *pertineret ad generale concilium*, si faciliter & convenienter posset congregari, aut si de facto esset *sufficienter congregatum*. Et hoc maxime patet ex illatione (illa ratione) supra tacta, quod Papa non solum est Romanus Episcopus, sed etiam summus Pontifex *Romanæ Ecclesiæ, quæ in concilio repræsentari censetur.*

Ex omnibus præmissis patet manifesta reprobatio cujusdam *falsæ opinionis*, quam recitavi in *tractatu de Reformatione Ecclesiæ*, videlicet quorundam, statum Cardinalium nimis rigorose deprimentium, ipsumque reprobantium, sicut reprobatus est status Chor-Episcoporum, asserentium, quod Cardinalatus non sit gradus Ecclesiasticæ hierarchiæ, nec statui Apostolorum quovismodo succedens. Quem errorem aliqui in hoc sacro concilio suscitare ac renovare nisi sunt.

CAP.

Cap. II.

Probatæ & illustratæ superiores XII. Conclusiones de Origine & electione Papæ, Cardinalium & Episcoporum.

AD confirmationem prædictarum conclusionum nonnullas hujusmodi *juris allegationes* expedit inducere.

Circa *primam conclusionem* sciendum est, quod prima & secunda potestas secundum aliquos sunt una potestas secundum essentiam, sed differentes secundum diversos actus, respectu corporis Christi veri & mystici. Imo *totam potestatem*, *traditam Apostolis à Christo*, videntur canones *comprehendere sub potestate ligandi & solvendi.*

Et in hac potestate, juxta *secundam conclusionem*, omnes Apostoli cum Petro consortio pari honorem acceperunt, ut *dist.* 21. *In novo.* Ubi etiam fit mentio de potestate prædicandi, de qua *XIX. dist. Ita Dominus.* Ubi concluditur, quod hujus muneris sacramentum ita Dominus ad omnium Apostolorum officium pertinere voluit, ut in beatissimo Petro Apostolorum summo principaliter collocaret, ut ab ipso quasi quodam capite dona sua velut in corpus omne diffunderet.

Unde etiam juxta *tertiam conclusionem* in dicto *capitulo: In novo*, dicitur, quod Episcopi successerunt loco Apostolorum. Et ideo, licet habeant potestatem ordinis vel consecrationis parem cum Papa, quoad plenitudinem exercitii ipsius potestatis, tamen non habent parem dominii administrationem: Quia juxta secundam conclusionem solùm vocati sunt in partem sollicitudinis quoad suas diœceses, Papa vero in plenitudine potestatis, quoad totum mundum. Ut 2. *q. VI. Qui se scit, & De Usu pallii, c. Ad honorem.* Unde etiam juxta tertiam conclusionem, Petrus fuit principalis inter Apostolos, quia etiam fuit major aliis in administratione, ut 2. *q.* 7. *Puto.* Ubi dicit Augustinus, quod in Petro fuit principatus Apostolatus. Solus enim Petrus inter Apostolos principatum gerebat. *II. q. VII. Paulus : Cephas*, id est, caput dictus est, quia principatum teneret Apostolatus, ut 22. *d. sacrosancta*, ad idem *De Elect. Fundamenta, lib.* 6. His itaque atque pluribus jurium concordantiis tres primæ conclusiones simul probatæ sunt.

Circa *quartam conclusionem* vide *VII. q. I. Mutationes.* Ubi dicitur, quod Petrus de Antiochia translatus est Romam, ut ibidem potius proficeret. Idem 22. *di. sacrosancta.* Et hæc translatio jubente Domino facta est, 24. *q.* 1. *Rogamus.* Et idem capitulum facit pro *quinta conclusione*, quia ibi dicitur, quod Antiochena sedes, quæ olim erat prima, cessit Romanæ sedi. Et nulla est sedes, quæ non sit eidem Romanæ subjecta. Quod autem hæreticus sit, qui negat, Romanam Ecclesiám esse caput aliarum Ecclesiarum, habetur 22. *di. Omnes.*

Circa *sextam conclusionem* nota, quod aliquibus videtur, quod *Sylvester* fuit primus, qui Cardinales vocavit, ut *II. q. IIII. præsul.* Et fuit illud capitulum conditum in generali concilio, ut *ibi* patet. Aliis videtur, quod *Marcellus* Papa. Et de hoc per Archidiac. *De elect. Ubi majus, lib.* 6. Et in hoc non refert. Quia debet attendi effectus & non vocabulum, *De verborum signif. c. Intelligentia*, cum tribus capitulus sequentibus. Et nota, quod Hostiensis & quidam Doctores Canonistæ multa ponunt de autoritate Cardinalium, tam sede vacante, quàm plena, ut in capitulo *Ad deliberandum, De Judæis:* In cap. *Cum ex eis, De Pœn. & remissione, Antiqua, De Privilegiis.* In cap. *Nullus*, 17. *di. In cap. Ego, N. De Jure jurand. In cap. Fundamenta, De elect. In cap. II. De Offic. legati. lib.* 6. In cap. *Ad Apostolica, De rejudi. eodem. lib.* & in *Extravag. Execrabilis.*

Circa *septimam conclusionem* nota, quod *Cardinales*, etiam non Episcopi, præcedunt Episcopos, quia comparantur Senatoribus, qui erant primi post Imperatorem, & dicebantur *Patres conscripti.* De hoc per *Archidia. de Offic. leg. cap.* 1.

cap.1, lib. 6. & pro hoc 96. *di. Constantinus.* Ubi concedit Constantinus, ut utantur ornamentis Senatorum. Et dato, quod nullo jure probaretur, sufficit, quod sic est receptum à tempore, de cujus contrario non est memoria. Nam tale tempus habet vim legis, *De prascript. cap. I. lib.* 6. Et hoc facit pro *octava conclusione.*

Item Cardinales, etiam non Episcopi, habent in suis titulis jus Episcopale, ut notat *Jo. Mo. De Major. & obed. cap. uno, lib.* 6. Nec obstat, de Cardinalibus Diaconis, qui minores sunt in ordine sacramentali. Nam stat, quod aliquis sit cum alio par vel minor in ordine, & tamen major in administratione, sicut Archidiaconus Archipresbytero, (in MSC. Helmst. sicut Archypresbyter & ArchiDiaconus) ut 25. *di. Perlect.* Unde sacer ille senatus Cardinalium à cardine nomen accepit, ut 22. *di. sacrosancta*, super verbo *Cardo* notavit *Archi-Diaconus.*

Circa *nonam conclusionem* nota, quod electio Papæ pertinet ad Cardinales, non solum de jure, sed etiam de consuetudine diu obtenta, ut notat Hostiensis, *de Elect. Licet.* Et hæc consuetudo secundum Philosophum dicitur altera natura, & habet vim legis, & legem interpretatur & corrigit, ut *De consuetudine, Cum dilectus.* Item ad Cardinales pertinet hæc electio tanquam ad clerum Romanum, seu principales de clero Romano. *Argu.* 23. *di. cap. I.* Facit *LXXIX. di. cap. I. & cap. Si quis ex, & cap. Si quis pecuniam.*

CAP. III.

XII. Hypotheses De dignitate, officiis & juribus Papæ & Cardinalium.

Et IV. Propositiones De modo novum Papam in Constantiensi Concilio creandi.

SEd ultra jura præmissa, humana & positiva, restat *in jure divino* fundare *statum hierarchicum Cardinalium, & eorum autoritatem.*

Ubi primo supponendum est, quod Christus Ecclesiam suam instituit, statibus, officiis & gradibus variis hierarchiæ distinctam, juxta illud Apostoli ad *Eph. IV. Unicuique nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi, propter quod dicit: Ascendens in altum dedit dona hominibus, & ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem pastores & Doctores, ad consummationem sanctorum, in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi*, quod Ecclesia. Et eadem sententia habetur *I. Cor. XII.*

Et hæc perfecta & completa *statuum distinctio* maxime *in die Ascensionis* instituta est, ut notant præmissa verba Apostoli allegantis illud Psalmi: *Ascendens in altum dedit dona, &c.*

Ex quo sequitur, quod *varietas officiorum, statuum, graduum, & dignitatum in Ecclesia, non principaliter est ex institutione Ecclesiæ*, aut cujuscunque hominis puri autoritate processit: Quare nec eam destituere potest, sive destruere.

Ulterius supponitur, quod præmissa officiorum varietas ad sui pulchritudinem *ordinem* requirit (*in MSC. Helmst.* quod ex præmissa officiorum varietate ad sui pulchritudinem & ordinem requirit,) quod inter autoritates Ecclesiæ regitivas sit *hierarchica subordinatio*, & quod una, scilicet *papalis autoritas*, sit suprema, ex Christi institutione, & non tantum humana autoritate, sed divina, juxta illud *Joh. XX. Pasce oves meas* &c. Unde, licet pluraliter dicat Apostolus: *Dedit Apostolos* seu Episcopos &c. tamen ad juvandum id, quod dictum est, præmisit: *Unicuique nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi*, quasi diceret, quod uni plus & alteri minus donatum est, & uni supremum regimen Ecclesiasticum sit commissum. Ideo dicit Apostolus *II. Cor. X. Nos non in immensum gloriamur, sed secundum mensuram regulæ, qua mensus est nobis Deus.* Ubi glossa: *Usurpantes sibi regimen animarum sine commissione Christi aut sui vicarii, vel potestatem commissam ultra terminos sibi præfixos*

fixos extendentes, non secundum mensuram regula, sed in immensum gloriantur.

Ex præmissis infertur, quod sicut status Papæ, sic & post eum *status Cardinalium* ad ordinem hierarchicum Ecclesiæ *ex Christi institutione* pertinet. Nam ipsi, quantum ad hunc statum, statui Apostolico immediate succedunt.

Pro cujus declaratione sciendum est, quod *Apostoli* possunt *tripliciter considerari. Primo*, ut Christo præsentialiter adstiterunt ante ejus ascensionem. *Secundo*, ut astiterunt Petro tanquam primo pastori ante Apostolorum divisionem & separationem à Petro. *Tertio*, ut ex præcepto Christi postea à Petro separati per mundum se diviserunt, ut in sexta conclusione tactum est. In primo statu Apostoli fuerunt pares, nec Petrus eis præerat. In secundo & tertio statu præerat eis Petrus. Et quantum ad primum & secundum statum Cardinales repræsentant Apostolos, in hoc, quod assistunt Papæ, qui est Christi vicarius, & Petri successor. Sed quantum ad tertium statum, Episcopi succedunt Apostolis, ut in dicta sexta conclusione ostensum est. Et hoc notavit Apostolus, distinguens (MSC. Helmst. designans) status Ecclesiæ. Quia distinguit statum pastoralem, cui incumbit cura animarum particulariter, à statu Apostolico, ad quem spectat regimen & ordinatio totius Ecclesiæ generaliter. Et juxta hanc sententiam dicit *Archidi. 22 di. cap. Sacrosancta*, quod Papa se debet inter Cardinales annumerare ratione status Apostolici, in quo sunt, condividendo eum à pastorali statu, licet etiam Apostoli fuerint pastores, sed status in se sunt divisi (diversi,) & prius fuerunt in statu Apostolico per Christum instituti, quam in pastorali per Petrum: Quia ante passionem omnes duodecim fuerunt Apostoli, sed post passionem institutus est Petrus à Christo omnium pastor, & tunc status pastoralis ordinatus, cum Apostolicus status ante fuisset: Petrus ergo & sui successores utrumque retinuerunt statum, sed Cardinales Apostolicum duntaxat.

Et ista *diversitas inter* nunc vocatos *Cardinales* & *Archi Episcopos*, & *Episcopos*, qui in statu Apostolico vario modo succedunt Apostolis, notatur in glossa *I. Cor. III.* super illud, dictum fidelibus: *Omnia vestra sunt, sive Paulus, sive Apollo, sive Cephas.* Nam, ut dicit glossa: *Paulus erat Apostolus Corinthiorum, Apollo erat Archi Episcopus eorum: Cephas*, id est, Petrus, *omnibus major erat.*

Unde ulterius sequitur, quod *ad statum Cardinalium*, tanquam ad statum Apostolicum, primo pertinet *unà cum Papa regimen & ordinatio totius Ecclesiæ.* Nam, sicut perfectio Episcopalis status in hoc consistit, secundum *Sanctum Thomam, secunda secundæ*, quod quis ex divina dilectione se obligat ad hoc, quod curam proximorum gerat, & saluti eorum insistat, videlicet eorum, qui suo Episcopali regimini specialiter sunt commissi: Ita perfectio status Cardinalatus in hoc consistit, quod *ex charitate se obligant*, *ut* cum capite suo, Christi vicario, generaliter *fidem & Christianitatem usq; ad sanguinis effusionem defendant*, in cujus signum *capellum rubeum* portare dicuntur.

Ex quibus sequitur, quod *Cardinales* sunt *in statu perfectionis altioris, quam* sit generaliter *status pastoralis.* Quia inferiores pastores tenentur se exponere pro grege particulari, sed Cardinales tenentur se exponere pro Ecclesia universali, quod est perfectius. Quia bonum quanto communius, tanto divinius, ut dicit Philosophus.

Ex eodem fundamento patet, quod ad sedem Apostolicam, id est, *ad Papam & Cardinales*, præ cæteris sedibus particularibus pertinet *declaratio veritatum necessariarum aut utilium ad salutem*, sive quantum *ad fidem*, sive quantum *ad utile regimen Ecclesiæ* militantis. Quia in hoc succedunt Petro & cæteris Apostolis, quantum ad statum Apostolicum primitivum, de quo dictum est: *Euntes docete omnes gentes &c.*

Ex quo ulterius sequitur, quod ubi necessitas aut utilitas imminet pro conservanda fide, vel bono regimine Ecclesiæ, *ad Papam*, vel in ejus defectu, *ad Cardinales*, *pertinet generale concilium convocare.* Et hoc eis convenit, non tam

tam humana quam divina institutione, vice & nomine totius universalis Ecclesiæ. Quia ipsi Cardinales succedentes Apostolis in ministeriio generali verbi Dei, & deputati ex statu suo ad instruendum generaliter fideles de his, quæ pertinent ad salutem, licet de hoc officio sint instituti à Papa, vice tamen Christi veritates necessarias orbi docere tenentur.

Et in illa charitate, in qua à Sanctis Doctoribus Paulus dicitur fuisse par Petro, prædicatione scilicet legis Evangelicæ, *succedunt Paulo.* Et exemplo ipsius, *Gal. II.* successori Petri, manifeste in præjudicium Christianæ religionis *aberranti, possunt resistere.* Quia licet sit generalis vicarius Christi, & officio & autoritate prælationis maximus, tamen in ministerio prædicationis & doctrinæ Christianæ connumerare se debet aliis Apostolis, ut notat *Archidi.* ubi supra.

Ex præmissis omnibus patet, quod, si attendatur ad conditionem status, in quo Cardinales sunt ex Christi ordinatione instituti, valde magna congruentia est, ut *ad eos* pertineat *electio Papæ*, Christi vicarii. Quia videlicet in hoc succedunt Apostolis Christi. *Hoc* tamen *jus* principaliter & originaliter pertinet *ad Ecclesiam universalem* seu *generale concilium* ipsam repræsentans, sicut tactum est in fine duodecimæ conclusionis.

Pro cujus materiæ declaratione sciendum est, quod, licet Papale officium sit ex Christi institutione, tamen *modum, ipsum per electionem obtinendi, Christus non docuit explicite & expresse.* Licet autem Christus leges obtinendi Ecclesiastica beneficia seu dignitates non expresse docuerit, tamen videtur, quod eas suo vicario instituendas reliquerit, vel immediate per se ipsum, vel mediate per alios, juxta Ecclesiasticas sanctiones subordinatos.

Sed *de papatu*, qualiter & *quomodo debeat quis surrogari*, est specialis *difficultas.*

Circa hoc vero multiplex est opinio. Una est, quod quando Christus præfecit beatum Petrum omnibus Christianis, dans sibi potestatem, ut ubi vellet sedere, eligeret, ita, ut ibi esset quodammodo proprius illorum Episcopus, *non privavit illos jure illo naturali, large sumto, quod omnibus competit*, quibus est aliquem præficiendi potestas, sive Ecclesiastica, sive secularis, videlicet eligendi sibi Rectorem, nisi per illos, quibus est præficiendi hujusmodi potestas, vel per eorum superiorem, contrarium ordinetur. Ergo, cum beatus Petrus eligeret sedem Romæ, sequitur, quod *Romani habent jus eligendi successorem beati Petri*, qui eis præficiendus est in spiritualibus. Et hoc habent *Romani* ex jure naturali large sumto, ut supra tactum est, & per consequens ex *jure divino, extendendo jus divinum ad quodcunq; jus naturale*, ex eo scilicet, quia tale jus est à Deo conditore naturæ.

Alia opinio est, quod pari vel majori ratione, sicut ad universitatem Romanorum pertineret de jure naturali vel divino electio Papæ tanquam Romani Pontificis, sic *ad universitatem fidelium* similiter jure naturali & divino pertineret electio Papæ, tanquam summi Pontificis universalis Ecclesiæ, vel *ad generale concilium* ipsam repræsentans. Quia *universalis Ecclesia vel congregatio eam repræsentans originaliter & principaliter habet à Christo jus eligendi sibi caput seu rectorem.* Cujus tamen capitis auctoritas seu potestas non ab Ecclesia, sed à Christo immediate dependet. Et hæc *opinio verior* reputatur.

Ex qua sequitur, quod si universitas Romanorum naturali aut divino jure habeat potestatem (partem) in electione summi Pontificis, hoc est *vice & nomine universalis Ecclesiæ*, cujus summus Pontifex est particularis Romanæ Ecclesiæ Episcopus: Et quia universitas Romanorum vel aliqui ejus autoritate facilius & commodius possunt congregari, quam tota Ecclesia vel concilium universale. Pro quibus facit *65. di. Si forte.* Et ibidem *cap. 2. De tempor. ordinat. Si ArchiEpiscopus*, & 23. *di. In nomine Domini.* & 49. *di. cap. I. & cap. Si quis &c.*

Unde ulterius sequitur, quod Papa illam *potestatem*, quam habet super ordinatione de electione sui successoris, *habet*

habet vice & nomine Ecclesiæ universalis, cujus ipse est caput,&eam aliquo modo repræsentat. Et ideo modus instituendi Papam est datus per autoritatem Ecclesiæ, non exclusa sed inclusa autoritate Papali, in conciliis scilicet generalibus. Quare nec per autoritatem papalem sine autoritate Ecclesiæ potest destitui. Quia cujus est instituere, ejus est destituere. Et in hujus rei signum decreta seu jura, quæ sunt de modo eligendi Papam, fuerunt per summos Pontifices in conciliis generalibus ordinata, ut *cap. In nomine Domini*, *XXIII. di. & cap. Si quis*, 99. *di. & de Elect.c.Licet in antiquis*, & *cap. una*, *lib.* 6. cum suis concordantiis.

Ex quibus infertur, quod *sede vacante*, si ad electionem summi Pontificis fuerit procedendum, illa *electio non erit facienda, exclusis Cardinalibus.* Quia, ut expresse patet, ad eos multipliciter pertinet electio summi Pontificis. Nec istud jus sufficienter abolitum est, nec aboleri posse videtur, ut quidam dicunt, sine superiori autoritate Papæ, qui caput est Ecclesiæ. Alioquin, si sine eo possent talia fieri, sine necessaria & & evidenti causa, eadem ratione posset Ecclesia, seu generale concilium, omnia quæ sunt Papalis officii. Quod secundum aliquos est absurdum. Sed hæc gratia brevitatis omitto, de his remittens ad ea, quæ notavit *Petrus Bertrandi*, *in cap. Ubi majus*, *de Elect. lib.* 6.

Hic tamen pro speciali hujus materiæ declaratione dico, quod, licet ad *solos Cardinales* pertineat regulariter Papæ electio, tamen hæc regula *in certo casu, & ex rationabili causa, exceptionem habere potest*, ut tactum est in nona conclusione principali primi capituli. Et hoc specialiter locum habere videtur *in casu præsentis schismatis.* Super quo sunt aliqua consideranda.

Primo quidem *non videtur expediens, stante hoc generali concilio, solum sacrum collegium Cardinalium futurum summum Pontificem eligere.* Nam attenta conditione præsentis schismatis, & considerato præsenti statu Ecclesiæ, apparet conveniens, quod *in hac electione, hujus concilii concurrat autoritas.* Et ad hoc speciales rationes possent induci.

Secundo, non videtur expediens per hoc sacrum concilium dictum collegium ab hac electione totaliter excludere. Quia hoc esset verisimiliter dare causam novo schismati. Quia non est clarum, quomodo possent hoc jure privari, ut statim tactum est. Et supposito, quod in *aliquo casu Cardinales essent privati jure eligendi*, remaneret dubium, ad quos devolveretur jus & potestas hujusmodi? Cum aliqui magni Doctores teneant, quod rediret ad Romanos. Quæ opinio licet non esset vera nec tenenda, tamen posset verosimiliter esse occasio generandi novum schisma. De qua opinione tactum est supra in nona conclusione primi capituli, & sequentibus, & in nona & decima propositionibus in hoc capitulo præmissis.

Tertio, non videtur expediens, quod concilium non consentiente dicto Cardinalium collegio statuat vel decernat nova jura contra jura antiqua de electione Papæ condita in Generalibus Conciliis præsidente Papâ, & in pace ac unitate Ecclesiæ congregatis. Et hoc clarè patet ex supradictis. Nam circa electionem summi Pontificis nova jura condere novo schismati posset verosimiliter occasionem præbere.

Quarto, ex præmissis concluditur, quod omnino expediens est in materia ista, *sacrum concilium cum sacro Dominorum Cardinalium collegio unanimiter concordare*, ad obviandum omnibus dubiis & imminentibus inde periculis & scandalis, ut omnia in pace fiant, & excludantur viæ malignandi turbationem unionis. Quod utique fiat, advisando aliquos *modos* rationabiles, & juridicos & antiquos, (MSC. Helmstad. antiquis juribus) juribus non contrarios. Et ex illis eligendo concorditer modum convenientiorem, in futura electione observandum. Et *ad hoc consentiendum tenetur dictum sacrum collegium* de jure naturali & divino, attenta conditione præsentis schismatis, non obstantibus quibuscunque juribus positivis, si quæ videntur in contrarium militare. Sed de hac materia particularius dicere non est præsentis operis.

CAP.

Cap. IV.

X. Conclusiones de autoritate Concilii & Romanæ Ecclesiæ. Deque autoritate Nationum in Constantiensi Concilio, earumque Jure novum Pontificem eligendi, ut & definiendi & concludendi.

Ex his, quæ in præcedentibus capitulis dicta sunt, restat ostendere, quod licet *autoritas concilii generalis* meritò extollenda sit & manifestanda, adeò quod *Romana Ecclesia particularis ejus judicio subest, in capite & in membris*: Tamen dictæ Romanæ Eccl. autoritas in (&) præeminentia non est in sacro concilio deprimenda atque parvi pendenda.

De his vid. Tom. II. Part. XIII. cap. II ubi addita Concilii responsio.

Ad quod declarandum ponuntur *decem conclusiones* infra scriptæ, multorum & magnorum prælatorum atque doctorum examine *correcta & approbata*.

Prima conclusio est: *Romana Ecclesia* secundum canonicas sanctiones, Christi traditioni conformes, omnium Ecclesiarum *mater* est & *magistra*. Et oppositum dicere est hæresis implicita.

Secunda conclusio: Romana Ecclesia sicut omnium Ecclesiarum est magistra, sic earum *caput* meritò dici potest.

Tertia conclusio: Romana Ecclesia sicut ratione Pontificis summi omnium Ecclesiarum caput dicitur, sic secundum aliquos potest dici *caput concilii generalis, imo universalis Ecclesiæ*, quæ ex omnibus particularibus Eccl. integratur.

Quarta conclusio: Romana Ecclesia præmissam capitis & autoritatis præeminentiam obtinet non tam humana traditione quam *divina*. Et hoc *ratione Petri Apostoli*, Christi vicarii, & cujuslibet sui legitimi successoris, qui ex Christi institutione sub eo, tanquam sub principali capite, tam Romanæ, quam universalis Ecclesiæ caput fuisse vel esse dignoscitur.

Unde ex hoc patet, quod *autoritas Papæ* seu *Romana Ecclesia & concilii generalis* immediate est à Deo principaliter, licet sit ab homine seu dependeat ab humana potestate ministerialiter. Nam Papa fit per Cardinalium electionem & Cardinales per Papæ autoritatem, & generaliter concilium per Papæ aut alterius legitimæ potestatis convocationem.

Quinta conclusio: *Romana Ecclesia*, quæ in Papa & Cardinalibus principaliter repræsentatur, *pars principalis* sive membrum est *concilii generalis*, in quo Papa, vel suus vicarius ipso absente, præsidere debet, nisi manifesta causa & in jure divino fundata obsisteret.

Sexta conclusio: Romana Ecclesia universalem Ecclesiam repræsentat, quod nulli alteri particulari Ecclesiæ, nisi universali concilio competit.

Septima conclusio: Romana Ecclesia, Papa absente, in generali Concilio per Cardinales ibidem præsentes repræsentari censetur, maxime si Apostolica autoritate ad hoc vocati sunt.

Octava conclusio: Romana Ecclesia tantæ autoritatis est, quod secundum aliquos sine ea, vel eam repræsentantibus, in generali concilio nihil decerni aut definiri debet, nisi causa rationabilis obsisteret. Unde patet, quod *in decernendis in concilio, Papæ & Cardinalium consensus*, ubi haberi potest, omnino *requiri* & reverenter *suscipi debet*.

Nona conclusio: Romana Ecclesia tantam autoritatem habet, quod in ejus, & aliarum Ecclesiarum reformatione non est à generali concilio repellenda, sed reverenter audienda, quando agitur de reformatione totius corporis in capite & in membris.

Decima conclusio: Romana Ecclesia & totum generale concilium *ad universalem membrorum Ecclesiæ reformationem debent unanimiter concurrere*, & unicuique statui in ejus reformatione audientiam dare, & de se ipsa definitivum communicare judicium, ut impleatur illud Apostoli: *Si nos ipsos judicaremus, non utique judicaremur.*

Unde patet, quod vanæ voces non sunt in hoc concilio audiendæ quorundam populariter loquentium atque dicentium: *Nos vocabimus Cardinales, quan-*

do nobis videbitur, sed non quando de eorum reformatione agetur. Cum tamen ad Cardinales non minus pertineat, illos vocare & reformare, quam è contra. *Et in cujuslibet status reformatione singuli audiendi sunt*, nec à judicio concilii repellendi, sed magis ad mutuam charitatem correctione (MSC. Helmst. ad mutuam caritativam correctionem) inducendi.

Ad fundandum autem *prædictas conclusiones* & inde sequentia: Ultra rationes & allegationes juris, in prædictis capitulis positas, specialiter *pro prima & secunda conclusione* facit 22. *di.* per totum. Ubi probatur, quod Romana Ecclesia habet de omnibus aliis ordinare, cum sit mater omnium aliarum. Et cum secundum superioritatem & inferioritatem sint ad invicem ordinatæ, inter eas tenet Romana Ecclesia primum gradum.

Item, quod Romana Ecclesia caput sit omnium aliarum Ecclesiarum, sicut Petrus omnium Apostolorum, probatur *III. q. VI. Dudum.* Et hoc specialiter facit *pro tertia & quarta conclusionibus.* Facit etiam *pro quinta conclusione*, quoad præsidentiam Papæ. Et *pro eadem* facit specialiter *cap. Significasti, de Elect.* cum suis concordantiis. Ex quibus fundantur *sexta & septima conclusiones* sequentes.

Pro *octava & nona conclusionibus* facit, quod Romana Ecclesia habet alias in partem sollicitudinis, non in plenitudine potestatis, ut *secunda qu. VII. Decreto.* Facit etiam ad idem, quod Romana Ecclesia potest de omnibus aliis judicare, ut *IX. q. III. Patet.* Facit etiam pro prædictis, quod Romanæ Ecclesiæ consuetudo circa institutiones Ecclesiasticas ab omnibus est servanda, ut *XI. di. cap. Quis nesciat.* Et qui ejus privilegia violat, hæreticus habendus est, ut 22. *di. Omnis.*

De quinq. Nationibus Italica Gallica Germanica Anglica Hispani.

Sed occasione prædictarum conclusionum hic occurrunt aliqua *dubiaque circa ordinem hujus sacri concilii*, apud nonnullos magnam perplexitatem inducunt.

Primum dubium: An quatuor nationes in hoc sacro concilio sic distincta, videlicet *Italica, Gallica, Germanica & Anglicana*, excluso dicto Cardinalium collegio, faciant generale concilium, cum sint plura concilia particularia valde inæqualiter & improportionabiliter divisa, & ad partem deliberantia. Quæ deliberatio, exclusa deliberatione dicti collegii, & non facta in communi sessione collatione votorum, videtur multis non esse censenda deliberatio concilii generalis collegialiter facta.

ca. in Concilio Const. præsentibus, ea rüg, autoritate.

Secundum dubium; An dictæ *nationes*, quæ sunt *nova collegia particularia*, quæ multis videntur contra vel præter consuetudinem antiquam sacrorum conciliorum instituta, licet ex rationabili causa & sub debitis circumstantiis ita institui potuerint, habeant à jure divino vel humano *autoritatem privandi Romanam Ecclesiam, & sacrum collegium ipsam repræsentans*, id est, antiquum collegium, & in antiquo jure & sacris generalibus conciliis & sanctorum Patrum decretis fundatum, privandi, inquam, *jure suo, habendi* videlicet *vocem in sacro Concilio*, & summum Pontificem eligendi.

Tertium dubium: Supposito, quod dictæ nationes possint nova jura circa electionem Papæ, citra antiqua jura, ut præmittitur, statuere, ita, quod hoc eis absolute liceret, an pro nunc expediret, cum secundum doctrinam Apostoli multa liceant, quæ minime expediunt. Unde attento præsenti statu Ecclesiæ, & consideratis prædictis dubiis, non videtur expediens aliqua nova jura concedere, (MSC. Helmst. condere) quæ novo schismati possent verosimiliter occasionem præbere.

Quartum dubium occasione primi dubii oritur circa *modum distinctionis* hujusmodi *nationum.* Nam Benedictus XII. in *Extravagante, Vas electionis*, distinxit obedientiam papalem in quatuor generales partes, sive nationes, (MSC. Helmst ordines.) Et in secunda parte sub natione Germanica ponit Alemaniam, Angliam, Hungariam, & plura alia regna. Ex quo jure patet, quod si *hoc generale concilium Constantiense* rationabiliter debeat dividi per nationes, convenientius *dividitur per quatuor*, quam per plures. Quia talis divisio seu distin-

De hac litte natio nali in Concilio inter Gallos & Anglos, vide pluribus Tomo V. ubi habetur Anglo-

...rum responsio ad hæc argumenta.

distinctio est juri ac rationi conformior.

Ideo multis videtur, quod *adveniente natione Hispanica ad hoc generale concilium*, natio Anglicana deberet reduci ad nationem *Alemaniæ, cujus ipsa est pars*, & ei immediate conjuncta, ut patet ex jure prædicto. Unde quando hæc natio Anglicana huc usque divisa fuit à natione Alemaniæ, *permissum fuit, ut sic essent in isto concilio quatuor nationes*, & hoc ex certa & speciali causa, quæ maximè cessabit adveniente dicta natione Hispanica. Qua adveniente, si dicta natio Anglicana remaneret *quinta*, eâdem & potiori ratione aliæ tres nationes prædictæ debebunt proportionabiliter distingvi in plures nationes dictæ Anglicanæ nationi æquales. Ideo, quia *adveniente* dicta *natione Hispanica, juxta unum ex capitulis, tractatis in Narbona*, statim fiet unio ipsius ad nos, pro faciendo unum universale concilium. Et per consequens, hoc facto, sicut illud erit quasi novum concilium, & noviter ex ipsa & nobis integratum: Sic ad illius nationis honorem debebit fieri *novus ordo*, seu ordinari *novus procedendi modus*, imo verius renovari mos antiqvus in distinctione nationum observatus, & ut præmittitur, juri & rationi conformis.

Ad confirmationem autem præmissorum facit *Benedictus XII.* qui distingvit terras & provincias subditas obedientiæ Romani Pontificis pro Capitulis monachorum nigrorum provincialibus celebrandis. In *prima rubrica sui operis, in fine ejusdem*, distingvit præfatas terras & regna in 36 provincias, & inter illas in regno Angliæ ponit Cantuariensem & Eboracensem pro una provincia. Ex quibus multis videtur, quod nec juri nec rationi consonum est, æquare seu æquiparare regnum Angliæ regno Franciæ in concilio generali, vel nationem Gallicanam generaliter sumptam nationi Anglicanæ, & multo minus Italicam, Germanicam vel Hispanicam. Quare omnino absurdum esset, dictam nationem Anglicanam fieri quintam partem, seu nationem hujus sacri concilii. Cum ipsa secundum juris dispositionem sit 36ta pars sive provincia totius obedientiæ Romani Pontificis.

Ideo videtur, quod *adveniente dicta natione Hispanica cessare debet dicta natio Anglicana, & fieri pars nationis Germanicæ*, ut præmittitur. Vel, si hoc non placet, conveniens videtur, quod dictæ *tres aliæ nationes distingvantur singulæ in plures nationes particulares dictæ nationi Anglicanæ proportionales*, juxta juris dispositionem. Vel ad evitandum talem multiplicationem nationum, & plures alias difficultates, expediens videtur, redire ad jus commune, & ad antiqvum modum procedendi & concludendi in conciliis generalibus, ubi non legitur facta fuisse talis nationum distinctio.

De jure votandi ac definiendi in Concilio Const. De quo re pluribus Tom. II. Part. IIX. cap. XVI. f. 224 seq. & Cap. XVII. f. 226.

Quintum dubium occasione præmissorum oritur, videlicet, *qui habere debeant vocem in concilio generali?*

Nam quibusdam videtur, quod autoritas judicandi, statuendi & definiendi pertinet ad *Episcopos*, seu *majores prælatos*. Quod probant ex definitione concilii universalis, per quam differt à conciliis particularibus sive provincialibus, quam ponit *Hugo*, & post eum *Bartholomæus Brixiensis, XVII di. c. 1.* Universale, inquit, est concilium, quod a Papa vel ejus legato cum omnibus Episcopis statuitur.

Alii vero dicunt, quod, quantum ad illam quæstionem pertinet, ad exterminationem præsentis schismatis *debent habere vocem* etiam *conclusivam omnes illi, qui ad præsens concilium fuerunt Apostolica autoritate vocati.*

Imò secundum aliquos *omnes, qui ad effectum unionis Ecclesiæ vellent huic concilio interesse.* Pro quo inducunt, quod, sicut in tempore nascentis Ecclesiæ *circa electionem summi Pontificis* varii fuerunt *modi* observati, sicut patet per jura ex antiquis historiis, sic in modo congregationis & deliberationis conciliorum generalium. Nam sicut patet in *actibus Apostolorum* & *in historia Eusebii*, quæ actibus Apostolorum immediate subnectitur, quandoque in conciliis congregabatur tota communitas Apostolorum, quandoq; Episcopi & presbyteri & diaconi tantùm, quandoque soli Episcopi sine Abbatibus, quandoque cum Episco-

pis Abbates, quandoque Imperator vocabatur ad concilium & præsens erat, etiam absente Papa, de cujus causa agebatur. Sicut hæc varietas potest probari ex historiis supradictis, tam quatuor conciliorum in actibus Apostolorum celebratorum, quàm ex dicta historia Eusebii *libr. VI. cap.* 33. *lib. VII. cap. XXV. & cap. XXVII. & cap. XXIIX. & lib. X. cap. V.* Ubi multa ad propositum præsentis materiæ utilia recitantur.

De modo colligendi vota in Nationibus in Concilio Const. an juxta numerum an juxta meritum personarum.

Sextum dubium. Consequens ad præmissa, est *circa modum concludendi & deliberationem nationum.* Nam licet, attenta conditione præsentis schismatis, ad ejus radicem excludendam, quæ in diversis nationibus & regnis varie radicabatur, expediens judicatum fuerit, procedere *deliberationes nationum*, in quibus vota *singularum personarum* non minùs bene & libere poterant scrutari, quam in generali turba seu publica sessione: Tamen multis videtur, juri esse consonum, quod *in tali deliberatione nationum* non solum attendendum est *ad personarum deliberantium numerum*, sed etiam *ad meritum.* Et ideo referendo deliberationem unius nationis notandæ sunt personæ & earum status, ut, quot sint majores, quot Abbates, quot Doctores, quot Ambasiatores, quot procuratores & quales. Et, si aliqui contradicant, notandi sunt, quot & cujus status, nec repellendi sunt, quin in publica sessione possint motiva sua seu rationes allegare, ut doceantur vel doceant. Quia non sufficit unius nationis aut plurium referre deliberationem, sed omnino *in arduis expedit, allegare rationem*, ut non sint *vota* quasi *voluntaria*, sed *ratione vallata.* Et hoc maxime, quando non esset plena omnium nationum concordia.

Facit ad hoc, quod quandoq; in conciliis generalibus unius personæ deliberatio causa fuit reducendi plurimos ab errore. Ideo ex *libro Isidori*, edito de mandato Damasi Papæ, in conciliis debet legi præfatio, in qua dicitur; *Quod si forsan alius aliter, quàm dicta fuerunt, censuerit, sine aliquo scrupulo contentionis ea, de quibus dubitaverit, conferenda reducat. Ut Deo auxiliante aut doceri possit, aut doceat.*

Hæc autem dubia ad *robur hujus concilii* proposui. Quia jacula prævisa minus feriunt, ut scil. super his taliter deliberetur, & provideatur, *quod in futurum acta hujus concilii non possint ab æmulis reprobari.*

PARS II.

De jure ministrorum Ecclesiæ in Ecclesiasticis bonis.

Cap. I.

XVIII. Propositiones, *quod Papa & Episcopi non sint domini sed dispensatores bonorum Ecclesiasticorum. Quousque se extendat illa dispensatio. De decimis, communibus servitiis, primis fructibus, reservationibus Papalibus, ac similibus.*

Ad confirmandum ea, quæ *de origine & ordine Ecclesiasticæ potestatis* prædicta sunt, aliqua convenit subjungere de *origine juris, quod habent clerici*, qui Ecclesiastici dicuntur, *in bonis*, quæ Ecclesiastica nominantur.

Bona Ecclesiastica integris Ecclesiis data non uni personæ.

Ubi *primo* supponendum est, quod *bona Ecclesiastica*, ut Ecclesiastica sunt, sint *collata communitatibus, & non personæ singulari.* Unde fundatores Ecclesiarum intenderunt dominium & proprietatem bonorum, quæ dabant, transferre primo & directe in *communitatem collegii*, scilicet talis Ecclesiæ, ad usum Deo servientium, & non in aliquam personam singularem, ut *XII. q. III. Pontifices.* Et ita intelliguntur esse oblata Christo, id est, *communitati fidelium*, quæ est corpus Christi, ut *XII. q. II. Nulli.*

Dominium in bona Ecclesiastica est penes Ecclesiam, non Prælatum.

Ex quo sequitur manifeste, quod *communitas* ipsa *sola* habet immediatum & verum dominium in hujusmodi bonis, *Ecclesia, & non prælatus aliquis*, aut quævis persona singularis. Verbi gratia, Ecclesia Constantiensis vel alia hujusmodi particularis habet dominium vel proprietatem

tatem in ipsis bonis sibi collatis, ut sibi sunt propria. Persona autem singularis, non ut singularis, sed ut pars & membrum hujus communitatis, habet in ipsis jus utendi ad suam sustentationem secundum exigentiam & decentiam personæ & sui status. Sed inter membra communitatis est differentia. Quia est aliquod membrum simplex & minus principale, ut simplex canonicus: Et istud habet simplex jus, quod dictum est. Et est aliud membrum, quod est principale, & caput communitatis, ut Episcopus, aliàs non esset congregatio una nec ordinaria, nisi esset unum caput & principale membrum: Et istud non solum habet usum in bonis communitatis secundum exigentiam sui status modo prædicto, sed habet administrationem & dispensationem generalem omnium bonorum communitatis, approprians cuilibet, quod ei debetur secundum debitam justitiæ proportionem, dispensans etiam pro communi bono collegii bona fide, ut sibi videtur expedire.

Episcopi procuratores non Dni bonorum Ecclesiasticorũ.

Et ita est *Episcopus* in qualibet Ecclesia cathedrali de communi jure primitivo. Et sic secundum Ostiensem dicuntur *Episcopi procuratores* hujusmodi *bonorum*, & *non Domini* seu *proprietarii*, ut *De donation. capit. III. &c.*

Quia verò non solùm quælibet congregatio Ecclesiasticorum est *una*, speciali unitate, imo omnes Ecclesiasticæ congregationes habent quandam generalem unitatem, in quantum sunt una Ecclesia sub uno capite, videlicet *Papa*, cui incumbit cura Ecclesiæ generalis: Ideo ipse est *universalis dispensator*, tanquã summum membrum Ecclesiæ, omnium generaliter Ecclesiasticorum bonorum spiritualium, *non* quidem, *quod sit eorum Dominus*, *sed sola communitas Ecclesiæ universalis Domina est & proprietaria illorum bonorum* generaliter, & singulæ communitates & Ecclesiæ dominium habent in bonis sibi correspondentibus. Personæ autem singulares non habent jus dominii, sed jus utendi aut dispensandi, ut dictum est. Et hæc notavit *Innoc.* Et facit *XII. q. 1. Videntes, & 6. Ex his* & *cap. Præcipimus.*

De jure Papæ in dispensationem bonorum Ecclesiasticorum

Ex his apparet *error* eorum, qui dicunt, *quod solus Papa jus vel dispensationem habet in bonis Ecclesiæ*, & nonsolum est administrator & dispensator Ecclesiæ universalis, sed bonorum ejus verus Dominus proprietarius: Cæteri verò Prælati & alii non habent in his dominium, sed solum sunt talium bonorum procuratores atque dispensatores. Hoc enim apparet falsum, non solum ex præmissis, sed etiam ex verbis Apostoli *I. ad Cor.* Ubi non excludens Petrum vel Papam, dixit: *Sic nos existimet homo ut ministros Dei & dispensatores &c.* Et ipsemet Petrus: *Non quasi dominantes in clero, sed forma facti gregis.* Facit *De Præben. cap. II.* Ubi dicitur, quod Papa habet plenariam dispositionem omnium beneficiorum, & non dicit *dominium*. Ex quo ulterius sequitur, quod Papa non potest ad libitum detrahere bona Ecclesiarum, ita quod quicquid ordinet de ipsis, teneat. Hoc enim verum appareret, si esset Dominus, sed cum sit *minister & dispensator bonorum* communitatis, in quo requiritur bona fides, non habet sibi collatam potestatem super bonis ipsis, nisi ad necessitatem, vel communem Ecclesiæ utilitatem. Ideo in *II. ad. Cor.* dicitur, quod potestatem dedit Deus *ad ædificationem* & *non ad destructionem.*

Unde ulterius concluditur, quod, *si Papa pro libito detrahat bona Ecclesiæ, &* non ea dispensat *bona fide*, de jure non tenet. Et non solum *tenetur* tunc *ad pœnitentiam* de peccato, (MSC. Helmst. facto) quasi *propter abusum rei suæ*, sed infideliter agit, & ad restitutionem tenetur, si aliunde haberet, cum sit *defraudator rei alienæ.* Secus, si esset Dominus. Quia in re sua quilibet est legitimus moderator & arbiter, ut *De Sepulturis, De his. & in Glossa.*

Ex quibus videtur posse concludi, quod sicut *monasterium posset agere ad depositionem abbatis*, vel particularis Ecclesia *ad depositionem Episcopi*, si constaret, quod dissiparet bona monasterii, vel Ecclesiæ, & quod infideliter non pro bono communi, sed privato ea detraheret: Sic *& de Papa*, si admonitus non corrigeretur.

De Papa sede vendo, si bona Ecclesiæ male administret.

Nam

Nam 4. *di. cap. si Papa.* Ubi dicitur: *Cunctos judicaturus:* Ibi dicit glossa: *Quod si deprehendatur in quocunq; alio vitio, & admonitus non corrigatur, & scandalizet Ecclesiam, idem posset fieri. Licet forte secundum aliquos per solum concilium generale arguatur. di. 21. cap. Nunc autem.* Et *in hoc sacro Constantiensi Concilio conclusum atq; practicatum est.*

An Papa habeat jus in bona Principũ temporalia?

Ex prædictis patet, quod si *Papa* non habet dominium in bonis Ecclesiasticis clericorum, *multo minus habet dominium in bonis temporalibus laicorum.* Imo *nec in eis est dispensator*, sicut in bonis Ecclesiasticis, nisi forte in ultima necessitate Ecclesiæ, in qua etiam merito non est proprie dispensator, sed magis dici potest *juris declarator.*

Pro quo considerandum est, [sciendum] quod *exteriora bona laicorum* non sunt collata cõmunitati, sicut bona Ecclesiastica, sed sunt *acquisita singulis personis* arte, labore vel industria propria. Et ideo personæ singulares, ut singulares sunt, habent in ipsis jus & potestatem ac verum dominium. Et potest quilibet de suo ordinare, disponere, retinere, alienare, pro libitu, sine alterius injuria, cum sit Dominus, ut supra, *De sepulturis, De his.*

Unde sequitur, quod nec Princeps, nec Papa habet proprie dominium vel dispensationem in talibus. Quia talia bona non habent ordinem & connexionem inter se, nec ad unum commune caput, quod habeat ea disponere & dispensare. Cum quilibet rei suæ sit ordinator pro libito.

Quia verò propter talia bona exteriora contingit interdum pacem communem turbari, dum aliquis, quod est alterius, usurpat, quia etiam interdum homines, quæ sua sunt nimis amantes, ea non communicant, prout necessitati vel utilitati publicæ convenit: Ideo *positus est Princeps* à populo, *qui talibus præest ut judex*, decernens justum & injustum, & ut judex injuriarum, & ut mensura justitiæ in accipiendo bona à singulis, secundum justam proportionem, pro necessitate vel utilitate communi.

Ex quo sequitur, quod *Papa*, qui est quasi summum caput, non solum clericorum, sed generaliter omnium fidelium, ut fideles sunt, juxta illud: *Pasce oves meas*, quod de omnibus fidelibus generaliter dictum est, tanquam generalis omnium pastor, & informator fidei ac morum, *in casu summæ necessitatis ecclesiæ*, in quo casu omnium fidelium bona communia sunt, id est, pro communi utilitate communicanda, *habet* jure divino *bona exteriora omnium fidelium dispensare & ut exponenda decernere*, prout expedit cõmuni necessitati fidei, utpote quia aliàs subverteretur fides propter impugnationem infidelium & hujusmodi. Et posset tanta & tam evidens esse necessitas, quod *posset exigere decimas*, vel determinatas portiones à singulis fidelibus, secundum tamen debitam proportionem, ne aliqui sine ratione plus gravarentur, quàm alii. Et posset rebelles vel contradictores per censuram Ecclesiasticam compellere ad succurrendum communi necessitati Ecclesiæ. Et talis Papæ ordinatio non esset nisi *juris declaratio.*

Unde extra hujusmodi casum necessitatis pro communi bono spirituali *non habet Papa dispositionem bonorum aliquorum temporalium in laicis*, nec compulsionem in eos. Licet in casibus utilitatis spiritualis (MSC. Helmst. *spiritualibus*) potest eos exhortari, & *spiritualiter inducere:* Utpote conferendo *indulgentias*, vel alia spiritualia beneficia, pro adjutorio conferendo. Posset tamen Papa ex causa & in certo casu bona confiscare etiam laicorum, ut, *De hæreticis, Tum secundum, libro sexto, & De pœnis 1. eodem libro.*

Ex præmissis concluditur, quod, cum in casu Papa habeat jure divino disponere & ordinare circa bona temporalia laicorum, ut dictum est, multo magis & in pluribus casibus habet jus & potestatem circa bona & jura Ecclesiastica clericorum. Et ideo non solum in casu necessitatis, sed etiam in casu utilitatis & honestatis publicæ, non solum universalis Ecclesiæ, sed etiam pro convenienti statu personæ suæ, in quantum est persona publica, repræsentans Ecclesiam, & generalis pastor, ac universalis

versalis administrator Ecclesiasticorum bonorum rationabiliter potest facere sibi fructus suos ex bonis communibus pingviores, secundum exigentiam sui status, quam prælati inferiores, qui in partem sollicitudinis facti sunt. Cujus rei exemplum præcessit in Veteri Testamento. Quia, cum Levitæ pro sua sustentatione reciperent decimas, summus sacerdos decimam decimæ à Levitis debebat recipere: Ut patet *Num. XVIII.* Unde simili jure videtur, quod Papa possit recipere ab Episcopis promotis *communia servitia*, quæ vocantur *vacantiæ*, & de minoribus beneficiis *primos fructus*, seu alia hujusmodi subsidia, ex quibus ipse & sibi in Ecclesiæ servitio assistentes possint convenienter sustentari. Et ista non solum sibi conveniunt jure prædicto, sed etiam *jure præscriptionis.* Quo etiam aliqui inferiores in similibus uti consueverunt, ut in pluribus regionibus manifestum est. Facit *De decimis cap. I. & cap. II. in glossa.* Et dicunt Doctores, quod loco dictarum decimarum succedunt decimæ, quæ dantur Papæ.

Communia servitia. Primi fructus.

Unde ulterius sequitur, quod Papa jure potuit *ordinationes majorum & electivarum dignitatum*, ac *collationes* aliorum *beneficiorum*, sibi & sedi Apostolicæ *reservare.* Quia hæc antiquissimo jure sibi competebant, ut in conclusione octava dictum est. Hæc etiam non solùm jure universalis administrationis papalis poterunt competere, sed etiam ex speciali causa ratione materiæ subjectæ, utpote, quia inferiores electores in suis electionibus, & ordinarii collatores in beneficiorum collationibus abutebantur, & per potentiam laicalem sæpe jure suo non libere uti permittebantur, seu alia aliqua speciali ratione. Pro his facit, quod notatur *De Electione, Quanquam, lib. 6. in glossa & 22. di. cap. 1.*

Reservationes Papales.

Ex quo subinfertur, quod, cum sedes Apostolica in præmissis præscripserit, supposito, quod summi Pontifices in hoc abusi fuerint vel excesserint, non propter hoc est ab eis hujusmodi jus tollendum, sed *abusus tollendi, vel excessus restringendi* sunt. Et hoc fieri potest per rationabiles constitutiones sacri concilii generalis. Pro hoc facit, quod ex statuto Papæ fundatæ sunt electiones, ut *XV. q. c. Vel congregatio*, & *De elect. cap. 1.* & *cap. Cum Ecclesia.*

Pro cujus declaratione ulterius dicendum est, quod licet Papalis dignitas à Deo sit, quare ab homine nec major nec minor fieri potest, attamen usus plenitudinis potestatis ad excludendum abusus potest generalis concilii autoritate restringi. Ideo antiquo jure institutum est, quod *Papa professionem faceret*, ut patet ex libro diurno, Facit *XVI. di. Sancta octo, Extra. De jurejurand. Ego N. XVI. q. 1. Satagendum. Convenit LXIII. di. c. Ego Ludovicus.* Et hujusmodi professio per lapsum temporis ampliata est, ut patet ex professione Bonifacii IIX. *Ego Benedictus Cajetanus* &c. Similis quoq; professio juxta rerum exigentiam *in hoc sacro Constantiensi Concilio* rationabiliter poterit ampliari.

De professione Papæ

Sed ad regulandum usum plenitudinis potestatis, & excludendum abusum ejusdem, considerare convenit, quod *non expedit Ecclesiæ*, quæ habere dicitur regale sacerdotium, *quod ipsa regatur regimine regio puro, sed mixto cum aristocratia & democratia.* Et capitur hic democratia generaliter pro principatu populi, & non stricte, prout contrariatur Politiæ, quæ est species quædam regiminis vel principatus temperati secundum virtutem, ut capit Aristoteles in Politicis.

De meliori regimine Ecclesiastico.

Pro cujus declaratione sciendum est, quod, licet regimen regium, in quo unus singulariter principatur multitudini secundum virtutem, sit melius quolibet alio regimine simplici, ut ostendit Philosophus, *III. Politic.* tamen, si fiat mixtum cum Aristocratia, in qua plures dominantur secundum virtutem, & cum democratia, in qua populus principaliter dominatur, tale regimen melius est, in quantum in regimine mixto omnes aliquam partem habent in principatu. Et etiam, quia, licet regimen regale sit optimum in se, si non corrumpatur, tamen propter magnam potestatem, quæ Regi conceditur, de facili regimen degenerat in tyrannidem, nisi sit in Rege perfecta virtus, quæ

quæ raro & in paucis reperitur. In cujus rei signum in populo Israel; cui succedit populus Christianus, Deus constituit quodammodo Regem, licet non cum plena potestate, ut patet in Mose & Josua, & eorum successoribus, qui toti illi populo præerant, ut patet *Num. XXVII. 18. & Judic. II.* Licet autem in eis esset regimen regale, in quantum unus principaliter præerat omnibus; erat tamen aliquid de Aristocratia, in quantum sub illo uno LXXII. seniores eligebantur, ut patet *Deutr. I.* Erat etiam aliquid de democratia, in quantum septuaginta duo eligebantur de omni populo, ut ibidem dicitur. Sic etiam manifeste videtur, quod esset *optimum regimen Ecclesiæ, si sub uno Papa eligerentur plures de omni & ab omni provincia.* Et tales deberent esse *Cardinales*, qui cum Papa & sub eo Ecclesiam regerent, & usum plenitudinis potestatis temperarent. Et hoc notari videtur in *c. Per venerabilem, Extra. Qui filii sunt legitimi,* in verbo, *Sunt autem sacerdotes levitici generis.* Ad idem facit, quod Cardinales sunt pars corporis Papæ, & ejus coadjutores, ut *De jurejuran. Ego N. & De elect. cap. Fundamenta, libro 6.*

Ex quo clare patet, quod status Cardinalium in Ecclesia est valde utilis, & necessarius, si debito suo fungantur officio. Ad quod generale concilium debet summopere laborare atque providere, quod *de communibus Ecclesiæ bonis*, pro cujus generali utilitate laborare tenentur, *eis decenter convenienterq́; subveniatur*, non minus quam inferioribus prælatis. Et pro his facit sexta potestas Evangelica, de qua supra in prima conclusione principali dictum est. Cui concordat sententia Apostoli *I. Cor. IX.* Ex qua subsumitur, quod qui altari servit, de altari debet vivere, *ut Extra. De præbend. Cum secundum, XII. qu. I. Ex his, & 12. q. 2. Quicunq́;, De sepulturis, cap. I.* cum suis similibus.

Unde, quod Papa & Cardinales jure divino & naturali, cui Evangelica doctrina concordat, ab inferioribus Ecclesiasticis debitam sustentationem recipere debeant, ostendit *Sanctus Thomas in secunda secundæ, q. 8. artic. 4.* Ubi dicit, quod in veteri lege primitiæ dabantur sacerdotibus, decimæ Levitis. Et quia sub sacerdotibus erant Levitæ, Dominus mandavit, ut ipsi loco primitiarum solverent summo sacerdoti decimas decimæ. Patet Num. XIIX.

Unde nunc eadem ratione *tenentur clerici summo Pontifici dare decimam partem decimæ, si exigeret.* Naturalis enim ratio dictitat, ut illi, qui habent curam de communi statu multitudinis, provideatur, unde posset exequi ea, quæ pertinent ad communem salutem. Et idem *Thomas, in quarto de regimine Principum,* autoritate Philosophi in politicis dicit, quod etiam gentiles in suis politiis unam partem possessionum applicabant illis, qui ministrabant in sacris; Et ideo ministris Ecclesiæ in cultu Dei ista debentur non tam jure positivo, quam jure divino & naturali.

CAP. II.

Apologia pro Annatis, opposita Declarationi Nationis Gallicanæ, recensitæ Tomo I. Parte XIII.

EX præmissis, tam jure naturali & divino, quam etiam humano stabilitis, correlariæ sequuntur *decem propositiones*, à nonnullis Doctoribus *examinatæ & probatæ.* Ex quibus manifeste patet compendiosa responsio ad dispendiosissimam & injuriosissimam *scripturam, per aliquos factam contra Appellationem Procuratoris Fiscalis* pro tuitione jurium Romanæ Ecclesiæ & cameræ Apostolicæ,

Prima propositio est; quod status summi Pontificis & sacri collegii Dominorum Cardinalium, sibi collateralium, fundatus est in Ecclesiastica hierarchia sub cœlesti imediate à Christo, nec humana institutione seu præsumtione potest destitui. Cui statui qui pertinaciter derogat, censendus est juxta sacros canones hæreticus atque sacrilegus.

IIda Prop. Status prædictus dotandus est & fovendus, pro debita & honesta susten-

sustentatione temporalium, sine quibus in hac misera vita spiritualia diu non subsistunt, quemadmodum alter status quicunque Ecclesiasticus inferior, seu subditus, dotatus est vel dotandus juxta sui qualitatem.

IIItia Propos. Status prædictus non ideo perdit jura, sibi convenientia, quæ posuit propositio duplex præcedens, si forsan fuerint *abusus* aliqui *personales* olim vel nunc inventi. Alioquin sic argueretur adversus omnem statum, nedum Ecclesiasticum, sed temporalem, quod dissipandus est, deferendus (destruendus) & perdendus: Quoniam in multis offendimus omnes.

IVta Propos. Status prædictus potuit & potest in subventionibus temporalis & honestæ sustentationis præscribere de certo modo vel quanta subventionis, sicut Prælati vel Curati inferiores respectu subventionis factæ per subditos in *oblationibus*, *decimis* vel *annatis*, & *similibus*, etiam ubi status prædictus aliunde dotatus esset, ex patrimonialibus bonis vel aliis, quemadmodum in Prælatis dicimus & Curatis.

Vta Propos. Status prædictus dum recipit & quærit subventiones consuetas in *oblationibus*, *decimis* vel *annatis*, & similibus, non debet eo ipso de *simoniaca pravitate* notari, nisi forte *vitium* aliud in *exactionis modo* concurrerit. Quod vitium corrigi debet, non obinde status minui (minimus) destrui, vel culpari, vel juribus aliunde debitis defraudari. Sicut ab infirmo morbus tollendus est, non subjectum vel corpus destruendum. Oppositum verò pertinaciter imponere, notando generaliter de simoniaca pravitate totum statum istum, temerarius error esset, nec ferendus.

VIta Propos. Status prædictus potest & debet rationabiliter resistere per viam *appellationis* aut aliàs, si adversus prædicta voluerint aliqui de facto procedere. Præsertim, dum personæ de illo statu subjiciunt se & statum suum debitæ regulationi sanctæ matris Ecclesiæ, si forsitan aliqua fuerint in eis reformanda. Et hoc agendo nedum non scandalizant active, vel peccant, sed merentur, tanquam defensores jurium non solùm suorum personalium, vel Ecclesiæ particularis Romanæ, sed universalis Ecclesiæ, & ad utilitatem, honestatemque totius reipublicæ Christianæ, quæ consistit in suo decore membrorum, maxime principalium.

VII. Propos. Denique debet sic fieri, quod subventio nunc existens, & à priorum devotione Ecclesiasticorum introducta, de primis fructibus, annatis, & similibus, permaneat, quousque prius & simul saltem fuerit *alia* forte *provisio salubrior vel sanctior* rationabilius adinventa & effectualiter practicata ex ordinatione Papæ & concilii generalis.

VIII. Propos. Postremo facientes contra præmissa, non conformant se, sed manifeste obviant *instructioni Regis Franciæ*, *Ecclesiæ Gallicanæ*, & *universitatis Parisiensis*, sicut patet eas intuentibus.

IX Ex quibus sequitur, quod erronea & scandalosa & periculosa est una *conclusio*, quam *in materia simoniæ* posuit quidam Prælatus & Doctor, videlicet, quod *solutio vacantiarum*, *sive pactionata*, *sive non*, *sive ante sive post*, *sive ante traditionem bullarum*, *sive post quomodocunque exacta*, *est pure Simoniaca &c.*

X. Propos. Unde pro declaratione hujus materiæ notanda est quædam *distinctio doctoralis quadrifaria*, de intuitu vel respectu commodi temporalis pro spirituali. *Primo potest intuitus ferri ad temporale commodum, tanquam ad pretium rei spiritualis, quasi sit adæquatio valoris unius rei ad alteram, sicut est in emptione & venditione in civilibus. Secundo potest fieri (ferri) intuitus ad commodum temporale tanquam ad motivum principale dandi spiritualia, vel ad finem ultimum, in quo consistit intuitus spiritualia conferentis. Tertio potest fieri intuitus commodi temporalis tanquam ad motivum minus principale, vel ad finem subordinatum sub ultimo fine. Quarto potest fieri intuitus commodi temporalis, tanquam ad rem debitam jure divino pro sustentatione ipsius, qui spiritualia subministrat, juxta doctrinam Christi & Apostoli: Dignus est operarius mercede sua.*

Distinctio Gersonis, in Tr. de Simonia Cap. VII. Vid. sup. Tom. I. Parte IV. f. 21.

Tunc ad propositum dicimus, pro responsione succincta & solida, quod primus intuitus

tus & secundus sunt vere simoniaci, de jure divino & humano. Et si concurrat error intellectus, quod scilicet talia possint fieri, sicut in primo dicitur quod licite fiant, sicut ponitur in utroq; modo, tunc incurritur haresis proprie dicta, & habendi sunt simoniaci tales haretici proprie dicti, si sint pertinaces.

Dicimus consequenter, quod si feratur intuitus tertio & quarto modis, ille potest esse licitus, imo laudabilis & meritorius ac debitus. Hoc tamen attento, quod observetur illud Apostoli: Ab omni specie mala abstinete vos, hoc est, quod administratio spiritualium, facta sub altero tali intuitu, non appareat fieri ex modo suo, intuitu primo vel secundo.

PARS III.

De Papalis potestatis plenitudine, & An Papa subsit judicio Concilii generalis?

Cap. I.

Quod plenitudo potestatis Ecclesiasticæ non resideat in Romano Pontifice.

IN tertia hujus tractatus parte in primis breviter tangetur *quæstio, quam alias* ad quorundam egregiorum Doctorum instantiam disputare *proposui*, videlicet; *Utrum plenitudo potestatis Ecclesiastica resideat in solo Romano Pontifice?*

Ad partem *negativam* arguitur ex triplici radice.

Primo, quia hujusmodi plenitudo potestatis residet in Ecclesia universali. *Secundo*, quia hæc plenitudo residet in Ro. Ecclesia particulari. *Tertio*, quia ipsa etiam residet in concilio generali. Ergo non residet in solo Romano (Romanæ Ecclesiæ) Pontifice.

Consequentia de se patet. Et antecedens tripartitum probatur unica ratione.

Pro qua supponitur, quod Romanus Pontifex est caput triplicis Ecclesiæ. *Primo* & principaliter Ecclesiæ universalis, respectu cujus dicitur *summus Pontifex* sive pastor, juxta illud: *Pasce oves meas*, & *pasce agnos meos*; Quod non de his, vel de illis particulariter, sed de omnibus generaliter dictum est. *Secundo* est caput Romanæ Ecclesiæ particularis, respectu cujus dicitur *Pontifex Romanus*. Et in utroque episcopatu, tam universalis, quam Romanæ Ecclesiæ, succedit Petro, qui prius habuit primum Episcopatum, quàm secundum. *Tertio*, est caput concilii generalis, quod universalem Ecclesiam repræsentat, respectu cujus tamen ipsum est quædam particularis Ecclesia sumens unitatem ab autoritate summi Pontificis, in eo actualiter vel virtualiter præsidentis, ut patet ex *cap. Significasti*, *De Elect.* cum suis concordantiis.

Ex qua suppositione patet, hanc triplicem Ecclesiam esse *triplex corpus mysticum*, cujus Papa est caput immediatum. Sed constat, quod *non est minor potestas in toto corpore, quàm in ejus parte*, scilicet in capite. Imò videtur *major* esse: Quia *omne totum est majus sua parte.* Et per consequens, si plenitudo potestatis est in summo Pontifice, *eadem vel major plenitudo potestatis erit in quolibet corpore*, cujus ipse est caput. Quare &c. Facit ad hoc illud Hieronymi: *Si autoritas quaritur, orbis major est urbe*, ut patet *C. di. cap. Legimus.* Ubi dicit glossa, quod hic sumitur argumentum, quod statutum concilii præjudicat statuto Papæ.

Confirmatur ista ratio; Quia *aliqua potestas vel autoritas est in Ecclesia, qua non est in Papa.* Igitur in eo non est potestatis plenitudo. Consequentia patet. Antecedens probatur: Quia confirmatio in fide, de qua dicitur, quod non potest Ecclesia errare, juxta illud: *Petre Rogavi pro te, ut non deficiat fides tua*, non est in Papa, quia hoc *non* est dictum *de fide personali Petri*, cum ipse erraverit, sed *de fide Ecclesia*, de qua dicitur: *Et porta inferorum non pravalebunt adversus eam*, scilicet Ecclesiam. Non enim dictum est: Adversus *te*, sive *Petrum*. Igitur *speciale privilegium* est, & *singularis* autori-

autoritas Ecclesiæ, quod non potest errare in fide. Quod privilegium aliqui extendunt ad Romanam Ecclesiam, aliqui ad concilium generale, aliqui verò solum restringunt ad autoritatem universalis Ecclesiæ. Sed non potest extendi ad Papam, ut dictum est. Igitur &c.

Objectio

Ad partem *affirmativam* quæstionis arguitur, quod *canonica jura* clamant, Papam habere plenitudinem potestatis, cæteros autem vocatos esse in partem sollicitudinis. Nec reperitur jus canonicum, quod dicat, habere plenitudinem esse in aliquo alio singulari supposito, vel particulari collegio.

Confirmatur ista ratio: Quia quælibet particularis potestas Ecclesiastica est vel potest esse in Papa, quæ non est, nec esse potest in universali aut quacunq; particulari Ecclesia seu Collegio. Igitur in Papa solo residet Ecclesiasticæ potestatis plenitudo.

Consequentia patet: Et antecedens probatur: Quia Papa potest quamlibet Ecclesiasticam potestatem exercere, quod non potest universalis Ecclesia seu quodcunque collegium particulare.

Et ut de exercitio ceterarum Ecclesiasticarum potestatum taceamus, sufficiat exemplum dare de potestate consecrandi corpus Christi, vel altera potestate pure sacramentali. Quia constat, quod talis non potest exerceri nisi à persona singulari, & per consequens nec ab Ecclesia universali, nec à Romana Ecclesia particulari, nec à Concilio generali. Quare &c.

Mauritius de Praga Theologus commendatus.

Ad hanc quæstionem se sua humilitate responsurum exhibebat *venerabilis Pater, & egregius Sacræ Scripturæ Doctor, Magister Mauritius de Praga.* Et posuit *tres conclusiones.*

Prima, quod plenitudo potestatis Ecclesiasticæ separabiliter residet in Romano Pontifice.

Secunda, quod plenitudo potestatis Ecclesiasticæ inseparabiliter residet in universitate Ecclesiæ Catholicæ.

Tertia conclusio, quod plenitudo potestatis Ecclesiasticæ residet repræsentative in generali Concilio. Ex his infert correlarium, quod quæstio, ut proponitur, est falsa. Patet à negatione unius Exponentis ad suam Expositam.

Ad præmissas autem rationes sufficiens erat *dictus Magister* respondere, & super his suam intentionem utiliter declarare. Sed quidam *veritatis adversarii*, timentes, ne per ipsum, & deinde per quosdam alios sacræ Theologiæ Doctores, in disputationibus aut determinationibus impugnarentur aliqui errores, in hoc sacro concilio delati, *conspiraverunt* (*MCS. Helmst.* & procuraverunt) dictam disputationem *impediri.*

Contra quos publice verbo & scripto ob reverentiam fidei *protestatus sum*, quod Doctoribus sacræ Theologiæ, maxime in concilio generali, ubi agitur de erroribus extirpandis, non debet inhiberi disputatio aut scholastica determinatio pro declaratione catholicæ veritatis, & reprobatione contrariorum errorum. Alioquin qui de facto secus facerent, redderent se suspectos de fautoria hæreticæ pravitatis.

Quia ergo (dictus Magister) tantum tempus sic impeditus fuit ab hac responsione: Ego hujus quæstionis causa aliqua (*MSC. Helmst.* quæstionis nodum) breviter explicabo.

Responsio ad superiorem objectionem.

Primo dico, quod jura, quæ loquuntur de plenitudine potestatis, intelliguntur de potestate jurisdictionis, & non de potestate ordinis sacramentalis. Quia hæc fuit æqualis in omnibus Apostolis, ut supra tactum est. Ubi super illo verbo: *Pasce oves meas*, dictum est, quod ibi data est Petro potestatis plenitudo, videlicet jurisdictionis.

Secundo dico, quod hæc plenitudo jurisdictionis proprie loquendo solùm residet in Romano vel summo Pontifice, Petri successore. Quia proprie aliqua potestas plene dicitur esse in aliquo, qui illam potest generaliter exercere, & ministerialiter in omnes dispensare. Hoc autem est in solo Papa, & non proprie in aliqua communitate. Quia secundum Philosophum actiones sunt suppositorum.

Tertio dico, quod hujusmodi plenitudo potestatis tropice, & aliquo modo æquivoce, est in universali Ecclesia, & in concilio generali ipsam repræsentante.

Pro cujus declaratione sciendum est, quod, quantum ad propositum pertinet, aliquid tripliciter dicitur esse in alio. *Primo modo* tanquam in subjecto, sicut virtus est in anima, & accidens in substantia, subjective. *Secundo modo*, tanquam in objecto, sicut aliquis effectus dicitur esse in sua causa, vel in suo fine. Quia in illum tendit, tanquam ad suum objectum finale. *Tertio modo*, tanquam in exemplo, sicut res visa dicitur esse in speculo, vel aliqua doctrina in libro. Quia ibi est repræsentative.

Primo ergo plenitudo potestatis est *in Papa*, tanquam in subjecto ipsum recipiente, & ministerialiter exercente. *Secundo est in universali Ecclesia*, tanquam in objecto, ipsam causaliter & finaliter continente. *Tertio est in generali Concilio*, tanquam in exemplo, ipsam repræsentante & regulariter dirigente.

Primum patet ex immediate dictis. Quia Papa proprie est minister, hanc potestatem subjective recipiens, & administrative dispensans, juxta illud Christi *Luc. XXII.* Qui præcessor est in vobis, fiat sicut ministrator.

Secundum patet. Quia plenitudo potestatis non est causaliter propter Papam, sed Papa & ejus potestas propter Ecclesiam, & ad eam ordinatur, sicut ad finem, id est, ad ejus ædificationem Quia secundum sententiam Apostoli *II. Cor. X. & capite ultimo*, hanc potestatem dedit Dominus in ædificationem Ecclesiæ, & non in destructionem.

Tertium patet ex eodem verbo Apostoli. Quia si Papa uteretur hac potestate ad destructionem Ecclesiæ, *generale Concilium* est exemplum vel speculum, dictam universalem Ecclesiam repræsentans, & ejus vice & nomine *abusum hujusmodi plenitudinis potestatis coërcens*, regulans, & dirigens.

Et hæc omnia plenius patebunt ex dicendis in ultimo capitulo hujus operis. Et secundum præmissa & inferius dicenda, *rationes* hinc inde superius factæ faciliter *solvuntur*. Ex præmissis patet, quod sicut *plenitudo potestatis est in generali concilio* repræsentative, ita aliquo modo, licet non æqualiter, est *in Romana Ecclesia*: Quia ipsa universalem Ecclesiam repræsentat, & in condendis Ecclesiasticis juribus seu canonibus ipsius vices gerit. Et hoc sibi competit ratione sui capitis, id est, Papæ, qui huic Ecclesiæ specialiter præest, ut tactum est in prima ratione quæstionis. Et ideo Romana Ecclesia dicitur sedes Apostolica. Quia in ea sedet Apostolicus, id est, præsidet Apostoli Petri successor.

Cap. II.

Papam subjici judicio Concilii generalis.

Restat videre, *utrum Papa subjiciatur judicio concilii generalis, non obstante sua potestatis plenitudine.*

Ad quam quæstionem breviter respondeo *affirmative*. Nec solùm ei subjicitur in casu, quo accusaretur *de crimine hæresis* proprie dictæ, sed *etiam in quibusdam aliis casibus*, qui possent quodammodo reduci ad hæresin large sumtam, & hoc ratione obstinationis & incorrigibilitatis in crimine.

Hæc autem conclusio *in condemnatione & depositione Johannis Papæ XXIII.* practicata est *per hoc concilium generale*, *cujus determinationi contradicere non licet.* Pro qua facit id, quod prædictum est in octava propositione primi capituli secundæ partis, sed magis declarabitur hæc materia in ultimo capitulo hujus operis.

Quia vero nonnulli *adversarii veritatis*, & errorum defensores, hanc mihi imposuerunt infamiam, quod disputare volebam de plenitudine potestatis Romani Pontificis, ut ejus ac Romanæ Ecclesiæ potestatem extollerem, & deprimerem autoritatem Concilii generalis: Ideo ad hanc maculam expurgandam declarabo, qualiter non solùm nunc, sed jam dudum *generale concilium stabilire nisus sum.* Et specialiter *in hujus concilii initio.* Unde tunc *grave & periculosum dicti Johannis Papæ odium incurri*: Cum propter aliquas *conclusiones*, *quas posui* ad hunc finem, *ne præsens concilium dissolveretur*, donec & quousque in *Concilii generalis autoritas asserta.* *Vid. Tom. II. Part. VIII. Cap. IV. & seqq. f. 183.*

in ipso plene congregato esset tractatum de perfecta & integra Ecclesiæ unione, & ejus debita reformatione in capite & in membris, & quod oppositum dicere aut facere saperet fautoriam schismatis & hæreticæ pravitatis: Tum etiam, quia *quidam* ejus fautores & *impugnatores dictarum conclusionum* adversus me quasdam accusationes confinxerunt, & eidem scripserunt sub hac forma: *Casus, super quo Reverendissimus Dominus Cardinalis Cameracensis consilium habuit cum sacra Theologia Magistris, regularibus & secularibus diversorum Studiorum, est iste: Si errores contra* (circa) *fidem Johannis Wicleff* 45. *damnari debent per summum Pontificem sub hac consueta forma, alias in conciliis observata*, videlicet: *Nos hoc sacro approbante concilio damnamus* &c. *Aut damnari debent sub ista forma ab ipso concilio, absque expressione summi Pontificis: Sacrosanctum concilium damnat, reprobat &c. Et ibi per eum allegato: Quod per concilium, & non per Papam: Quia concilium est majus Papa, cum sit totum, & Papa sit pars ejusdem: Et ita ex actibus Apostolorum, & quibusdam decretis sanctorum magis consonum videbatur scriptura sacra, unde & magis Theologicum:* (in MSC. Helmst. & magna Theologica facta est contentio) *Facta est contentio inter supra scriptos* (Magistros) *Quorum de numero XL. Duodecim fuerunt sua opinionis, cæteri vero viriliter sibi restiterunt in faciem, dicentes: Concilium nullam per se autoritatem habere, nisi ex capite: Et per consequens non debere sententiare neque definire tanquam principale, sed caput concilio consentiente. Inde deventum est, verbis verba dantibus, quod ipse Dominus Cardinalis asseruit, quod concilium est supra Papam, & potest eum deponere: Aliis, paucis exceptis, sibi in faciem viriliter contradicentibus. Unde remansit in suo proposito, cum intentione illa proponendi concilio.*

Accusatio à malevolis Petrus de Alliaco in principio Concilii, quod Concilii autoritatem extolleret.

Ad dictam vero *schedulam* rescripsi dicto Domino Johanni, offerens me responsurum coram Dominis Cardinalibus, omnibus Magistris in Theologia convocatis. Et tunc paratus fui respondere, ponendo *sex propositiones* in forma, quæ sequitur.

Apologia. Pro *responsione ad dictam schedulam* dico *primo*: Quod quærere: An errores contra fidem, in hoc sacro concilio damnandi, debeant per summum Pontificem damnari sub hac forma: *Nos, hoc sacro approbante concilio, damnamus &c.* aut damnari debeant sub ista forma: *sacrosanctum concilium damnat &c.* Non est quæstio inutilis aut supervacua, nec ad materiam fidei, quæ tractatur, est impertinens. Patet, quia *utraque forma in decretis generalium conciliorum reperitur.* Nam sicut tunc fuit allegatum, secunda forma condemnandi habetur in multis locis libri conciliorum, & etiam Decreti & Decretalium. Ubi sic dicitur: *Placuit concilio sacro*, vel, *Concilium definit*, vel, *statuit sanctum Concilium*. Papa etiam quandoque dicit: *Sacri autoritate concilii & consensu, atque reliquorum fidelium, & cunctorum consiliariorum nostrorum consultu, definitum est.* Et prima habetur in multis constitutionibus synodalibus, & maxime in juribus novis.

Secundo dico, quod Theologi, dicentes, primam formam esse convenientiorem, quam secundam, & Theologiæ magis consonam vel conformem, non inconvenienter aut improbabiliter loquuntur, nec per hoc reprobant, sed approbant, primam formam esse convenientem. Sed quod alia sit Theologiæ conformior, patet, quia *in actibus Apostolorum autoritas definiendi attribuitur concilio*, & non generaliter (*in MSC. Helmst.* specialiter) Petro, ubi dicitur: *Placuit nobis collectis in unum* &c. Et beatus Gregorius, *XV. di in cap. Sicut.* Ubi dicit, se quatuor concilia sicut sancti Evangelii quatuor libros venerari. Subdit causam: Quia universali consensu constituta sunt.

Unde videtur sequi, quod *autoritas definiendi*, maxime in materia fidei, *pertinet ad concilium generale.* Et idem dicunt aliqui, quando agitur *de facto Papæ.* Quod patet in conciliis Symmachi, ubi dicunt Episcopi: *Decernimus, & synodali autoritate roboramus, Et, synodalis ordinatio vigeat.* Et in subscriptionibus Episcoporum dicitur: *His constitutis synodalibus à nobis probatis atque firmatis.* Et multa alia hujusmodi.

Tertio dico, quod ex præmissis sequitur,

tur, quod *dicta schedula* est erronea, & quantum in se est destructiva autoritatis concilii Pisani, & per consequens Domini nostri Papæ & præsentis concilii, quæ ex illo dependet. Patet, quia dicta schedula ponit & approbat, concilium nullam per se autoritatem sententiandi & definiendi habere, nisi ex capite, videlicet Papa, & per consequens non debere sententiare neque definire tanquam principale, sed caput concilio consentiente. Nam constat, quod *concilium Pisanum non habuit autoritatem sententiandi & definiendi à Papa*, tanquam à capite. Quia autoritate Papæ non fuit congregatum, sed ipso contradicente, cum ibi duo contendentes fuerint condemnati, quorum alter erat Papa, sicut communiter tenebat Ecclesia Christiana.

Quarto dico contra prædictam schedulam, quod etiam ex præmissis sequitur, quod sicut *concilium Pisanum ita & aliud concilium in aliquo casu esse potest supra Papam, & potest eum deponere.* Patet: Quia non apparet major ratio de uno concilio, quam de alio.

Quinto dico, quod concilium, præsente Papa, à quo ipsum concilium vocatum, est velut unum corpus mysticum, cujus Papa est caput, & alii sunt membra. Et ideo secundum aliquos non solum falsum, sed fatuum esset, dicere, quod major sit autoritas unius partis, quàm totius corporis.

Sexto ex præmissis sequi videtur secundum aliquos, quod *falsa est quorundam Juristarum opinio, dicentium, quod in concilio generali Papa duntaxat judicat & definit. Et si eo præsente ibi aliqua statuentur, concilium nihil statuit, sed suadet & consulit. Nec Papa tenetur sequi deliberationem vel suasionem concilii. Sed quod standum videretur sententiæ Papæ, si contradiceret Ecclesiæ vel concilio.* Patet. Quia universalis Ecclesia à Christo, & non à Papa hoc privilegium autoritatis habet, quod in fide errare non potest. Et hanc etiam autoritatem secundum aliquos habet concilium, hanc universalem Ecclesiam repræsentans. Sed talem autoritatem non habet Papa, cum errare possit in fide. Ergo in hoc *major* est *autoritas concilii vel Ecclesiæ, quàm Papa.* Unde oppositum dicere multis videtur esse hæreticum, & ex juribus male intellectis erronee conclusum.

Cap. III.

De Johannis Patriarchæ Antiocheni schedula, in principio Concilii proposita, de autoritate Papæ supra Concilium.

SEd adhuc restat circa præmissa recitare *opinionem cujusdam magni Prælati & Doctoris*, quam in finali capitulo probabo esse contrariam catholicæ veritati. Hæc autem *ejus Prælati opinio* per quandam schedulam, scriptam manu propria, & suo nomine (MSC. Helmst. sigillo) subscriptam, & dicto Johanni Papæ directam, postea innotuit. Cujus *schedulæ tenor* sequitur, & duas continet quæstiones.

Vid. Tomo II. Parte XIII. cap. II. f. 296.

Prima quæstio: *Utrum Papa catholicus subjiciatur concilio generali?* Ad quod sub determinatione sanctissimi Domini nostri Papæ dico *quod non*, rationibus sequentibus. Et *primo*. Quia potestas Ecclesiæ ita fuit data per Christum corpori mystico Ecclesiæ militantis, & sic eam voluit ad omnium Apostolorum officium pertinere, ut in beatissimo Petro Apostolorum omnium summo principaliter collocaret, ut ab ipso quasi quodam capite dona sua velut in corpus omne diffunderet, teste beato Leone Papa in canone *Ita Dominus, XIX. di.* Cui concordant communiter *Alexander de Halis*, & alii Doctores sacræ Theologiæ. Sed non reperitur testimonio autentico, quod beatus Petrus Apostolus, vel alius ejus in sede Apostolica successor, aliquam potestatem dederit præfato concilio generali supra Papam. Igitur præfatum concilium in Papam nullam habet potestatem, & per consequens Papa illi non subjicitur. Et si impugnaretur dictus canon *Ita Dominus*, quasi fidem non faciens, constat impu-

impugnationem hujusmodi efficaciâ carere, testimonio sacrorum eloquiorum, de quibus habetur in canone *Sancta Roman. XV. di.* & in *cap. Nulli per has, 25. qu. 1. & c. Violatores* & *c. omnia* & *c. Huic consona, eadem causa & quæstione:* In quibus Hilarius, Damasus & Gregorius Romani Pontifices impugnationem hujusmodi damnarunt, impugnatores puniri decreverunt. Quibus concordant *cap. I. de insti. & cap. Si quis omnem, I. q. VII.* & *cap. Si Romanorum, XIX. di.*

Quinimo cavere debent impugnatores dicti *cap. Ita Dominus*, seu aliorum canonum à Romanis Pontificibus editorum, à sententia Ecclesiæ, per Nicolaum Papam in canone *omnes, 22. dist.* prolata, per quam conantes auferre privilegium, Romanæ Ecclesiæ ab ipso summo omnium Ecclesiarum capite traditum, in hæresin labi decernuntur.

Secundo. Quia non ab Apostolis, & sic nec à corpore Ecclesiæ seu concilio generali, sed ab ipso Domino JesuChristo Romana Ecclesia primatum accepit, inquit Anacletus Papa servus Christi Jesu, in *canone, Sacrosancta, ead. dist.*

Tertio. Quia Papa habet plenitudinem potestatis. *II. q. VI. Decreto, De usu pallii, Ad honorem.* Ergò alii etiam simul congregati illi subjiciuntur, & non ipse eis.

Quarto. Quia concilia recipiunt potestatem à Papa & non Papa à conciliis, ut in *c. Significasti, De elect. 27. di.* per totū.

Quinto. Quia ipse omnes judicat, & nullus ipsum, *22. di. Omnes.*

Sexto. Quia Apostolicæ sedis judicium, cujus autoritate non est majus, à nemine est retractandum, in *canone patet, IX. q. III.*

Septimo. Quia aliorum hominum causas (quæstiones) Deus voluit per homines terminare, sed sedis Apostolicæ præsidem suo sine quæstione reservavit arbitrio, ut in canone, *Aliorum, eadem causa & quæstione.* Et concordant *cap. Facta, & cap. Cuncta per mundum, eadem causa & quæstione.*

Octavo. Quia etiamsi Papa animas catervatim ad inferos deduceret, nullus nisi Deus hanc culpam in hoc mundo redarguere potest. Quia ipse cunctos judicaturus à nemine est judicandus, nisi deprehendatur à fide devius, ut in *canone, Si Papa, 40. di.* Et concordant notata per Hostiensem & ejus sequaces in *cap. Proposuit, De concessione prebendarum.* & per *Jo. An. in cap. Ad Apostolica, De re judic. lib. VI. in prima glossa.*

Nono. Quia etiam, quando agitur contra Papam, concilium non potest eum judicare sine ejus autoritate, ut in *c. Nunc autem, 21. di.* & in *§. Hinc etiam, 17. di.*

Decimo. Quia Papa Catholicus caput est ecclesiæ & Christi vicarius, ut patet in dicto canone, *Ita Dominus*, & concordant notata per *Joh. Andr.* in Clement. *Ad nostram, in glossa magna De hæresi.* Igitur per corpus, separatum ab eo, quod sine capite virtutem non habet, *cap. Cum non liceat, De præscription.* judicari non potest, sicut nec Episcopus à suo capitulo, *cap. Cum inferior, De major. & obedientia.*

Nec obstant rationes, quas quidam in contrarium persuadere nituntur, ut patet ex sequentibus.

Et primo *ad primum*, dum dicitur; quod quando Petrus *claves* accepit, Ecclesiam significavit, ut in can. *Quodcunque, 24. q. 1.* Respondetur: illud intelligendum fore secundum doctrinam dicti canonis, *ita Dominus, XIX. di.*

Ad secundum, dum dicitur quod Papa subjiciatur conciliis, ut in *c. Sicut Sancti, XV. di.* Respondetur, illud verum, quoad observantiam articulorum fidei, ut ibi notatur per glossatorem. Et ad *capitulum Quæ ad perpetuam*, & *c. Sunt quidam*, & ad alia similia, *XXV. q. 1.* dicitur, quod vel loquuntur de honestate, vel referri debent ad observantiam articulorum fidei. Et ista responsio corroboratur per notata per glossatorem in dicto *c. Sunt quidam.* Ubi notatur, quod quandoq; dispensat contra generale statutum Ecclesiæ, & etiam contra Apostolum. Quod intelligo, quando sic dispensatio non offendit articulos fidei, sicut dicitur per glossatorem in dicto capitulo: *Sicut sancti*, Nec obstant notata per glossatorem in capitulo: *Si duo contra fas, 79. di.* ubi dicitur, quod in

in (super) contentione papatus concilium potest esse judex. Et idem videtur sentire *Huguvitius* & *Joh. Andr.* in *cap. I. de Renunc. lib. VI. in Novella.* Quoniam dicta opinio repugnat juribus supra in I. quæstione deductis, nisi prætenderetur contra contendentes schisma importans hæresin, sicut factum fuit contra Petrum de Luna & Gregorium. Nec obstant notata per glossatorem in dicto *c. Si Papa.* Quia jura pro causa (per eum) allegata non probant intentum glossatoris, extra hæresin proprie sumtam.

Secundo quæritur: *Si definitiones & statuta fienda in hoc sacro concilio generali, sub nomine Papæ, vel concilii, vel utriusq; fieri debent?*

Ad quod respondetur, *quod sub nomine Papæ* fieri debent. Quia à Papa procedit virtus & autoritas Concilii, ut patet per jam dicta supra in prima quæstione. Poterit tamen addi: *Sacro approbante concilio*, sicut antiquitus in aliis conciliis observari consuevit. Et quod sub nomine Papæ fieri debeant tales definitiones sacro approbante concilio, patet in *c. Damnamus, §. Nos autem, De Sum. Trinit. In antiquis* & in *c. unico, ejus tit. lib. 6.* & in *c. Ubi majus periculum, e. lib. de elect.* & *c. Ad Apostolicæ. De re jud. eodem libro.* & in *c. uno de summ. Trinit. in Clem.* & *cap. Ad nostrum, De hæreticis* & *c. 1. De usuris. in Clem.*

Item, quod talia fieri debeant sub nomine Papæ secundum tempora antiqua, patet in *c. Adrianus, LXIII. di.* & in *cap. In nomine Domini, XXIII. di.* Nec obstant scripta, in quibus dicitur; *Concilium definit sic.* &c. Quia vel locum tenent, cum Papa deprehenditur à fide devius pertinaciter. Nec obstat *cap. Nunc autem, XXI. di.* Vel, si sit catholicus; cum in conciliis Papa non erat, sed aliàs illis (illam autoritatem præstabat) autoritatem præstabat. Vel, si erat, quoniam sic fieri ex sui humilitate permittebat, & ad hoc autoritatem præstabat, sicut factum fuit in concilio congregato contra Symmachum Papam, de quo habetur in dicto §. *Hinc etiam XVII. di.*

Et si dicatur, *quod, cum de reformatione capitis Ecclesiæ agitur, non videtur honestum, quod Papa sit præsidens, & judex.* Respondetur. Quod alius quam ipse hoc casu non potest esse judex, juxta jam dicta in prima quæstione. Nisi ex sua humilitate, quod facere non tenetur de necessitate, aliis hoc committeret, & ad hoc autoritatem præstaret. Cessatque hoc casu doctrina illius tituli *c. Ne quis in causa sua judicet* &c. Quoniam in Papa non habet locum ut patet in dicto *cap. Si Papa*, & aliis juribus ad hoc supra allegatis. Et hæc sint dicta sub correctione & determinatione vestræ sanctitatis. *Joh. Patriarcha Antiochenus, devotus Orator vester.*

Ex prædicta *schedula* sic subscripta patet, quod sicut *latet anguis in herba*, sic iste inter *fautores & præfatos adulatores dicti Johannis Papæ latitabat*, qui eum lacte erroris nutrientes ad exterminium deduxerunt, contra illud Psalmi: *Corripiet me justus in misericordia, oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.*

Refutata illa schedula ac sententia Patriarchæ à Petro de Alliaco Cardinale.

CAP. IV.

Plenior probatio autoritatis Concilii in Papam.

PRæmissam verò *opinionem erroneam* esse, & *politia Christiana periculosissimam*, satis patet ex actis in hoc sacro concilio.

Verum est tamen, quod post publicationem præcedentis capituli præfatus reverendus Pater, *Dominus Patriarcha*, in præsentia sacri collegii *se excusavit, quod illam schedulam non scripserat determinative, sed solum arguitive.*

Nihilominus *ad robur & confirmationem concilii*, probare intendo jure naturali, divino, & humano, *quod Papa subest in multis casibus judicio concilii generalis.* Et hoc declarabo ex his, quæ scripsi in *tractatu*, quem dudum compilavi *De concilio generali, parte secunda circa finem.* Ubi allegavi, quod de causa Papæ non liceat subito definire, vel ejus facta judicare, ut *IX. q. III. c. Nemo*, & capitulis sequen-

quentibus. Cujus capituli occasione, quia ibi de Papa dicitur: Nec ab omni clero judex judicabitur: Videtur aliquibus, quod Papa non possit etiam per concilium generale judicari. Unde ibi dicit *glossa* super verbo: *Ab omni clero*, quod hic est argumentum, quod concilium non potest Papam judicare, ut *Ext. De Elect. c. Significasti.* Unde, si totus mundus sententiaret in aliquo negotio contra Papam, videtur, quod sententiæ Papæ standum esset, ut *XXIV. q. 1. Hac est fides.* Sed est argumentum contra, quod orbis est major urbe. *ut patet* 93. *di. Legimus.* Licet autem glossa non solvat, nec concordet hic ista contraria, tamen in eodem capitulo remittit ad *cap. si Papa*, *XL. di.* ubi de hoc determinavit. Ibi autem dicit textus: *Si Papa sua & fraterna salutis negligens deprehenditur, inutilis & remissus in operibus suis &c.* Et sequitur: *Tamen hujusmodi culpas redarguere præsumit hic nullus mortalium. Quia cunctos ipse judicaturus à nemine est judicandus, nisi à fide deprehenditur devius* &c. Et ibi super verbo: *Devius à fide*, adjicit *glossa*, quod hoc intelligit *Hugvvitius*, cum *Papa non vult corrigi.* Si enim paratus esset corrigi, non posset accusari, ut 23. *q.* 1. *A parte*, cum suis similibus.

Sed quærit *glossa* prædicta: Quare Papa non potest accusari de alio crimine, quam de hæresi? Ponamus enim, quod notorium sit crimen ejus, vel per confessionem, vel facti evidentiam: Quare non accusatur vel de crimine Simoniæ, vel adulterii, & cum admonetur, incorrigibilis est, & scandalizatur Ecclesia per casum ejus, seu crimen? Et ad hoc respondendo dicit glossa: *Certe credo, quod si notorium est crimen ejus quodcunque, ut inde scandalizetur Ecclesia & incorrigibilis sit, quod inde possit accusari.* Nam contumacia dicitur hæresis, *ut* 81. *di. Si qui presbyteri.* Et contumax dicitur infidelis, ut *XXIII. di. Nullus.* Hic tamen fit mentio specialiter de hæresi. Ideoque, etsi *occulta* esset *hæresis*, de illa tamen posset accusari, sed de alio occulto crimine non posset. Et intelligo hic crimina occulta, id est, quæ non sic sunt scandalosa, ut ex eis tota turbetur Ecclesia, juxta modum loquendi glossæ prædictæ. Et consimiliter intelligendum est *cap. Nemo*, cum suis similibus. Vel potest dici, quod ibi illud verbum, *nec ab omni clero judex judicabitur*, non capitur collective pro toto clero universali, seu concilio generali, sed capitur distributive. Ut sit sensus, quod à nullo clero, id est nulla parte, seu à nullo collegio cleri particulari Papa judicandus est. Vel capitur ibi *omnis clerus* pro collegio Cardinalium seu toto clero Romano, vel Romanæ diœceseos.

Ex quibus omnibus concluditur, quod *Papa potest in certis casibus per generale concilium judicari.*

Sed contra hoc *objiciunt* aliqui; Quia major non judicatur à minori, nec superior ab inferiori, ut 22. *di. Quia ergo.* Sed Papa est major & superior concilio. Ergo non judicatur ab eo. *Objectionem.*

Imò ultra dicunt, quod in concilio generali Papa duntaxat judicat & definit. Et, si eo præsente ibi aliqua statuantur, concilium nihil statuit, sed suadet & consulit, ut *De baptismo c. fin. §.* Ubi dicit Papa, *sacro concilio suadente districte præcipimus.* & in *cap. Ad Apostolica, De re judi. lib.* 6. dicitur: *De consilio concilii*; Et circa finem: *Nos itaque cum fratribus nostris, & concilio nostro, deliberatione præhabita* &c. Et aliqua similia habentur in juribus.

Ex quibus notant aliqui Doctores Canonistæ, quod Papa non habet necesse sequi deliberationem vel suasionem concilii. Quare multo minus potest ab eo judicari. Unde *Joan. Andr. in Novella c. significasti, De Elect.* dicit, super verbo *Robur:* Ergo videtur standum sententiæ Papæ, si contradicat Ecclesiæ vel concilio.

Ad hanc autem rationem *respondetur primo*, quod *Major* rationis, licet regulariter sit vera, tamen quandoque fallit. Nam Rex Franciæ, qui est major & superior in toto regno, sæpe in aliquibus casibus judicatur, & contra eum fertur sententia in suo Parlamento. Similiter Papa in foro conscientiæ à simplici sacerdote judicatur, etiam in foro exteriori potest judicari ab inferiori suo, si se ei sponte subjiciat, ut *II. q. VII. Nos* *Dubla solutio.*

si incompetenter aliquid egimus &c. Ubi Leo Papa loquens Imperatori dicit: *Vestro cuncta volumus emendari judicio*.&c.

Secundo ad prædictam objectionem dicitur, quod *Minor* rationis non est vera, scilicet, quod Papa est major & *superior concilio*, licet sit major & *superior in concilio*, cum sit caput omnium membrorum. Et ad hoc probandum videtur esse ratio evidens: Quia omne totum sua parte majus est, loquendo de toto respectu suarum partium integralium: Sed Papa est pars concilii, sicut caput pars corporis: Ergo totum concilium majus est Papa. Et per consequens autoritas totius concilii major est autoritate Papæ. Unde dicit Hieronymus: *Si autoritas quæritur, orbis major est urbe.* Ubi dicit glossa in *cap. Legimus*, supra allegato, quod hic subsumitur argumentum, quod *statutum concilii prajudicat statuto Papæ.* Et *XIX. di. c. Anastasius*, dicitur, quod multi clerici se à communione ipsius abegerunt, eò quod sine consilio Episcoporum communicasset cum Photino hæretico. Ubi dicit glossa, quod Papa tenetur requirere consilium Episcoporum, ubi de fide agitur, & tunc synodus major est Papa, ut *XV. di. Sicut*, & 23 *q. Arcanis* 1. *c.* 1. Super verbo: *Quicunq; in hæresin semel damnatam labitur*, dicit glossa: *Hic est casus, in quo Papa in canonem lata sententia incidit.*

Nec obviat regula illa, Quia par parem solvere aut ligare non potest. Quia si Papa hæreticus est, in hoc minor est quolibet catholico *XII. q.* 1. *Scimus.* Multo magis ergo minor & inferior generali concilio.

Tertio ex his sequitur, quod illud *falsum est*, quod ultimo in illa ratione assumitur: Scilicet, *quod in concilio generali solus Papa judicat & definit.* Quia licet in conciliis generalibus Papa communiter proferat sententiam, tamen *autoritate & consensu concilii.*

Nec bene concludunt illi Doctores, qui arguunt: *Concilium consulit & deliberat: Ergo non definit, vel judicat.* Nam contrarium expresse legitur in multis locis libri conciliorum, & etiam Decreti & Decretalium, ut supra allegatum est *II. cap. III. partis.*

Quarto dicitur ad confirmationem prædictæ solutionis: Quod illi, qui, ut præmissum est, sic *deprimunt autoritatem definitivam conciliorum*, exaltando & magnificando autoritatem summorum Pontificum, non solùm *docent contra jura humana præallegata*, sed *etiam contra jus divinum.* Nam in primo concilio celebrato Hierosolymis, de quo habetur *Act. XV.* Jacobus, qui erat Episcopus Hierosolymis, etiam præsente Petro protulit sententiam. Unde ibi dicitur: *Propter quod ego judico, non inquietari eos &c.* Et ibidem scripta est Epistola, cujus initium est: *Apostoli & seniores fratribus qui sunt Antiochiæ* &c. sequitur: *Placuit nobis collectis in unum eligere viros.* Sequitur: *Visum est Spiritui sancto & nobis, nihil ultra imponere &c.*

Ex quibus omnibus patet, quod autoritas definiendi seu determinandi in concilio non ibi attribuitur Petro, quamvis esset caput Ecclesiæ, sed toti concilio Apostolorum, & seniorum, quorum consensu lata est & publicata sententia.

Quinto ex his concluditur, quod *autoritas & determinatio concilii attribuenda est determinationi Spiritus Sancti.* Quia ibi dicitur: *Visum est Spiritui S. & nobis &c.* Cui concordat, quod dicitur 25. *q.* 2. *c. Igitur.* Ubi dicit Leo Papa, sanctorum Patrum canones Spiritu Dei conditos, & totius mundi reverentia consecratos.

Et hinc trahitur, secundum aliquos, quod concilium generale non potest errare in his, quæ sunt fidei. Quod etiam probatur ex illo verbo Christi: *Petre rogavi pro te, ut non deficiat fides tua.* Quia *hoc non est dictum de fide personali Petri*, cum ipse erraverit, *sed de fide universalis Ecclesiæ*, quæ repræsentatur in concilio generali. De qua etiam dictum est: *Et portæ inferni non prævalebunt adversus eam*, scilicet Ecclesiam. Non enim dictum est: Adversus te, scilicet Petrum.

Ex quibus patet, quod *judicium concilii præferendum est judicio Papæ*, cum ipse in his, quæ fidei sunt, possit errare, sicut & Petrus, de quo dicit Paulus *Galat. II. cap.* quod ei restitit in faciem, quia reprehensibilis erat, non recte ambulans

lans ad veritatem Evangelii &c. Tamen secundum aliquos hoc est speciale privilegium universalis Ecclesiæ, quod non possit errare in fide. Licet hoc idem pie credatur de concilio generali, scilicet, *quando innititur divina scriptura* vel autoritati, quæ à spiritu Sancto conspirata est. Aliàs sæpe erravisse legitur.

Ex his *sexto* infertur, quod, quamvis *Papa* concedatur esse *caput Ecclesiæ*, tamen hoc est *sub principali & essentiali capite Christo. Et* ideo *subordinatio* corporis Ecclesiæ ad Papam est solùm *accidentalis:* Sed essentialis ad Christum, à quo immediate habet autoritatem, & illud privilegium, quod non potest errare in fide, quod privilegium non habet à Papa.

Et ideo, licet autoritas Papæ in illis, quibus non errat, sit à jure divino immediate, juxta verbum Christi: *Et ego dico tibi, quod tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.*&c. Tamen ex hoc non sequitur, sicut aliqui volunt concludere, quod reliqua autoritas & tota potestas Ecclesiæ sit à Papa immediate. Nam hoc potest multiplicem pati calumniam.

Primo, quia autoritas sacerdotalis, quæ quantum ad potestatem ordinis sacramentalis major est in ecclesia, non semper immediate derivatur à Papa. Cum *stet, aliquem esse Papam & non sacerdotem*, & per consequens tunc non posset proprie conferre ordinem sacerdotalem.

Secundo, & magis ad propositum. Quia nullo etiam existente Papa, habet Ecclesia multiplicem potestatem tam ordinis, quàm jurisdictionis, quæ tunc non derivatur nec dependet à Papa.

Tertio, hanc autoritatem habet universalis Ecclesia, ut dictum est, quod in fide errare non potest. Et hæc nec mediate nec immediate à Papa dependet: Quia illam non habet.

Ex quibus omnibus sequitur, quod potestas seu autoritas Ecclesiæ immediate est à Christo, & non à Petro. Et hoc notatur in verbis Christi. Quia non dicit, *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabis*, sed *ædificabo*; nec dicit, *tuam*, sed Ecclesiam *meam*.

Item ad hoc facit, quod ait *Augustinus, libro de Agone Christiano cap. 22.* ubi dicit, quod Ecclesiæ claves regni cœlorum datæ sunt, dum Petro datæ sunt, & quod ei dicitur, ad omnes dicitur.

Septimo, ex hoc verbo & aliis præcedentibus infertur, quod Ecclesia debet obedire Petro & ejus vicario, tanquam capiti suo, in his, quæ pertinent ad Ecclesiæ ædificationem, & non ad ipsius destructionem. Quod etiam expresse probat Apostolus *II. Cor. X.* ubi ait: *Nam, si amplius gloriatus fuero de potestate nostra, quam nobis dedit Dominus in ædificationem, & non in destructionem.* Et ibidem *capite ultimo: Absens scribo, ut non agam præsens durius secundum potestatem, quam Dominus dedit mihi in ædificationem.* Et ideo, ubi Papa utitur potestate sua in ædificationem Ecclesiæ, multa specialia privilegia habet, quæ sibi soli competunt. Quæ in *cap. Cum ex generali privilegio, De translatione Episcoporum*, notat *glossa*. Sed hæc privilegia non habet Papa in destructionem Ecclesiæ, ut 25. *q. 2. cap. Si ea destruerem.*

Octava. Ex omnibus præmissis concluditur, quod tam de jure humano, quam divino concedendum est, *Papam posse ab universali Ecclesia, vel à generali concilio* eam repræsentante, in multis casibus *judicari* & condemnari, & *ab eo ad concilium in multis casibus posse appellari*, videlicet in casibus Ecclesiæ destructionem tangentibus.

Et hoc ultra præmissa probatur ratione. Quia aliter sequeretur, ipsum Christum, verum & summum caput Ecclesiæ, & institutorem ejus sapientissimum, eam non perfecte & sufficienter ordinasse, quod est hæreticum & contra illud *Deuter. 32. Dei perfecta sunt opera.* Et patet consequentia. Quoniam illa communitas non est sufficienter ordinata, quæ perditioni suæ & demolitioni publicæ non potest occurrere. Sic esset de Ecclesiastica politia, in casu, quo Papa per hæresin manifestam, aut tyrannidem apertam, aut aliud notorium crimen conaretur eam subvertere, & nemo ei dicere posset, *cur ita facis*, scilicet per viam juris ei resistendo, id est, ab eo appellendo,

eum accusando, & per concilium judicando. Hoc enim esset Papæ concedere potestatem non in ædificationem sed in destructionem. Quod est contra præmissam sententiam Apostoli, quam non solo verbo docuit, sed *exemplo* firmavit, quando scilicet Petro restitit in faciem, ut dictum est.

Ubi considerandum, quod, licet Petrus à Paulo fuerit reprehensus, & rationabiliter reprehensibilis, quia scilicet non recte ambulabat ad veritatem Evangelii, tamen nec ex textu, vel ex glossa apparet, quod Petrus fuerit hæreticus, nec erraverit errorem hæreseos. Quare similiter *Papa in aliquibus casibus, ubi non est hæresis, potest reprehendi & corrigi.*

Nec oppositum sufficienter probant aliqui, ex illis capitulis supra allegatis, scilicet ex *cap. Oves*, & ex *cap. Si Papa.* Imo magis sequitur propositum ex illis verbis, *nisi à recta fide exorbitaverit; & nisi deprehendatur à fide devius.* Quia tunc semper Papa à recta fide exorbitat & deviat, quandocunque non recte ambulat ad veritatem Evangelii. Cum veritas Evangelii sit recta fides. Sed hoc potest contingere in mulis casibus aliis, quàm in casu hæresis. Sicut in illis, in quibus scandalose turbaret & manifeste destrueret Ecclesiam. Et per consequens in illis posset corrigi, accusari & judicari.

Et si quæratur, si Papa in his casibus recuset convocare concilium, quid fiet? Respondetur, quod in hoc casu, si hoc recuset sufficienter requisitus, faciendum esset, sicut si sede vacante similis occurreret necessitas.

Et ad hoc est evidens ratio. Quia nisi, sede vacante, vel etiam Papa renuente concilium celebrare, posset per Ecclesiam remedium adhiberi, sequeretur, quod Ecclesia non haberet sufficientem securitatem (fœcunditatem) & fœcundam virtutem ad se conservandum & continuandum. Et sic posset penitus deficere politia Christiana, quod est contra dictum Christi: *Ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi.* Et tamen patet consequentia. Quia si nullo existente Papa Cardinales obstinati essent, non vellent eligere, vel in Ecclesia seditionem facere vellent, & eam hostiliter perturbare, vel etiam, si à nova electione essent à Principibus tyrannice impediti, aut carceraliter detenti, vel omnes mortui, aut si Papa & ipsi fierent hæretici manifesti, constat, quod si in talibus vel similibus casibus residuum Christianitatis, quod tunc esset, etiam non possent concilium facere, & novum Papam, & alium clerum eligere, & contra casus prædictos & similes salubriter providere, necesse esset perire, & deficere Ecclesiasticam politiam.

Quapropter consequens est, ut ad obviandum tanto discrimini concedatur, *universalem Ecclesiam posse autoritate Christi generale concilium in prædictis casibus congregare.* Cui concordat illud dictum Christi: *Ubi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, in medio illorum sum.*

In qua autoritate considerandum est, & supra omnem autoritatem juris humani ponderandum, quod ait Christus, *In nomine meo.* Non autem in nomine *Petri* vel nomine seu autoritate *Papæ*, sed *in nomine meo*, quod est nomen Jesu, id est Salvatoris & *salutis*, juxta aliud ejus simile dictum: *Quæcunq; petieritis patrem in nomine meo*, id est, quicquid petieritis *pertinens ad salutem.* Ex quo datur intelligi, *ad salutem Ecclesiæ posse congregationem fidelium fieri*, si illi, ad quos regulariter pertinet, non possint aut velint hoc exequi. Sed quod in dicto *cap. Significasti* dicitur, quod Ecclesiæ Romanæ nulla concilia legem præfixerunt, & quod in eis & eorum statutis Romani Pontificis excipitur autoritas: Respondetur, quod hoc cũ suis similibus regulariter & in pluribus verũ est, sed tamen *in aliquibus fallit*, quod particulariter declarare non est præsentis operis. In casibus autem præmissis manifesta est instantia. Sicut ratione & divina autoritate probatum.

Prædicta autem omnia, quæ breviter in hoc capitulo dicta sunt, *in præallegato tractatu* plenius declarantur.

Hæc igitur ad *decem capitula*, in prologo

logo hujus operis proposita, mihi pro responsione videntur sufficere. Quæ tamen non definitive determinando, sed doctrinaliter *suadendo* posita sunt. Nam hujus rei definitionem *sacri concilii determinationi* submitto. Offerens nihilominus ad veritatis elucidationem me illis, qui contra præmissa opponere voluerint, responsurum.

Datum & pronunciatum Constantiæ, in Concilio generali, Anno Dni MCCCC XVI. die prima mensis Octobris, in Ecclesia S. Pauli, autoritate dicti Domini Cardinalis Cameracensis.

TOMI VI. PARS III.

DE JURE CONCILII ET ECCLESIÆ.

EX quo disputari in Concilio cœptum de electione novi Pontificis, deque Concilii jure, Pontificem ad judicium vocandi eumque sede privandi, dein & novum creandi ac constituendi, *Petrus de Alliaco* luculento scripto suam de Ecclesiastica potestate, Papæ & Cardinalium dignitate vel & jure, sententiam *secundo Concilii Anno* expresserat, uti ex superioribus liquet. Quem secutus *sequenti mox anno Gerson*, æque aque Cameracensis spectatus in Concilio Vir, Ecclesiasticæ potestatis naturam curatiori scripto exigere & discutere allaboravit, quid Ecclesiæ, quid Pontifici, quid ceteris Ecclesiæ antistitibus & ministris, quid Concilio competat juris atque autoritatis. Meruitque & hoc monumentum publice A. 1417. d. 6. Februar. in Concilio prælegi & publicari.

Quanquam verò hoc *Gersonianum opus* jam ante editum, quare & nos dissimulare decreveramus, nihilo minus tamen, quod non postrema sit pars Actorum Concilii, & quod in MSCtis plenius & sincerius repererimus, consultum aliis visum, nequaquam præterire, sed *MSCtorum fide* & hoc suo loco sistere. In *MSCto Vindobonensi* hæc in fronte inscriptio: *Tractatus de Ecclesiastica potestate & de origine juris & legum, pronunciatus Constantiæ in Concilio generali: Editus & pronunciatus pro parte Magistri Johannis de Gersonia Cancellarii Parisiensis, Anno &c. XVII. die sexta Februarii.*

De jure Concilii in Papam fuse disseruit etiam *Gerson* in *Demonstratione, in Const. Concilio publice facta contra Petrum de Luna Pontificem Benedictum XIII.* Quam dedimus *sup. Tom. II. Parte XIX. f. 566.*

En ergo hic *fundamenta juris*, quod sit penes Concilium in Pontificem, ex mente Gersonis.

Johannis Gersonis
Gallorum ad Constantiense Concilium Legati
Tractatus

DE POTESTATE ECCLESIASTICA.

In Const. Concilio scriptus, ac ibidem
A. 1417. d. 6. Febr. publice pronunciatus atque editus.
Ex antiquissimis Codicibus MSCtis
Cæsareo Vindobonensi, Act. C. C. Part. IV. f. 181. & duobus Helmstadiensibus.

Tabula Tractatus *De potestate Ecclesiastica.*

In MSC. Helmst. PRoëmium, quod expedit inquirere de Ecclesiastica potestate.

In prima consideratione describitur potestas Ecclesiastica per causam quadruplicem.

In secunda distinguitur potestas Ecclesia-

clesiastica multis modis, & ostenditur, quod potestas ordinis est æqualis in omnibus sacerdotibus quoad consecrationem corporis Christi.

In tertia ostenditur, quod potestas ordinis non est simpliciter æqualis in omnibus sacerdotibus & in Episcopis.

In quarta ostenditur, quid sit potestas jurisdictionis in foro exteriori.

In quinta ostenditur, quid sit potestas jurisdictionis in foro interiori, & de duplici subjectione.

In sexta ponitur quadruplex distinctio utilis & necessaria pro intellectu sequentium.

In septima, quid dicendum sit de ecclesiastica potestate, dum consideratur formaliter & absolute.

In octava, quid dicendum sit de Ecclesiasticâ potestate, prout consideratur respective & quodammodo materialiter seu subjective.

In nona, quid dicendum sit de Ecclesiastica potestate, dum consideratur quoad usum vel exercitium. Et illic fundatur suprema plenitudo Ecclesiasticæ potestatis.

In decima ostenditur, quod in Papa est plenitudo Ecclesiasticæ potestatis & describitur.

In undecima ostenditur, qualiter plenitudo Ecclesiasticæ potestatis sit in Ecclesia vel generali concilio.

In duodecima ostenditur de plenitudine potestatis papalis per respectum ad bona Ecclesiasticorum atque laicorum.

In tertia decima fundatur omnis potestas à prima justitia variis & multis membris.

Præfatio, Quod liceat disputare de potestate Ecclesiastica.

In MSC. Vind. ac Helmstadiensibus.

Potestas *Ecclesiastica* debet ab Ecclesiasticis, quid & qualis & quanta sit agnosci. Habet hoc itaque fieri, ut honeretur cognita, cum Deus dederit talem potestatem hominibus, & ut in suis terminis *honorata servetur*, ne plus debito falsæ eam opiniones vel deprimant vel exaltent. Quoniam primum est *sacrilega impietatis*, alterum *de adulatione pestifera suspectum est*.

Constat igitur, quod *de potestate Ecclesiastica disputare* vel inquirere, nedum licet, sed decet & expedit. Tantummodo sit intentionis oculus simplex & rectus. Quidni liceat? Cum de ipsius omnipotentis Dei potestate crebro fiat absque omni temeritate conquisitio.

Hæc me consideratio movit, ut *de potestate Ecclesiastica* sub pauculis considerationibus differerem, quatenus materia, quæ quodammodo videretur infinita, sicut *tractari solet ab aliquibus per auctoritates & allegationes*, resolveretur ad paucos claros & certos terminos, per *descriptiones & divisiones* resolutive proveniendo, *allegatione confusa dimissa*, quales apud Doctores invenire non est difficile.

Cæterum non usurpo nunc, in hoc opusculo vel aliis me dicturum aliquid quod alibi non inveniatur, sciens illud Comici: *Nihil est dictum, quod non dictum sit prius.* Satis est, si ex bene inventis & doctrinis aliorum ego meis verbis meo ordine favum aliquem veritatis instar apum propria quadam arte compingam. Fiet autem initium à *quid nominis terminorum.* Quoniam hoc ignorato paralogizantur faciliter inquisitores veritatis. Erit verò finis *de origine juris & legum.*

PRIMA CONSIDERATIO
Descriptio potestatis Ecclesiasticæ. Et an Ecclesiasticus necessario debeat esse renatus.

Potestas Ecclesiastica est potestas, quæ à Christo supernaturaliter (spiritualiter) & specialiter collata est suis Apostolis & discipulis ac eorum successoribus legitimis, usq; in finem seculi; ad ædificationem ecclesiæ militantis, secundum leges Evangelicas, pro consecutione felicitatis æternæ.

Hæc descriptio data est per causam quadruplicem, secundum quam distinguitur potestas Ecclesiastica ab alia qualibet

libet potestate. *Potestas* igitur ponitur pro genere. Est autem *potestas*, *Facultas propinqua ad exeundum ad actum*, *Propinqua* inquam: Quia secundum facultatem remotam & obedientialem non est impossibile apud Deum omne verbum. Porrò notatur *causa efficiens principalis*, cum dicitur: *à Christo supernaturaliter collata.* *Causa vero materialis* vel *subjectiva* signatur, cum subditur, *suis Apostolis* &c. *Causa formalis* insinuatur cum dicitur: *secundum leges Evangelicas.* Dant enim formam utendi. Denique *causa finalis* concluditur, *ad ædificationem Ecclesiæ militantis pro consecutione felicitatis æternæ.* Additum est hoc adverbium *specialiter*, ad exclusionem donorum supernaturalium, quæ omni viatori possunt esse communia, sicut sunt fides, spes, charitas, prophetia, timor, pietas & similia. Unde & *Ecclesia* contractè sumitur, dum loquimur hic de Ecclesiastica potestate, pro illis videlicet, *qui speciali quodam signaculo dedicati sunt ad divinum servitium, à Clericatura*, quæ infimum tenet gradum, usque ad supremum, quo *Papa* decoratur. Et fallor, si non sit hæc *descriptio propria*, competens omni & soli Ecclesiasticæ potestati. Quoniam *omnis alia potestas* vel est naturaliter indita, quoad causam efficientem: Vel est secundum leges naturales aut humanas regulata, quo ad causam formalem: Vel est ad finem naturalem immediatè & principaliter ordinata: Vel denique quoad causam subjectivam radicatur in habentibus eam secundum dona naturalia, etiam ubi supernaturalia non adessent, qualia sunt, fides, spes & charitas. Unde *potestas secularis* convenit aliis quoque Christianis baptizatis: *potestas autem Ecclesiastica* de necessitate fundatur in dono supernaturali, sicut est character baptismalis, de communi lege. Qui character in viatoribus eos de ecclesia militante reddit, facit insuper idoneos & capaces ecclesiasticæ potestatis.

An Ecclesiastici debeant esse regeniti.

Fatemur itaque, quod *charitas* seu *gratia* gratum faciens *valde decens* est in suscepturis vel jam habentibus Ecclesiasticam potestatem, non tamen *exigitur pro dando titulum.* Quasi sine ea nequeat in aliquo fundari vel subsistere potestas hujusmodi. Hic enim fuit error *Waldensium* & *Pauperum de Lugduno*: Qui per *Wicleff* & sequaces suos renovari quæsitus est, sed juste damnatus est. Cur ita? Ne Hierarchicus ordo potestatis Ecclesiasticæ maneat instabilis, vagus & incertus. Cum nemo sciat an amore vel odio dignus sit. Et minus hoc de gratia prædestinationis constat, quam ponunt radicem necessariam pro titulo vel jure cujuslibet potestatis.

Hac igitur descriptione præsupposita, pro intelligentia quid sit ecclesiastica potestas *in genere*, descendamus ad *species*. Pro quarum notitia multiplex animadvertenda est distinctio, ut *differentiæ*, quæ additæ generi constituunt speciem, innotescant.

CONSIDERATIO SECUNDA.

De jure Sacerdotum, consecrandi corpus Christi in sacra cœna.

POtestas Ecclesiastica secernitur prima sui divisione in *potestatem ordinis* & *jurisdictionis*.

Potestas ordinis gemina.

Rursus *potestas ordinis* duplicem habet respectum: *Unus est super corpus Christi verum*, quoad consecrationem ejus. *Alter* est super *corpus Christi mysticum* seu membra ejus. Et hoc dupliciter: Vel quoad administrationem corporis Christi veri, vel quoad administrationem vel exhibitionem alterius sacramenti, sicut est ordo, vel confirmatio, vel pœnitentialis absolutio.

Potestas jurisdictionis duplex est, una *in foro exteriori*, altera *in foro conscientiæ interiori.*

Potestas jurisdictionis gemina.

Rursus *potestas jurisdictionis in foro exteriori* dupliciter consideratur: *Uno modo* prout immediate à Christo tradita est, secundum legem evangelicam: *Alio modo* prout addita est ex humana constitutione, vel dono per Principes seculares, aut aliter.

In foro exteriori.

In foro conscientiæ.

Potestas jurisdictionis in foro interiori consurgit ex duplici radice: *Uno modo* ex parte hominis ultro se subjicientis

tali potestati. Sicut confitens sponte subjicit se Presbytero, & ordinandus Episcopo. *Alius* subjectionis modus consurgit ex auctoritate superioris, hunc vel illum tali vel tali subjicientis. Quod fieri potest non ad arbitrium illius qui subjicitur. Et sic inter duplicem hanc subjectionem differentia magna patet.

Et quoniam ad pauca adspicientes de facili enunciant, & enunciantes se ipsos vel dicta sua non resolvunt sed confundunt, eorum doctrina redditur vel erronea vel inintelligibilis, vel difficilis & perplexa: Doctrina vero prudentum facilis, teste sapiente: Quia resolutè & ordinate per distinctiones tradunt omnia, separantes pretiosum à vili, & præcaventes, ne lucem veritatis tenebrosa nubes erroris involvat, sed sit ignis sine fumo: Declarationem multiplicis hujus distinctionis dare non possumus melius aliter, quam si sua cuilibet membro donetur descriptio vel specialis notificatio.

Dicamus igitur quod *potestas ordinis* primo modo considerata, est *potestas Ecclesiastica, respiciens principaliter & essentialiter consecrationem corporis Christi veri, qua scilicet potest, habens eam, consecrare corpus & sanguinem Christi virtute verborum sacramentalium.*

De potestate Ecclesiasticorū consecrādi corpus Christi in sacra cœna.

Ponitur hic *potestas Ecclesiastica* pro genere. Quæ potestas quid & qualis sit, immediate prædiximus. Cujus descriptionem hic & in omnibus consequenter dicendis absque alia repetitione supponimus, dum utimur hoc termino pro genere, *potestas Ecclesiastica.*

Additur hæc clausula, *respiciens principaliter &c.* tanquam pro differentia specifica, distinguente eam à qualibet alia Ecclesiastica potestate.

Hæc *potestas* de lege communi *inabdicabilis* est, *inauferibilis* & *illimitabilis* in sua essentia. Quoniam quisquis est *sacerdos* ritè consecratus, si tentet cum intentione & cum forma & materia debitis consecrare, consecrat utique, etiam si excommunicatus, si hæreticus, si quomodocunque degradatus extiterit. Peccaret nihilominus in hoc casu, nec ad utilitatem suam sed damnationem hoc ageret.

Hoc jus consecrandi salvum esse etiam in sacerdote malo.

Juxta quod utiliter distingui solet. Aliqua sunt *de necessitate executionis* hujusmodi necessariæ potestatis dupliciter: Una est *necessitas soli' præcepti*, cujus transgressio peccatum grave est, sicut quod excomunicatus non consecret. Veruntamen hæc transgressio non impedit consecrationis effectum principalem, qui est transsubstantiatio. Altera est *necessitas consecrationis l. sacramenti*, consistens in hoc, quod minister sit rite ordinatus, habens intentionem consecrandi cum forma & materia debitis. Quod si alterum defuerit, nihil efficitur & peccatur.

Hanc *potestatē* tradunt Doctores concorditer *parem esse in omnibus qui consecrati sunt sacerdotes.* Quæ potestas collata fuisse creditur in cœna, dum dixit Christus Apostolis: *Hoc facite in meam commemorationem.* Ubi Doctores comuniter sentiunt, quod *Judas* illic fuit *sacerdos* constitutus, sicut prius electus in Apostolum potestatem prædicandi & faciendi miracula susceperat.

Par hoc jus esse in omnibus sacerdotibus piis & impiis.

Et hic sumitur argumentum, quod *potestas Ecclesiastica non necessario fundatur in fide vel gratia*, sed in charactere baptismali, quem de lege communi necessario præsupponit.

CONSIDERATIO TERTIA.

De Jure administrandi Sacramenta, & instituendi Ministros Ecclesiæ.

Non pari' hac jura esse in omnibus clericis.

POtestas Ecclesiastica ordinis alio modo considerata, prout respicit *ministrationem* corporis Christi fidelibus, & *ministrationem Sacramentorum*, ordinis & confirmationis, consecrationem insuper virginum, abbatum & Ecclesiarum, *& institutionem ministrorum Ecclesiæ, non est æqualiter in quolibet sacerdote.* Cujus *ratio* est, quoniam *simplex sacerdos*, juxta communem Doctorum sententiam *non potest ordines conferre*, neq; sacramentum confirmationis dare, neque consecrare virgines &c. etiam de facto, sic, quod si tale aliquid tentet agere, nihil

tamen

tamen efficitur, quia neque confirmat neque ordinat. *Episcopus* autem si volentem confirmari, si volentem prætererea ad ordines promoveri, qui sit eorum susceptibilis, (quod dicitur propter sexum muliebrem) tentaverit vel confirmare vel ordinare, ordinat utique vel confirmat de facto, licet excommunicatus, licet irregularis, licet degradatus extiterit. Et in hoc est *par* in omnibus Episcopis, ab infimo usq; ad supremum, qui Papa dicitur, *potestas ordinis*. Non autem in sacerdotibus minoribus est hæc potestas, ut dictum est, saltem in tali plenitudine seu perfectione, quod hoc possint. Licet concederetur cum majori parte Doctorum, quod supra sacerdotium simplex nulla est altera potestas ordinis, neque in Episcopis neque in Papa, sed aliter est in Episcopis, & aliter in Papa, & aliter in simplicibus Presbyteris. Sicut exemplificant, quod eadem est humanitas in homine dum est puer, & eadem dum factus est vir: Vir nihilominus generare potest sibi simile, puer nequaquam. Cum igitur fuerit inter Apostolos & discipulos talis distinctio, sicut inter Episcopos & simplices Curatos sacerdotes, sicut notat *Isidorus*, & *Magister in 4. distinct. 28. c. 7.* allegans eum: Perspicua est veritas hujus considerationis.

Si verò loqueremur de potestate juris, juxta quod dici solet: *Illud possumus, quod de jure possumus:* certior adhuc est ista consideratio. Quia nullus sacerdos rite ministrat aliquod sacramentum, secluso necessitatis casu, nisi jurisdictionem habeat super illum cui ministrat. Sed super hac re dabitur consideratio sequens. Satis sit interim aperuisse, *qualiter sit vel non sit æqualis potestas ordinis in omnibus Presbyteris.*

Ministros Ecclesiæ instituere, supremis solum competere Episcopis.

Quia, quoad consecrationem corporis Christi veri eandem habent sacerdotes omnes potestatem. Quantum verò ad *sacramentorum administrationem* dispar est in Episcopis & simplicibus Presbyteris potestas seu facultas, tam de jure quam de facto. Similiter in *ministrorum ecclesiasticorum institutione*, quæ est potestas competens primis hierarchis de primo ordine & secundo, non autem inferioribus, quemadmodum sunt Curati. Quia, licet purgare, illuminare & perficere possunt plebem suam, prout inferior angelorum hierarchia purgat, illuminat & perficit subcœlestem vel humanam hierarchiam: Nihilominus hæc potestas Curatorum non extenditur ad hierarcharum specialem institutionem de instituto communi.

Jus dandi adjunctos & substitutos in Ecclesia, pertinere ad Episcopos.

Addamus, quod etsi primus hierarcha, *summus Pontifex*, vel *alii* consequenter, suo modo possint pro rationabili causa vel necessitate *dare suis inferioribus adjutores* ad exercendum hierarchicos actus, qui sunt purgare, illuminare & perficere plebes sibi subditas, sicut invenitur de pœnitentiariis & privilegiatis: Hoc tamen sine manifesta ratione vel necessitate facere non debet, cum eorundem dejectione, irreverentia, & vilipensione apud illos, quibus honori debent esse, & à quibus debent sustentationem recipere pro suo statu & ministerio. Hoc indignum profectò est, injustum & iniqvum. Quis enim tutorem dederit adulto, (providenti) prudenti & potenti, se nolente?

Exemptiones plebis rejectæ.

Nec tandem claudicare debet obligatio mutua Episcoporum vel Curatorum ad plebes suas. Claudicat autem, dum *plebes eximuntur & libertantur*, si ista libertas non iniquitas est, dum eligere sibi possunt hierarchizantes eos in foro conscientiæ vel in prædicatione aut sacramentorum aliorum ministratione. Prælati verò majores vel minores remanent hac obligatione constricti, ut non liceat eis plebibus suis negare quicquid in prædictis quæsiverint, tanquam nedum Deo sed eis rationem reddituri sint, etiamsi pestilentiali, seu epidemiali, seu quavis alia abominabili contagione morbi laboraverint. Præterea, si tales *vice Pastoris* dati, *luporum* accipiant *officium*, si seducant subditos, lacerent & devorent, nulla relinquitur eis obviandi facultas. (*Hic finis hujus capitis in MSCtis nostris. Vindobonensi & Helmstadiensibus. In impressis verò Codicibus addita adhuc quædam, undecunque & à quocunque tandem profecta, quæ hic jure misimus.*)

CON-

CONSIDERATIO QUARTA.

De Jurisdictione Ecclesiastica externa coërcitionis, nempe leges & canones condendi, plectendi, & excommunicandi.

Quatenus competat Ecclesiæ & concilio universali. Et quinam sint illi jurisdictioni subjecti.

POtestas *Ecclesiastica jurisdictionis in foro exteriori, est potestas Ecclesiastica coërcitiva, quæ valet exerceri in alterum etiam invitum, ad dirigendum subditos in finem beatitudinis æternæ, velut in finem proximum & principaliter intentum.* Addita est, fatemur, hæc ultima clausula descriptionis, ad expressionem magis quam necessitatem. Quoniam hæc includitur in hoc nomine posito pro genere, *potestas Ecclesiastica*, sicut in descriptione notatum est. Attendatur autem, quod *jurisdictio* dicitur nomine generali, quasi *juris ditio*, i.e. *potestas dicendi jus.* Vel est jurisdictio quasi *juris dictio* i.e. promulgatio vel pronunciatio vel notificatio. Propriè vero dicitur *jurisdictio* facultas seu *potestas propinqua dicendi vel sententiandi jus in alterum etiam invitũ.*

Et hæc duplex est: *temporalis* vel *spiritualis. Temporalis* exercetur secundum leges civiles ad finem quietæ conversationis humanæ pro hac vita. *Spiritualis* autem exercetur secundum leges canonicas, ad finem principalem æternæ beatitudinis consequendæ.

Cæterùm potestas hæc *jurisdictionis Ecclesiasticæ* adeo vicina est jurisdictioni seculari & politicæ, quod *laicis* imo & *mulieribus* plerumque in multis casibus cõmunicari potest *executio* vel *committi.*

Hanc potestatem contulit Christus *Matth.* 18. dum dixit Petro vice omnium: *Si peccaverit in te frater tuus, vade & corrige eum* inter te & ipsum: *Quod si te non audiverit, dic Ecclesiæ, quod si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus.*

Quo in loco fundatur *juridica potestas excommunicandi* vel interdicendi ab ecclesiasticis sacramentis & communione fidelium rebelles & inobedientes Ecclesiæ. Sicut usus est Apostolus, & idem hortatus est, *ad Titum* 3. scribens: *Hæreticum hominem post primam & secundam correptionem devita.* Et simile dixit *I ad Corinth. VI. Si quis frater nominatur inter vos &c.* sequitur: *cum hujusmodi nec cibum sumere.*

De jure excommunicationis.

Fundatur rursus, absque omni calumnia possibili, in hoc textu *plenitudo potestatis gladii spiritualis*, & executio ejus in ecclesia, *super quemlibet Christianum*, qui est *frater* noster, etiamsi *Papa* fuerit.

Omnes Christianos huic spirituali coërcitioni subjectos, nemine excepto.

Nec accipiendum est, hoc, *dic ecclesiæ*, i.e. Papæ. Quoniam Christus Petro loquebatur, qui non dixisset sibi ipsi. Item quia subjunctum est pluraliter, *quæcunque ligaveritis super terram.* Denique, si non haberet ecclesia talem potestatem & executionem, frustra dixisset Christus, *dic ecclesiæ.* Quia potuisset impunè non audiri, contra illud quod sequitur: *Si ecclesiam non audiverit, sit tibi &c.*

Ecclesiæ competere jus illud excommunicationis.

Fundatur etiam in hoc textu nedum potestas excommunicandi sed *potestas definiendi, determinandi, statuendi, decernendi, constituendi* præcepta, leges, & canones, *procedendi* denique *contra non obedientes*, usque ad sententiam excommunicationis inclusivè. Imo secundum canones nunc institutos *usque ad invocationem brachii secularis.* Quia dicitur in textu: *Quod si Ecclesiam non audieris &c.*

Jus canones & leges sacras condendi. Omnes subjacere huic Ecclesiæ juri.

Audire igitur debet Ecclesiam, quilibet *frater* noster, qui dicit ad Deum, *pater noster*, sicut explicat alibi Christus. *Qui vos audit, me audit.*

Confirmant hanc sententiam *statuta & practicata in hoc sacro Constantiensi Concilio*, præsertim *VI. April. anni* 1415. in sessione publica. Cujus inter cætera sunt hæc *decreta duo: Et primo declarat, quod ipsa in Spiritu sancto legitimè congregata generale concilium faciens & ecclesiam Catholicam militantem repræsentans potestatem immediatè à Christo habet, cui quilibet cujuscunque status vel dignitatis, etiamsi papalis existat, obedire tenetur in his, quæ pertinent ad fidem & exstirpationem dicti schismatis ac generalem reformationem Ecclesiæ Dei in capite & in membris.* Item *declarat, quod quicunq; cujuscunq; status vel dignitatis*

Praxis Concilii Const.

gnitatis etiamsi papalis existat, qui mandatis, statutis seu ordinationibus aut praeceptis hujus sanctæ synodi, & cujuscunq; alterius Concilii generalis legitime congregati, super præmissis seu ad ea pertinentibus factis vel faciendis, obedire contumaciter contemserit, nisi resipuerit, condigna pœnitentia subjiciatur & debite puniatur, etiam ad alia juris subsidia si opus fuerit recurrendo.

Concilio universali idem esse jus quod Ecclesiæ. Concluditur autem ex præmissis, quod si potestas prædicta sit *ecclesiæ* data, *concilium generale repræsentans ecclesiam* habet illam. Imo videtur, quod Ecclesia ut sparsim considerata, non habet illam potestatem nisi in quodam materiali seu potentiali, sed congregatio sua & *unitio, quæ fit in concilio generali*, dat quasi formam. Sicut in aliis communitatibus exemplum dari potest.

Claves datas esse Ecclesiæ. Et fundatur prædicta potestas ecclesiastica jurisdictionis in unitate vel unitione tali, quemadmodum notasse videtur elevatus *Augustinus*, dum dicit, quod *claves Ecclesiæ datæ sunt universitati*. Veruntamen hoc non impedit, quin datæ sint Petro tanquam Monarchæ legitimisque successoribus suis, *principalius* tamen *Ecclesiæ*. *Primo* ratione indeviabilitatis, quia portæ inferni non prævalebunt adversus eam, nec deficiet fides ejus. Non sic de Papa. *Secundo*, ratione regularitatis: Quoniam *habet regularem usum potestatis papalis*. Non sic è converso. *Tertio* ratione multiplicitatis. Quoniam Ecclesia continet potestatem quamlibet Ecclesiasticam, etiam Papalem. Non sic Papa, præsertim in extensione. *Quarto*, ratione obligabilitatis. Quoniam Ecclesia potest condere leges, obligantes, & regulantes, etiam ipsum Papam, tam quoad personam, quam respectu usus suæ potestatis. Non sic è contra potest Papa judicare totam Ecclesiam, vel usum suæ potestatis limitare. Imo si Papa condit leges & canones, videtur observandum illud, quod dicit *Augustinus*: *Leges instituuntur cum promulgantur, firmantur autem, cum moribus utentium approbantur.*

Hoc enim dicitur ad reprimendum *præsumptionem* quorundam summorum Pontificum, vel *eis adulantium*, qui videntur voluisse, debere servari pro regula immutabili de Papa, respectu cujuslibet Provinciæ, vel totius Ecclesiæ: *Quod placuit Principi, legis quoq; vigorem habere*: Quasi nullum superesset examen supremum.

Addita est vero pro inobedientium coërcitione *pœnalis excommunicatio*. Et sunt qui dicunt, pœnam hanc esse ultimam, quam infligere possit ecclesia, quia potestas jurisdictionis ex institutione Christi sola primaria sit, ita quod non extenditur *ad incarcerationem*, nec quod aliquis adjudicetur *morti* vel *flagello corporali*. Sed facit hoc Ecclesiasticus, dum facit ex concessione Principum. Quemadmodum multam ab eorum devotione jurisdictionis temporalis autoritatem clerus accipit, quæ nihilominus jurisdictio vel *censura* dicitur *spiritualis*, sicut & *ecclesiasticorum bona temporalia*, propter dedicationem & applicationem ad eos, qui ministrant ecclesiæ. Sicut panes propositionis, primitiæ & decimæ, vasa insuper templi, vestes & similia, dicebantur in veteri lege *sacra* vel *sancta*, sic & nova lex hoc retinet. *Jus infligendi pœnas corporales non competere Ecclesiasticis nisi indultu Principum.*

Ac proinde consurgit, quod *ecclesiastica censura*, quam Christus contulit & promulgari voluit, ubi prius, *Matth. 18.* consequenter post dotationem Ecclesiæ, in bonis temporalibus, *applicata* (explicata) est *ad defensionem coërcitivam* volentium vendicare sibi, vel impedire temporalitatem hujusmodi, *per excommunicationes* videlicet & interdicta.

Quæ *pœna* vel censura videtur primitus instituta *contra pertinaces schismaticos & hæreticos & alios incorrigibiles vitiosos.* Cui legi tanquam divinæ & naturali Papa subjicitur, sicut & frater est, potens delinquere. *De excommunicationis pœna extensa.*

Hæc autem *applicatio gladii spiritualis ad defensionem temporalium*, si confusionem magnam in Ecclesia, si vilipensionem vel contemptum evangelicæ hujus censuræ suæ, quæ est excommunicationis gladius, extreme formidabilis, si denique laqueos animabus multorum magis quam salutem spiritualem indu- *Ecclesia detrimentosa.*

xerit vel inducat, experientiam testem voco.

Itaque sicut temporalitas *addita* est ecclesiæ pro dote sua, videri potest aliquibus, quod ad ejus defensionem similiter addere suffeecerat adversus impetitores pœnam vel *censuram temporalem*, ut est *mulctatio pecuniaria* vel *corporalis detentio*, vel *arrestatio bonorum propriorum*.

CONSIDERATIO QUINTA.

De jure in certum auditorium sacrum vel parochiam, ratione doctrinæ & absolutionis & sacramentorum administrationis, & salarium ab illis petendi.

POtestas Ecclesiastica jurisdictionis *in foro interiori*, quæ non est propriè coercitiva, sed magis *spontanea*, quoad subjicientes se eidem, est *potestas Ecclesiastica super corpus Christi mysticum, illuminando & perficiendo ipsum per doctrinam & sacramentorum ministrationem, & purgando per baptismi & pœnitentiæ sacramenta.*

Advertendum est itaque, quod hæc potestas jurisdictionis, quæ radicaliter fundatur in potestate ordinis sacerdotalis & Episcopalis, dum in sua generalitate consideratur, respicit multipliciter *corpus mysticum*, quod *est fidelium ecclesia*. Quos fideles oportet secundum tres actus secundum Dionysium, *purgare, illuminare & perficere*.

Purgare per inflictionem pœnalem excommunicationis vel interdicti, si rebelles inveniantur. Quod spectat ad jurisdictionem coercitivam, de qua prædictum est. Quamvis hæc *purgatio* fiat per baptismum & per sacramentalem absolutionem (MSC. Helmst. unctionem) non tamen coercitive.

Oportet insuper *illuminare*, per prædicationem & doctrinam.

Oportet demum *perficere*, per aliorum sacramentorum ministrationem.

Porro talis *ministratio sacramentorum* non habet pro *materia debita* res solas insensibiles. Prout est in consecratione corporis Christi, ubi pro materia debita requiritur & sufficit panis triticius & vinum. Nec refert quo ad consecrationis necessitatem, si panis sit ipsius consecrantis vel alterius. Secus est in *ministratione sacramentorum*. Ubi requiritur, quod *persona*, cui fit ministratio, sit *ministranti subjecta*. Præterquam *in baptismo*, quod est necessitatis sacramentum noniterabile. Similiter in *sacramento confirmationis & ordinis*, quibus indelebilis character imprimitur.

De jure parochia.

Inde sufficit de necessitate sacramenti, non tamen præcepti, *subjectio voluntaria* suscipientis hæc sacramenta ab illo, qui conferre potest illa. Peccant tamen dans atque suscipiens, si non adsit *subjectio per superiorem ordinata*. Secus autem est *in pœnitentiæ sacramento*, ubi de necessitate sacramentali & præcepti requiritur prædicta *duplex subjectio*, juxta communiorem doctorum sententiam. Sic, quod aliter non datur absolutio, etiamsi dari tentetur. Quia materia deficit, quæ est peccator subditus. *Subditus*, inquam, nedum *voluntaria subjectione*, *sed aliena superioris auctoritate*.

Hoc ritè statuit primus legislator Christus. Hoc Ecclesia sic elucidavit & tradidit, ne confunderetur ecclesiasticum regimen, & ne hierarchicus ordo, quem tradit Dionysius talem esse, ut infima reducantur ad summa per media, turbaretur.

Videre est igitur, quemadmodum potestas hæc ecclesiastica *jurisdictionem quandam exigit*, cui convenit, quod *libera* sit & *spontanea*, verè vel interpretativè, circa personam, in quam exercetur hæc jurisdictio, aut saltem quod *non feratur in invitum*. Quis enim diceret, quod aliquis invitus vel baptizatur vel confirmatur vel absolvitur in foro conscientiæ, vel ordinatur, & ita de reliquis?

Hinc est, quod *Papa*, qui nulli personæ particulari subest, ut coërceri juridicè possit in foro exteriori, *subest tamen, quoad jurisdictionem hanc annexam ordini sacerdotali, confessori suo* & ordinatori suo, si antea sacerdos non fuerat. Unde ab Hostiensi consecratur Episcopo, qui minor est. Pro-

Proficit autem supra modum talis *distinctio duplicis jurisdictionis, coërcitivæ* scilicet & *non coërcitivæ*. Cujus ignorantia vel inadvertentia gignit confusionem apud aliquos infinitam. Nam cum usus Dd. communis habeat dicere, quod potestas ordinis æqualis est in omnibus sacerdotibus & Prælatis: Accipiunt communiter occasionem erroris, quod quilibet sacerdos possit quemlibet absolvere, possit prædicare non missus, possit eucharistiam ministrare.

Invenimus autem, quod hæc jurisdictionis potestas promissa est Apostolis *ante passionem* Christi, *Matth.* 18. *Amen dico vobis, quæcunque ligaveritis super terram, erunt ligata & in cælo &c.* Et promissa fuit Petro *Matth.* 16. *Tibi dabo claves regni cælorum.* Sed *post resurrectionem* suam collata est Apostolis, quando insufflans dixit: *Accipite Spiritum Sanctum. Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis* &c. *Joh.* 21. & ibidem ultimo dictum est Petro: *Pasce oves meas.*

Addita est seu potius confirmata *potestas prædicandi* cum potestate conferendi baptismum, vel potius jam datæ potestatis executio jussa est, *Matth. ult. Euntes in mundum universum prædicate Evangelium omni creaturæ, baptizantes eos in nomine Patris, Filii & Spiritus Sancti.*

Unde licet *in casu necessitatis quilibet viator baptizare possit*, hoc tamen faciunt ex officio vel Ecclesiastica potestate soli sacerdotes. *In casu necessitatis jus baptizandi esse apud laicos ad ac clerũ.*

Huic tamen potestati jurisdictionis, quæ in latitudine sua considerata nedum ad sacramentum pœnitentiæ sed ad aliorum sacramentorum ministrationem & prædicationem extenditur, annexa est *potestas, vis, seu facultas accipiendi vitæ necessaria, Matth.* 10. & *Luc.* 10. Quod Apostolus confirmat *I. ad Cor.* 9. *quia dignus est mercenarius mercede sua.* *Jus salarii.*

Consequenter fundatur in hac potestate sumendi vitæ necessaria rationabilitas *dotationis Ecclesiasticæ loco decimarum* & primitiarum legis antiquæ. *Jus dotis Ecclesiasticæ.*

Denique *potestas faciendi miracula*, etsi videatur annexa fuisse per Christum licentiæ prædicandi verbum Dei, quando misit discipulos ad prædicandum, & dixit eis: *infirmos curate, dæmonia ejicite &c.* Matth. X. Nihilominus videtur hæc potestas *donum gratis datum*, convenire potens cuilibet ex fidelibus, prout ad ædificationem ecclesiæ judicabit expediens Spiritus Sanctus, qui distribuit singulis prout vult.

CONSIDERATIO SEXTA.

Fundamenta quæstionis: Penes quos sit potestas Ecclesiastica.

Potestas Ecclesiastica considerari potest & debet tripliciter: *uno modo* formaliter, in se & absolutè, sine respectu: *alio modo* materialiter & respectivè, prout applicatur ad hanc vel illam personam jure legitimo. Quod communiter fit per consecrationem & electionem. Quia, sicut dicit Apostolus: *Nemo sibi assumit honorem, sed qui vocatus à Deo tanquam Aaron.*

Potestas hæc dicitur *institutio ministrorum*, tam active quam passive. Consideratur *tertio modo* quantum ad exercitium vel executionem. Quia frustra est potentia secundum Philosophum si non habeat actum.

Proficit hæc consideratio, quæ distingvit & resolvit modos loquendi varios, tam Theologrum quam Canonistarum, de ecclesiastica potestate. Cujus resolutionis *ignorantia* vel *inadvertentia* falli plerumque facit & fallere. Quoniam aliter loquendum est de ecclesiastica potestate dum in se consideratur formaliter & absolutè, aliter dum consideratur materialiter seu respectivè, aliter dum consideratur quoad exercitii usum vel executionem, sicut infra docebitur.

Notemus præterea *modos essendi in*, quos in Metaphysica posuit Aristoteles. Quorum inadvertentia facit oberrare quos-

quosdam, dum inquiritur, *in quo* vel *in quibus* ſit plenitudo poteſtatis eccleſiaſticæ? *Unus modus eſſendi in* eſt ſicut pars integralis in ſuo toto. *Alius*, ſicut totum integrale in ſuis partibus. *Tertius*, ſicut ſpecies in genere. *Quartus*, ſicut genus in ſpecie. *Quintus*, ſicut forma in materia, quæ forma triplex eſt: eſſentialis, accidentalis, & metaphyſicalis (in *MSC. Helmſt.* aliàs, mathematicalis.) *Sextus*, ſicut effectus in ſua cauſa efficiente, dirigente vel regente, ut rex in regno, vel è converſo, diverſis reſpectibus. *Septimus*, ſicut ordinata in finem ſunt in ſuo fine, quemadmodum virtus in beatitudine. *Octavus*, ſicut locatum in loco.

Ex qua protinus diſtinctione manifeſtum eſt, quod ſecundum quadruplex genus cauſæ *quadruplex* reperitur & adaptatur *modus eſſendi in*, licet addantur & alii.

Subjungamus iterum *diſtinctionem de uſu poteſtatis eccleſiaſticæ*. Eſt enim *uſus* aliquis *licitus* & ratus, eſt uſus *illicitus* & ratus, eſt uſus licitus & non ratus, eſt uſus illicitus & irritus. *Exemplum primi*, dum ſacerdos conſecrat vel abſolvit, cum circumſtantiis omnibus ad hoc requiſitis de neceſſitate vel ſacramenti vel præcepti. *Exemplum ſecundi*, dum ſacerdos conſecrat in peccato mortali, vel cum transgreſſione præcepti. *Exemplum tertii*, dum ſacerdos quantum in ſe eſt bona fide & intentione credit abſolvere confitentem ſibi, utens in hoc benè clavibus, qui confitens quia mentitur in confeſſione ſua vel obicem ſecreto ponit, quia nequaquam abſolvitur. *Exemplum quarti*, in caſu priori, ſi

De vario uſu poteſtatis Eccleſiaſticæ, licito & illicito, rato & irrito.

ſacerdos ſcienter quærit uti clavibus erga aliquem, cujus ſubjectionis vel conditionis fictionem agnoverit, & quia nequaquam ſibi ſubjectus eſt.

Colligitur conſequenter *alia diſtinctio*, valens ad intelligentiam præmiſſorum & ſequentium: Quando quæritur, *an poteſtas eccleſiaſtica ſit æqualis in omnibus?* Quia quæritur *de poteſtate facti vel juris*. Facti, ſic, quod dum attentatur fieri, ſit ſive bene ſive malè. Juris verò, dum benè ſit, juxta jam allegatum: *Id poſſumus quod de jure poſſumus.*

Redit autem hæc diſtinctio ad alteram, prætactam, de neceſſitate duplici in conſecratione corporis Chriſti! Quando altera eſt ſacramenti, altera eſt præcepti.

Et hæc ſimiliter *diſtinctio* poteſt *extendi ad eccleſiaſticam poteſtatem* ſuper corpus Chriſti myſticum, quoad miniſtrationem ſacramentorum, quæ characterem imprimant, ſicut ſunt baptiſmus, confirmatio & ordo. Quoniã ſicut in poteſtate ordinis ſuper *corpus Chriſti verum* ſufficit aliquid de neceſſitate ſacramenti, quod non ſufficit de neceſſitate præcepti: Quia peccat, qui contra vel præter ordinem eccleſiæ conſecrat: Sic invenimus *in poteſtate eccleſiaſtica* ſuper *corpus Chriſti myſticum*, præſertim quoad miniſtrationem ſacramentorum trium, quæ dicta ſunt.

His diſtinctionibus & aliis quæ prædicta ſunt attentis, poſſet ſtatim inveſtigari *quid & in quo ſit plenitudo eccleſiaſticæ poteſtatis*. Nihilominus anteà juxta priorem diſtinctionem trimembrem *tres* aſſignabimus *conſiderationes*, ſeptimam, octavam & nonam.

CONSIDERATIO SEPTIMA.

Quod Eccleſiaſtica poteſtas in ſe conſiderata immutata ſemper maneat in Eccleſia.

POteſtas Eccleſiaſtica, ſi conſideretur in ſe formaliter & abſolute, ipſa eſt *invariabilis*, & *eadem à principio naſcentis Eccleſiæ usque in finem perſeverat.* Eccleſia ſiquidem, dum ſic conſideratur in ſuis partibus eſſentialibus & permanentibus, quæ ſunt, *Papatus*, *Cardinalatus*, *Patriarchatus*, *ArchiEpiſcopatus*, *Epiſcopatus*, *ſacerdotium*, habet integrari ex his omnibus, ſic quod ablata penitus una tali poteſtate jam non maneret Eccleſia, prout à Chriſto ſeminaliter eſt, & velut in quodam germine ſuo perfectè fuit inſtituta. Ut ſi Papatus per ima-

imaginationem præscindatur [illegible] reliquis potestatibus inferioribus, id quod superest, non dicitur Ecclesia.

Præterea quærere *si Papalis autoritas sit major quam Ecclesiæ*, vel è converso redit in idem, ac si peteretur: Nonne totum est (esset) majus sua parte vel pars minor suo toto?

Concilium includere autoritatem Papæ Proinde sequitur, quod si generale *Concilium* repræsentet universalem Ecclesiam sufficienter & integrè, necesse est ut *includat autoritatem Papalem*, sive Papa sit, sive desierit esse, per mortem naturalem aut civilem. Sic dicimus de potestate Romanæ Ecclesiæ vel sacri Collegii, sic de potestate Episcopali, sic de sacerdotio, quod est potestas Curatorum, qui sunt in Ecclesia Prælati minores.

Si verò velit aliquis curiosus inquirere, qualiter habet fieri talis *abstractio potestatis Ecclesiasticæ*, et si sit aliquid universale reale specificativum & quidditativum, præter omnem operationem intellectus, sicut inquiritur de animalitate & humanitate, remittimus ad Metaphysicam.

Concedimus itaque quod *abstrahentium non est mendacium*, secundum *Aristot.* Licet negaverimus hæc universalia realia. Sicut nec Mathematici mentiuntur, sive puncta sint realiter sive non. Unde dicimus, quantum nobis hic satis est, quod *universalitas* est in operatione & abstractione quam facit intellectus ex rerum singularium exteriori cognitione, videndo qualiter ipsæ res ad invicem conveniunt vel differunt essentialiter vel accidentaliter, Ut quod quilibet homo convenit essentialiter in hoc cum altero, quod est animal rationale, quod intellectus attendens abstrahit innata sibi virtute similitudinem hanc, quæ non est extra, nisi singulariter in singulis hominibus, & denudat eam à loco, à tempore, & ab omni generaliter accidentium conditione: Et ita remanet absolutus & universalis conceptus hominis in anima, qui nihilominus originatur ex rebus ad extra singularibus. Sic de Ecclesiastica potestate sentire possumus, dum in se formaliter & absolutè consideratur. Omnes enim sacerdotes conveniunt in sacerdotio, omnes Episcopi in Episcopatu, & ita de reliquis.

Quæret forte aliquis, quo pacto *Ecclesia Romana* dicatur *eadem*, illo modo, cum ab initio Petrus fuerit in Antiochia? Responsio facilis est, si fiat *abstractio* talis *a connotatione loci*, & dicamus, quod Ecclesia Romana est illa diœcesis, provincia, vel sedes, quæ peculiariter habet regi per autoritatem Papalem, & eam complectitur. Sic veritatem habet vulgata vox: *ubi Papa, ibi Roma*.

Nec in dubium verti debet, quin *isto modo* Romana sedes & ecclesia sit caput, mater & magistra cæterarum. Quia supremam Petri potestatem includit.

CONSIDERATIO OCTAVA.

Quod Ecclesiastica potestas, prout est in hoc vel illo viro, etiam Papalis, possit variis modis mutari vel auferri. De corrupto & emendatiore regimine Ecclesiæ. Deque Conciliorum generalium necessitate.

Potestas ecclesiastica considerata respectivè & quodammodo materialiter, *prout applicatur ad hoc vel illud suppositum*, potest dici *variabilis & auferibilis* in casibus multis.

Hoc perspicuum est hodie, dum fiunt immutationes, nunc per novam consecrationem, nunc per novam electionem vel institutionem *ministrorum*.

Ita consequenter dicere possumus *de potestate Papali*, quod *mutabilis est & auferibilis*, per mortem naturalem, sicut constat, vel per civilem, videlicet per *depositionem*, saltem quoad plenitudinem suæ jurisdictionis. Quæ *depositio* qualiter & ex quibus causis fieri possit, latius in aliis opusculis apertum est.

Unde sicut Papa *renunciare* potest *Papatui* & dare libellum repudii Ecclesiæ, etiam *sine culpa* ipsius sponsæ, licet hoc facere *non* debeat *sine causa*: Sic Ecclesia potest hunc vicarium sponsi sui dimittere & ei libellum repudii dare, etiam *sine culpa sua* licet *non sine causa*.

Exemplicavimus alias in *sex casibus in quibus verus Papa deponi potest ex culpa sua*, ubi non esset realiter hæreticus ad intra, quamvis ad extra talis judicaretur. Exemplificavimus aliis *sex casibus*, quibus *deponi potest Papa sine culpa sua*, licet *non sine causa*, etiam præter *liberam* ejus *cessionem*. *Tractatulus* appellari potest, *De auferibilitate Papæ ab Ecclesia*, & incipit, *Venient autem dies cum auferetur ab eis sponsus.* Propterea brevitatis amor hic ista non repetit.

Gersonis libellus, De auferibilitate Papæ ab Ecclesia, proxime ante Concilium Pisanum scriptus.

Verum potestatem hanc ecclesiasticam, quæ respicit *institutionem ministrorum Ecclesiæ*, à summo usque deorsum, confundit magna caligine *cupiditas ambitiosa*, quærens quæ sua sunt: Et quæ crescentibus beneficiorum dotationibus *impudenter excrevit*. Ita, ut vix discerni modò possit, quid ex primaria institutione Christi vel invariabili jure divino tenendum sit in hujusmodi *ministrorum ordinatione*. Mira siquidem, quo ad usum talis potestatis varietas incessit, quæ ex Chronicis summorum Pontificum, & ex tenore generalium conciliorum, Decretalium & Decretorum se ostendit. Nec est opusculi præsentis per omnia discurrere.

Ambitio, Ecclesiæ pernicies.

Sed dicamus, hic *aliter* esse decernendum in *Ecclesiastica Politia*, dum est ordinata complete sub quadam explicatione perfecta & numerosa membrorum suorum in ministris, per status, gradus & officia; *aliter* dum ab initio firmata est Ecclesia in magna tam ecclesiasticorum quam fidelium paucitate velut in quodam seminario vel germine seu botro. Potuit enim tunc rationabiliter supremus ille Pontifex Petrus habere faciliter potentiam Concilii generalis, sicut in electione Matthiæ & cessatione legalium. Potuit & instituere ministros per diversas Provincias & loca de mandato suo. Sicut *ad eum facilis patebat accessus. Nec vigebat avaritia. Quia primi primo petebantur ad mortem.* Quæ omnia cessant in hac tam copiosa fidelium multitudine, post tot jura, tot leges, tot Decreta & Decretales summorum Pontificum & generalium Conciliorum, editas ad regendum feliciter Ecclesiam.

Suppetit hoc loco convenientissime *consilium Jethro*, datum Mosi *Exod.* 18. quod sic habet, *stulto labore consumeris tu & populus tuus qui tecum est, ultra vires tuas est negotium, solus illud sustinere non poteris, sed audi verba.* Usq;, *Moses fecit omnia, quæ ille suggesserat.*

Edocemur ex (in) hac scriptura calamo Dei scripta de multis, specialiter, Quod si Moses, loquens Deo familiariter sicut amicus ad amicum, obedienter audivit consilium gentilis hominis in regimine totius Synagogæ; Quanto magis debet hoc summus Pontifex ad dictamen totius Ecclesiæ vel generalis Concilii suo nomine.

Rursus, si *judicia minora reprobantur in Mose*, videamus *in summo Pontifice & curia sua*, quid de *tot profanissimis & indignissimis causarum & litigiorum continuis & anxiis occupationibus?* Quid de beneficiorum quorumcunque etiam minorum collationibus & signationibus manu Papæ? Quid de *annatarum* exactionibus? Quid de innumeris similibus dicendum judicabitur, relicta omni cura, sollicitudine vel studio de omni eo, quod spirituale est, quod divinum est, quod denique fidem concernit & religionem Christianam.

Concludimus tandem ex dato Mosi consilio & præcepto legis, *Deuter.* 17. & ex institutione Christi *Matth.* 18. quod nulla fuit hactenus nec erit in posterum pernitiosior *pestis in Ecclesia*, quam *omissio generalium conciliorum & provincialium*, vel in re ipsa, vel in auctoritate.

Auctoritas itaque nulla erit, *si solus summus Pontifex* omnia velit inferiorum Ecclesiasticorum usurpare institutiones, jura, status, gradus & officia. Meminerit itaque summus Pontifex datam sibi à Deo potestatem supremam in Ecclesia *ad ædificationem ejus*, prout sapiens judicabit. Judicat autem sapiens de potestatis usu rationabiliter invariabilis existens: Sicut est generale Concilium: Et hoc, pro tempore, locorum reliquarumque circumstantiarum diversa qualitate.

Teneatur igitur suum judicium, & maneat Eccl. politia, optimo regimine, quale fuit sub Mose, gubernata. Quoniam mixta fuit ex *triplici* politia, *Regali* in Mose,

Mose, *Aristocratica*, in LXXII senioribus,& in *Timocratica*, dum de populo & singulis tribubus sub Mose rectores sumebantur.

Sed opponunt plurimi, non volentes ad *Ordinarios* remitti *ministrorum Ecclesiasticorum institutiones* neque per electionem neque per collationem: Expertum est, inquiunt, quod turbarent omnia, venderent, dissiparent, partim cupiditate carnali, partim seculari potestate tracti. De literarum quoque studiis actum esset. Verùm in promptu est responsio. Corrigeret summus Pontifex abusus hujusmodi, & auctoritatis severitate (*Helmst.* serenitate) suprema vigilanter exhibita poneret aspera in vias planas, deponeret potentes intrusos de sede & exaltaret humiles, sine prece vel munere. Hoc est enim Architectoris officium.

De institutione ministrorum Ecclesia.

Dum vero peccat in his summus Pontifex, quis ministrorũ corrigere vel præsumat vel poterit? Dicens: Quod hoc poterit *generale concilium*. Vide, quia nec crebro nec faciliter habetur: Vix enim statuit libenter aliquis sibi correctionis judicium.

Denique si propter *abusus ordinariorum* in ministrorum institutione putent aliqui sublatum esse ab eisdem hoc exercitium: Similem in Papam rationem, quod ab eo debeat usus tolli, nunc inveniri, dicitur ab aliis, maximè dum recipit annatas. Quoniam ex hac copula, quamdiu perseverabit, orietur inevitabiliter *leprosa pestis Simonia*, inficiens sua contagione nedum caput, sed penè singula Ecclesiæ membra.

Simonia.

Superest ut apponatur, sicut apponi quæritur *in Reformatione*, Provisio.

Reformatoriũ Const.

CONSIDERATIO NONA.

De Antistitibus & ministris Ecclesiæ, an à Deo, an ab hominibus constituantur.

Potestas Ecclesiastica si consideretur *quoad usum vel exercitium*, illa *limitabilis est*, & multipliciter *variabilis*.

Hæc consideratio cum duabus præcedentibus solvit protinus quæstionem hanc: *Si potestas Ecclesiastica sit immediate à Deo, vel mediate ab hominibus?*

Nam considerando Ecclesiasticam potestatem *primo modo*, concedendum est absque ulla dubietate, quod illa *fuit & est immediate à Deo, homine Christo*, sic quod à nullo altero fuit instituta. Nec congregatio totius universitatis hominum secluso Christo potuisset sibi potestatem hujusmodi instituere, quemadmodum potuit vel posset instituere sibi potestatem Ducatuum, comitatuum & baroniarum, & ita de reliquis potestatibus pure secularibus. Non autem potuisset sibi instituere sacerdotium necPapatum, sicut habet Ecclesia; Nec similiter destituere, sicut nec mutare legem Christi. Quæ mutatio sequeretur de necessitate, prout arguit Apostolus, quod *translato sacerdotio necesse est ut legis translatio fiat.*

Si vero potestas Ecclesiastica consideretur *secundo modo*, tunc *in principio nascentis Ecclesia collata est immediate à Deo* tam Petro quam Apostolis, & discipulis. Quibus immediate Christus contulit sacerdotium super corpus suum verum & super mysticum. Unde & Apostolus dicit: *Se recepisse Evangelium non per hominem.* Et similiter *ministerium* & ministrationem corporis Christi: *Ego* inquit, *accepi à Domino quod & tradidi vobis* &c.

Et ita consequenter probabile est, quod sicut Christus immediatè contulit hanc potestatem primitus suis Apostolis & discipulis, applicando scilicet eam istis, & non aliis, sic & immediate concessit usum, actum vel exercitium. Quia dans formam, dat consequentia ad formam.

Dicimus tandem, his non obstantibus vel ita se habentibus, quod *successores Petri* & aliorum Apostolorum de communi lege, secluso miraculo vel nova revelatione, *fuerant & sunt instituti mediate per homines, vel per consecrationem & electionem*, vel aliam institutionem,

Usum similiter vel exercitium receperunt atque recipiunt *mediate per humanum ministerium* & concessionem.

Et forte quoad usum vel exercitium potestatis Ecclesiasticæ sic evenit ipsis etiam Apostolis & discipulis, quod post immediatam concessionem utriusque, scilicet potestatis & usus, factam à Christo, postmodum, crescente numero fidelium, fuit ad tollendum schisma & ad exemplar dandum posteris, *limitatio* facta talis *potestatis quoad usum*, & hoc per Petrum summum Pontificem de consensu totius Ecclesiæ primitivæ vel generalis Concilii, *ut non quilibet posset in quemlibet uti potestate sua*: Attenta Christi ordinatione primaria, qua voluit Ecclesiam suam *regi principaliter sub uno & ab uno monarchita*, sicut est una fides, unum baptisma, & una Ecclesia unitate capitis, tam primarii quam vicarii. Quoniam iste est *optimus Principatus*, præsertim *in spiritualibus*, ad conservationem unitatis fidei, ad quam obligantur omnes. Non sic autem est de legibus civilibus, quod debeant esse similes & eædem apud omnes nationes, propter varietatem morum & conditionum in diversis provinciis.

Quoniam insuper *gladius Ecclesiæ spiritualis* est, videlicet *excommunicatio*, quæ potest extendere se quantumlibet in longinquas nationes. Aliter est de *gladio materiali*. Propterea non oportuit nec forsitan expedivit, quod in temporali potestate esset una perseverans Monarchia per orbem universum, sicut de spirituali potestate prædiximus institutum fuisse jure divino primitus in persona Petri *Joh. ult. Pasce oves meas*, prout sancti Doctores & ecclesia tenendum tradiderunt.

Sumamus exemplum materiale, *conforme*, ut tradit Dionysius, *spirituali*, quod invenitur in sole, qui fons luminis est, non illuminatus ab alio corpore, sed illuminans. Deinde sunt aliqua, quæ ab eo illuminantur & consequenter illuminant; Nonnulla verò, quæ ab eo illuminantur, sed illuminandi virtute carent, quoniam in ipsis lux occumbit.

Exemplum aliud est in Angelica triplici hierarchia. Unde licet quoad naturam gratiam & gloriam sit quilibet angelus immediate formatus à Deo, nihilominus quoad exercitium actuum hierarchicorum, qui sunt purgare, illuminare & perficere, tres primi ordines hierarchizant, non hierarchizati ab aliis, tres medii hierarchizantur & hierarchizant, tres infimi hierarchizantur & non alios angelos hierarchizant.

Papalis autoritas suo modo *cum Cardinalibus* imitatur triplicitatem primam. Alteram verò mediam imitatur *Patriarchalis, Archiepiscopalis, Episcopalis & sacerdotalis autoritas*, in habentibus subjectos sibi. Quod dicitur propter *Curatos*, vel etiam propter solos *titulares Episcopos* carentes plebe. Ultimi sunt in statu hierarchiæ, qui hierarchizantur in Ecclesia, sed non alios auctoritative hierarchizant: Quemadmodum sunt populi & simplices religiosi, secundum Dionysium.

CONSIDERATIO DECIMA

Qua ratione plenitudo Potestatis Ecclesiasticæ sit in summo Pontifice.

Et quid sit illa plenitudo Ecclesiasticæ potestatis.

De jure Concilii, in Papam, decreta Concilii interpretandi, Vel & de legibus dispensandi.

Deque Reservationibus & Dispensationibus Papalibus.

Potestas Ecclesiastica in sua plenitudine est formaliter *& subjective* in solo *summo Pontifice*.

Supponitur itaque *primo*, quod licet aliquis possit eligi in *Papam* non sacerdos, sicut eligitur aliquis in Episcopum: Ipse nihilominus appellari non potest aut debet summus Pontifex, nisi fuerit in *sacerdotem & Episcopum* consecratus. Et quamvis ex electione possit aliquid juris-

jurisdictionis habere, non tamen habet ante consecrationem in Episcopum plenitudinem Ecclesiasticæ potestatis utriusque, tam ordinis quam jurisdictionis. Quod perspicuum est ex terminis.

Hic autem consurgit *æquivocatio non modica* propter Dominos Juristas, qui loquentes de plenitudine potestatis Papalis solum loqui videntur de potestate jurisdictionis. De qua locutione videtur hæc absurditas sequi: Quod purè laicus, imo & fœmina, posset esse Papa, & habere plenitudinem ecclesiasticæ potestatis.

Supponitur insuper ex jam dictis, quod ex institutione Christi nullus in Ecclesia debet dare vel suscipere gradus hierarchicos, qui sunt, purgare, illuminare & perficere, si non interveniat verè vel interpretativè auctoritas supremi hierarchæ, vel Monarchæ in ecclesia sancta Dei, quatenus in ea vitetur confusio, & optimo regimine gubernetur ad exemplar Ecclesiæ triumphantis. Propter quod dicit *Johannes in Apocal. se vidisse novam civitatem Hierosolymam descendisse de cœlo.* Et Mosi dictum est: *Vide ut omnia facias juxta exemplar quod tibi ostensum est in monte.*

Supponitur rursus illud Philosophi, quod *actiones sunt suppositorum.*

Tandem ex his & præcedentibus possumus describendo dicere, quod *plenitudo potestatis Ecclesiasticæ est potestas ordinis & jurisdictionis, quæ à Christo collata est supernaturaliter Petro sicut Vicario suo & Monarchæ primo, pro se & suis successoribus legitimis, usque in finem seculi, ad ædificationem ecclesiæ militantis, pro consecutione felicitatis æternæ.*

Dicitur in hac descriptione, *supernaturaliter*, ad differentiam potestatum vel jurisdictionum, quæ successoribus Petri potuerunt convenire secundum leges humanas, civiles & politicas, vel ex dictamine juris naturalis, quod vult, ut supremus in aliqua politia gaudeat multis honoribus & privilegiis super alios, vel ex speciali dotatione seu donatione Principum & aliorum secularium, vel tandem ex ipsius Ecclesiæ seu generalium Conciliorum favorabili concessione, sicut communitas perfecta suo capiti dare potest.

Cujus *concessionis* una fuit *ratio* non mala, quatenus habetur, interpretandis juribus & emergentibus quotidie dubiis circa regimen ecclesiasticum, *facilior recursus* ad Papam cum curia sua, quam ad ipsum generale Concilium. Quæ causa movit ab initio, Reges instituere, & eis potestatem leges condendi & interpretandi tribuere.

Hanc autem distinctionem non attendentes aliqui putaverunt, omnia quæ nunc summis Pontificibus conveniunt, competere ex primaria Christi institutione & immutabili jure divino. Quod falsum est. Quoniam staret, aliquem esse verum Papam & perfectum, qui careret actualiter multis talibus privilegiis & honoribus, in quibus non consistit plenitudo ecclesiasticæ potestatis, qualem in Petro fuisse descripsimus, & quam nullus homo præter Christum, imo nec ecclesia tota, conferre potuit, ita nec auferre, sicut in Consideratione nona notatum est.

Contendunt nunc aliqui, pollentes literis, quod post institutas per generalia concilia regulas super electionibus faciendis, & *beneficiis per Ordinarios conferendis*, juxta fundatorum intentionem, quemadmodum observatur de jure Patronatus apud Laicos, *nequaquam licitum* fuit *Papæ tales cassare regulas*, præsertim ita generaliter & passim, per *reservationes*, & aliter, *sicut visum est à centum annis* vel ultra. *De reservationibus Papalibus.*

Non præterea licuit facere tot & tales *non obstantias* eorum quæ constituta sunt in generalibus Conciliis, quot & qualibus *non obstantiis* uti solet passim in bullis suis. Adeo quidem, ut *Alexander quintus* inductus sit in prætensis quibusdam bullis ponere *non obstantiam* hujus saluberrimi ac celebriter observati statuti, *Omnis utriusque sexus.*

At verò respondent alii, non originem ecclesiasticæ potestatis, positam à jure divino, tantundem considerantes, quantum respiciunt ad Decretales cum glossis, allegationibus, concordantiis, sine numero, Doctorum, unius ad alterum, ut ovium gregi mos est: *Respondent*, inquam, *per unicum verbum*, quod semper intellexit Concilium generale,

 aucto-

auctoritatem summi Pontificis exceptam esse in omni constitutione sua qualicunque. Nimirum quia *posuerunt isti Papalem auctoritatem supra Concilium*, aut saltem non imparem. Est autem certum apud eos, quod par in parem & minor in superiorem non habet imperium.

Concilium esse supra Papam.

Benedictus autem Deus, qui *per hoc SSanctum Constantiense Concilium*, illustratum divinæ legis lumine, dante ad hoc ipsum vexatione præsentis schismatis intellectum, *liberavit Ecclesiam suam ab hac* pestifera perniciosissimaque *doctrina*, qua semper manente perseverasset semper schisma, nutritum ab ea. Declaratū nempe *decretumq; est, quod & sine Papa generale Concilium convocari, & a Concilio Papa judicari certis casibus potest*; Quod *insuper habet autoritatem generale Concilium præscribere leges seu regulas, secundum quas plenitudo potestatis Papalis, non quidem in se, quæ semper eadem est, sed in usu suo moderanda regulandaq; est.*

Neque putandum est insuper, concilia generalia sic excepisse papalem autoritatem in constitutionibus suis, ut eisdem permitteretur *effrenis libertas*, ea destruendi levissimè, quæ tanta gravitate & digesta sapientum maturitate condita sunt.

Intelligitur autem Papalis auctoritatis exceptio facta, prout *occurrens necessitas* vel *evidens utilitas* postulabat. Alioquin non erat uti plenitudine papalis potestatis, sed *abuti* plenissime.

Utrum verò relictum fuerit & ratum quicquid *ex abusu* tali processit, definire sub una generalitate non audeo. *Scio quod multa fiunt iniquè, multa inexpedienter, multa in deformationem Ecclesiæ*, quæ tamen facta tenent.

De jure Papali interpretandi leges concilii.

Cæterum videtur apponenda *per hoc S.Sanctum generale concilium* talis declaratio, per quam appareat, quo pacto auctoritas Papalis & quousque cognoscatur excepta in constitutionibus, vel jam factis vel de novo condendis. Quoniam, ut ajunt, *Non est ad præterita lex.* Omnium denique malè gestorum præteritis temporibus cassatio vel annullatio, neque facilis neque forte juridica, & inexpediens plane videtur.

Attendantur *regulæ*, quæ sequuntur, facientes ad elucidationem præcedentium, *de legum vel constitutionum interpretatio e.*

Regula VI de interpretatione ac dispensatione legum.

Prima regula. Leges humanæ dantur secundum illa, quæ ut in pluribus accidunt. Quoniam omnes casus particulares enumerare, & remedium specialis legis apponere, neque est possibile humano legislatori, cum sint in infinitum variabiles, sed nec expedit propter confusionem fastidiosissimam imo & perplexam, quæ ex illa multiplicitate consurgeret. Erit autem & lex, secundum *Isidorum*, honesta, justa, possibilis servari, & secundum consuetudinem patriæ, loco, temporibus conveniens, necessaria, utilis, manifestaque, ne aliquid per obscuritatem in captione contineat, nullo privato commodo sed pro communi civium utilitate conscripta.

Altera regula. Leges humanæ, quæ feruntur generaliter, possunt & debent exceptionem recipere, dum deficit ratio legis, quando videlicet Legislator, si adesset, vel alius prudens interrogatus, exciperet à generali constitutione casum particularem, qui taliter aut taliter occurreret. Hæc autem *exceptio* multipliciter nominatur. Quandoque *ἐπιείκεια*, sicut ab Aristotele; quandoque *juris interpretatio*, sicut à Legistis; quandoque *dispensatio*, sicut à Canonicis; quandoque *bona fides*, sicut à Politicis, dicentibus; *Bonam fidem esse, ubi non simulatur unum & aliud agitur:* quandoque dicitur *æquitas*, sicut ait Propheta, *Domine Omnia mandata tua æquitas*, hoc est secundum æquitatem implenda.

Tertia regula. Triplex invenitur *juris interpretatio vel exceptio:* Quædam est *judicialis potestatis*, spectans ad legislatorem & judices, quemadmodum dici solet: *Cujus est condere, ejus est interpretari.* Quædam est *doctrinalis auctoritatis*, spectans ad illos, quibus data est auctoritate summi Pontificis licentia interpretandi scholasticè jura, vel qui super his interpretandis scientia pollent arte vel experientia, juxta illud: *Cuilibet experto in sua scientia credendum est*, & iterum: *Unusquisq; bene judicat de quibus novit.* Quædam interpretatio est

inciv-

inevitabilis necessitatis, potens cædere circa quemlibet, dum certitudinaliter videt imminens periculum suum, nisi vim vi repulerit & egerit contra generalia verba legis. Quo casu est sine culpa apud Deum. Quamvis dolere debeat quod incidit in hanc necessitatem. Et si docere potest legitimis testimoniis apud judicem humanum, absolutus erit, aliter non. Quoniam apud illum idem est de his, quæ non sunt, & quæ non apparent.

Quarta regula. Juris interpretatio seu dispensatio vel exceptio, quæ est *judicialis potestatis*, hoc operatur, quod agens contra verba legis non ponitur apud homines in exteriori foro. Sed apud Deum in foro conscientiæ peccabit uterque, dispensans scilicet & cum quo dispensatur, si talis non fecerit *qui dispensat*, qualem descripsit Christus, fidelis servus & prudens. Fidelis, nec commodum proprium, favorem vel honorem quæsiverit, derelicto divino vel communi bono: *Prudens*, ut circumspiciatur undique ratio legis & Legislatoris intentio. Est enim *dispensatio* commensuratio, seu distributio boni communis, qualis est lex ad singulos, secundum legis intentionem, prout circumstantiarum varietas occurrerit. Quæ dispensatio si non fideliter & prudenter fiat, eam appellat Bernhardus *dissipationem* non *dispensationem*, intellige quoad Deum & conscientiam, & si hoc constiterit aut constare debuerit.

Tenet verò frequenter apud homines secundum exteriora judicantes dispensatio, si non contineat errorem apertum, aut nisi fuerit superiori lege prohibita. Quod dicitur propter statuta fieri possibilia circa papalis usum potestatis per generale Concilium.

Quinta regula. Juris interpretatio vel exceptio, quæ *doctrinalis auctoritatis*, relevat plurimum non obedientes nudo legis verbo, tam quoad judicia forensia, sicut est ab expensis relevatio, quam in foro conscientiæ & divino judicio, præsertim dum sunt Doctores famati, plures, & experti in arte sua, & in morum honestate probati. Alioquin *sæpe mentitur iniquitas sibi, dum corrupta est prece vel pretio.* Excæcant enim munera etiam oculos prudentium. Et si creditur Aristoteli, experientiæ verba loquenti: *Malitia facit errare, nedum circa conclusiones elongatas a primis principiis, sed in ipsismet principiorum moralium sanuis.* Quemadmodum reputabatur olim latrocinium apud Alemannos licitum, teste *Julio de bello Gallico*, ac peccatum innaturale & sordidum apud Romanos, secundum *Apostolum ad eosdem.* Et ita de pluribus hominibus datis in reprobum sensum, pro varietate depravationis vitiorum.

Sexta regula. Juris interpretatio, exceptio vel dispensatio similiter exigit, dum fit altero prædictorum modorum, *judicialiter* vel *doctrinaliter*, quod habeatur *duplex intuitus*, unus ad bonum divinum, & publicum, alter ad particulare commodum illius, pro quo fit juris interpretatio vel dispensatio. Evenit itaque sæpius, quod, dum *passim laxatur rigor legis, ex quadam ut fingitur compassione* & misericordi condescensione ad aliquos particulares positos sub lege, *deperit* ex altera parte stabilitas & *vigor* [rigor] *disciplinæ.* Qui vigor (rigor) est præcipue in omni lege servandus. Docuerunt hoc Romani, qui proprios etiam filios occiderunt, qui in se ipsos rigorem legum suarum exercuerunt, quorum disciplina militaris & obedientia legalis inviolata maneret. Docent hoc fratres Carthusienses, qui super usum (seu) carnium vel nunquam vel rarissime dispensationem recipiunt. Ac proinde disciplina regularis viget apud eos. Quæ quantum sit collapsa apud religiones quasdam alias, passim *dispensationibus* utentes, videre stupor & dolor est. Super qua re jam *Bernhardi* pro tempore suo *querela* nascebatur. Quid modo dicendum putabimus de *tam facili* ut appellant *dispensatione per Papam & Prælatos super juramentis licitis*, super *votis rationabilibus*, super *immensa beneficiorum pluralitate*, super *generalium conciliorum non obstantia*, super *privilegiorum & exemptionum* commune jus privantium *concessione*. Quis omnia dinumeret, per quæ nunc *vigor ecclesiasticæ*, imo & angelicæ (evangelicæ) *disciplinæ to-*

tum

tus verè languit, emarcuit, evanuit?

Provideat super omnibus SSctum hoc Constantiense Concilium.

De consuetudine legum interprete. Fundatur in hac radice *stabilitas Legum*, quod *consvetudo* est optima Legum positivarum interpres, ita, si neque juri divino neque naturali fuerit contraria.

Non novas leges facile condendas esse. Fundatur & illud Aristotelis politizantis: *Non esse dandum premium invenientibus novas Leges, quamvis in se meliores exstiterint. Quoniam mutatio legum frequens causat instabilitatem, neque permittit eas in consvetudinis fixa radice roborari.*

Hoc animadvertant, qui ad omnem motum capitis, ad omne quod bonum agi fantasiatum fuerit, condere satagunt novas leges, pœnas pœnis addere (adjicere) quasi super omni re, quæ bona est, si fieret, bonum sit, & expediens, legem pœnalem adjicere (addere.) Nunc tantum respublica regitur per *si*.

Fundatur in eadem radice rationabilitas *abolitionis vel abrogationis* quarundam *legum positivarum* per oppositos mores subditorum, qui versi sunt in naturam.

Fundatur & rationabilitas *permissionis quorundam malorum*, non ut approbentur, sed ne punita ruant in deterius.

Fundatur & *jus præscriptionis, punientis*, ne fiant incerta dominia, neglectores rerum propriarum, ac justè *transferentis*, etiam apud Deum & conscientiam, tale dominium in bonæ fidei possessorem & præscriptorem legitimum.

CONSIDERATIO UNDECIMA.

Qua ratione plenitudo Ecclesiasticæ potestatis sit in Ecclesia vel Generali Concilio.

Potestas ecclesiastica in sua plenitudine est *in Ecclesia* sicut in fine & sicut *in regulante applicationem & usum* hujusmodi plenitudinis ecclesiasticæ potestatis, per se ipsam, vel *per generale concilium*, ipsam sufficienter & legitimè repræsentans. Constat itaque datam fuisse Petro plenitudinem ecclesiasticæ potestatis à Christo, ad ædificationem ecclesiæ suæ, sicut conformiter ad propositum ponit descriptio. Propterea loquitur *Augustinus* cum aliis quibusdam, quod *claves Ecclesiæ datæ sunt non uni sed unitati*: Et quod *datæ* sunt *ecclesiæ*. Et hoc convenienter potest intelligi modis, quos explicat consideratio. Quoniam claves datæ sunt propter ecclesiam & unitatem ejus, tanquam propter finem.

Potest etiam dici, quod *in ecclesia* vel *in concilio* hæc plenitudo ecclesiasticæ potestatis sit, nedum in se formaliter, sed aliis duobus modis, videlicet quoad applicationem ad hanc vel illam personam, & quoad usum regulandi, si fortassis in abusum torqueretur (verti quæreretur). Constat, his tribus modis *plenitudinem ecclesiasticæ potestatis esse in ecclesia, & in generali Concilio*, tanquam gerente vices ejus. Et quidem de duplici modo, primo & secundo, non est difficultas. Similiter nec de tertio, si consideremus descriptionem ecclesiasticæ potestatis, ubi ponitur quod *data est ad ædificationem ecclesiæ*.

Cum igitur *summus Pontifex*, habens illam subjective, sit *peccabilis*, & possit hanc potestatem in destructionem Ecclesiæ velle convertere: Similiter sacrum *Collegium*, quod ei datum est & coassistit, quasi communitas aristocratica, *non est in gratia vel fide confirmatum*: Superest, ut aliqua sit relicta inobliquibilitas & indeviabilis regula ab optimo legislatore Christo, secundum quam possit abusus hujusmodi potestatis reprimi, dirigi atque moderari. Hæc autem regula est vel *ecclesia* vel *generale Concilium*. Unde cum medium virtutis non aliter habeatur, nisi prout sapiens judicabit, finalis resolutio ad hanc sapientiam fiet *ad Ecclesiam*, ubi est sapientia indeviabilis, vel *ad generale Concilium*.

Hic fundantur ea multa, quæ *per hoc sacrum Concilium & constituta & practicata sunt: ut, quod Papa judicari potest & deponi per Concilium*: Quod eidem in regulatione suæ potestatis quoad usum subjicitur, & *sibi potest dici, cur ita facis?* Et ita

ita de pluribus, quæ recollecta sunt in illo Sermone, *Prosperum iter faciet nobis Deus.*

Oratio Gersonis propemptica ante iter Cæsaris è Concilio ad Hispanos. Vid. Tom. II. Part. XVII.

Possumus ad hanc considerationem addere, quod plenitudo ecclesiasticæ potestatis, si consideretur in latitudine, ipsa *non est in solo Papa*, nisi quodammodo formaliter, (fontaliter) potestative & originaliter suo modo. Hæc enim latitudo potestatis complectitur in se alias potestates ecclesiasticas collective à summo usque ad deorsum. Et est in eis plenitudo Ecclesiasticæ potestatis papalis tanquam pars integralis in suo toto. Et ita *non est major vel superior ad totam Ecclesiam*, sicut nec pars major toto. Si verò consideretur hæc plenitudo in sua supremitate, tunc absq; ulla dubitatione plenitudo ecclesiasticæ potestatis papalis superior & major est ad reliquas.

Sed jam illud quod reliquum est nullo pacto potest constituere generale Concilium, juxta illud quod dictum est prius, quod *generale Concilium in sua ratione formali includit de necessitate papalem auctoritatem*, sive Papa sit sive non sit. Quia si Papa est & vult facere debitum suum de convocando Concilium, certè debet autorizari per Papam. Si verò pertinaciter renuit in destructionem Ecclesiæ, jam tunc agendum est ac si non esset. Et remanet in Ecclesia potestas seipsam congregandi & sibi providendi ac ordinandi de potestate Papali, secundo & tertio modis, quoad applicationem & ad usum, sicut de capitulo & Decano vel de universitate & Rectore suo modo dicetur.

De jure Concilii in creando Papa.

Sed occurrit *difficultas* principalis: *Quid mortuo Papa vel ejecto possit ipsum Concilium?* Potest itaque primo sibi constituere *Papam, uno modo, solito*, per electionem Dominorum Cardinalium, vel *alio modo*, per compromissum, vel per viam Spiritus Sancti, si probabiliter ita speraretur posse fieri, quod omnes concordarent in unum; vel fortè per expectationem divini miraculi, sicut fuit in electione Matthiæ. Et de hac prima potestate concilii non est difficultas, quin sibi possit facere caput unum.

Alia *multa* sunt, quæ, Papa mortuo vel ejecto, *potest exercere concilium, per se ipsum vel per organum aliquod* vice omnium. Quemadmodum *sæpe practicatum est in hoc concilio* de diversis sententiis & decretis, respicientibus exercitium jurisdictionis coercitivæ, sicut in vocatione & depositione Papæ, sicut in excommunicatione & interdicto, relaxatione & absolutione factum *est in causa Tridentina & Argentina*. In quibus omnibus introducitur *Sancta Synodus loquens, decernens, definiens.* Sic invenitur in primis Conciliis tempore Apostolorum & aliorum, quod *Concilium loquebatur & non Papa*, etiam dum vivebat. Unde dixerunt Apostoli & seniores, *Actuum* 15. scribentes acta illius Concilii; *Visum est Spiritui sancto & nobis.* Et simile notatur *Act. 6.* de convocatione Ecclesiæ per XII. Apostolos. Et in conciliis generalibus tales inveniuntur modi loquendi; *placuit Sancto Concilio*, vel *concilium diffinit*, vel *statuit sanctum Concilium*, vel *sacri autoritate Concilii*, vel *synodalis ordinatio vigeat*, & ita in similibus.

Denique *tertio* sunt alia quæ non possunt exerceri nisi per suppositum determinatum, juxta illud jam allegatum, quod *actiones sunt suppositorum*. Circa quæ distinguendum est. Quæ vel sunt talia, qualia nullus potest exercere nisi sit Papa, nec per commissionem nec aliter: Vel sunt talia, quæ committi possunt per aliquem vel aliquos, per quos hoc exerceri non potest, sed alius capax est. Exemplum de Curato non sacerdote, qui potest committere simplici sacerdoti non habenti plebem aliquam, quod in cura sua celebret missam & consecret, quod audiat confessiones & absolvat, quod ministret eucharistiam. Et ita de reliquis, spectantibus ad sacerdotium. *Poterit* igitur similiter *concilium committere sacerdotibus ut agant talia*, quæ nec concilium per se, nec illi sacerdotes sine commissione vel licentia concilii possent exequi, saltem licite.

Quocirca restat cognoscendum de illa conditionali, *si sit* aliqua potestas in Papa, quæ possit in aliquid, in quod nulla altera potestas Ecclesiastica potest attingere, de facto neque de jure.

Et videtur prima facie *quod non*, juxta communiorem Doctorum sententiam, qui dicunt, potestatem Ordinis esse æqualem in omnibus sacerdotibus, comprehendendo more Apostoli episcopatum sub sacerdotio. Non enim videtur, quod sit aliquis actus ordinis, in quem possit papalis autoritas, quin in illum possit de facto potestas Episcopalis.

Cæterum *de potestate jurisdictionis* quomodocunque fiat sermo, videtur, quod *Concilium possit illam concedere in defectu Papæ*: Ut subjiciendo Episcopo tales populos quales voluerit, pro sacramentorum licita & rata ministratione. Et ita *practicavit hoc concilium Constantiense* circa Samojitas legatos, eis dando, qui licite possent omnia quæ sunt ordinis & spiritualis jurisdictionis.

Proinde quid *de largitione indulgentiarum* tenendum sit, lectori interim considerandum relinquo, si solius Papæ concessione mediatè vel immediatè tradi possint.

Putant aliqui, quod *potestas hæc* respicit claves in foro pœnitentiæ: Propterea convenit in eodem foro cuilibet sacerdoti, maxime Episcopo, si non fuerit hæc potestas à superiore quoad usum limitata, aut convenit illi, qui habet curam communitatis Ecclesiæ, secundum Thomam. Concilium verò talem curam habet.

Porro juxta hunc dicendi modum potest occurrere scandalum, trahens in hoc inconveniens, *quod Ecclesia posset bene regi usq; in finem seculi sine Papa.* Ut si generale Concilium daret licentiam omnibus Episcopis, sacerdotibus, cuilibet super plebem suam, absque ulla jurisdictionis limitatione vel restrictione; Quia sic Episcopus potest constituere sacerdotes, imo & Episcopos, licitè & ratè, & uti clavibus, & ita de reliquis omnibus hierarchicis actibus.

Respondemus. Quod etsi ad tempus aliquod generale Concilium possit aliquod tale facere, quoniam *habere Papam est præceptum affirmativum, obligativum ad semper sed non pro semper*, sicut apparuit, dum vacavit sedes per duos aut tres annos, sicut & nunc vacat; Nihilominus generale Concilium neque deberet neque posset talem defectum capitis usque in finem seculi tolerare stante lege. Potest tamen supplere, dum necessitas urget, vel suadet evidens utilitas. Et hoc vel per unum *Episcopum quasi vicarium*, vel per plures simul, aut successive. Et hoc modo dicitur esse *plenitudo potestatis Ecclesiasticæ in Ecclesia, suppletive.*

Cognoscimus ex his & patet, quod falsæ sunt & *injuriosæ Concilio generali tales assertiones*, quæ negant ab eo vel ab Ecclesia executionem potestatis supremæ jurisdictionis. Negant insuper decernendi vel diffiniendi potestatem, dum Papa est, reponentes in eo solo hanc auctoritatem definiendi. Cum ex multis conciliis & certa ratione constet oppositum. Unde & Apostoli miserunt in Samariam Petrum & Johannem, tanquam subditos Ecclesiæ. Et Jacobus protulit definitionem sacri concilii super cessatione legalium, de quo *Act.* 15. notatum est: Quando tamen Petrus præsidebat & residebat in Ecclesia legitime, cum esset in gratia confirmatus die pentecostes.

Possumus tandem *canones apparenter discordes* super laude plenitudinis potestatis Papalis, rationabiliter ad concordiam revocare, si distinctionem trimembrem acceptionis ecclesiasticæ potestatis acute videamus. Hanc enim potestatem formaliter & in se consideratam primo modo nemo judicare potest, neque Augustus, neque populus, neque totus clerus, imo nec universalis ecclesia. Secus in alio duplici modo. Unde fit, ut ex consideratione potestatis hujus stupendæ & miraculosæ, Imperatores etiam & Reges procumbant ad oscula pedum Papæ. Et *inde consurgit aliquando ex humana fragilitate arrogans superbia in persona Papæ, referentis ad se quod impenditur potestati.* Non aliter existimandum est de prioribus Sanctis patribus, extollentibus Papam miris modis. Et inde suborta est in quibusdam summis Pontificibus *arrogantia major debito*, gaudens usurpare id quod jure non poterat. Hinc cuidam glorianti quod pedibus suis conculca-

ret

ret Imperatoris caput, retudit hanc arrogantiam acriter Imperator hoc mordaci verbo: *Non tibi*, inquit, *sed Petro*.

Hinc fit præterea, quod *absq; mendacio vel adulatione*, *Papa nequissimus potest appellari sanctissimus*, potest adorari cultu duliæ, usque ad oscula pedum, & ita de reliquis honoribus. Sic Ecclesia, quæ maculam non habet neque rugam, quæ instar Mariæ virgo est & mater introducitur, quamquam tanquam peccatrix & sordida, non quidem pro se & in se, sed pro peccatis filiorum, sicut anima sana fert & regit corpus ægrotum.

CONSIDERATIO DUODECIMA.

An & qualis sit dominium Papæ in bona temporalia clericorum & laicorum.

Ut & de Universalis Concilii autoritate ac jure.

Potestas ecclesiastica papalis *non* ita habet dominium (*dominia*) *& jura terreni* simul & cœlestis *Imperii*, quod possit ad libitum de bonis clericorum, & multò minùs Laicorum disponere, quamvis concedi debeat, quod habet in eis *dominium* quoddam *regitivum*, directivum, regulativum & ordinativum.

Declarationem hujus considerationis, quam discretio moderatrix atque mediatrix ponit inter errores oppositos, dum facere meditarer, occurrere visa est protinus in ipso meditationis meæ secreto *duplex improba pestis*, nomen unius, *detractio livida*; nomen alterius, *adulatio subdola*. Prima potestatem ecclesiasticam *deprimens* subjiciebat temporali: altera *sustollebat in immensum* velut ad similitudinem altissimi, confundens jura cujuslibet alterius potestatis.

Tolle, tolle, clamat *detractio*, temporalitatem omnem, jus vel dominium ab Ecclesiasticis. Quare? quia sic instituit Christus, cujus ista vox est: *Nisi quis renunciaverit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus*. Sic improperabat *Julianus Apostata* Christianis, rapiens eorum facultates. Addit detractor, quod Ecclesiastici nequaquam capaces sint jurisdictionis temporalis, etiamsi Principes illá conferre voluerint. Inducit Apostolum, quia *nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus*. Addit detractor, nihil habere Ecclesiasticos, neque decimas neq; oblationes, quantominus alias dotationes vel possessiones, nisi ex pura eleemosyna donantium, & quod ab Ecclesiasticis peccantibus saltem habitualiter possent per secularem potestatem optimo jure tolli: Quia data est potestas hæc secularis in vindictam malefactorum, neque sine causa gladium portat. Addit quarto, nitens Apostoli verbis: *habentes alimenta & quibus tegamur, his contenti simus*. Quia quicquid habent Ecclesiastici ultra simplicem victum & vestitum, totum illud est pauperum: Cujus retentio nedum furtum vel rapina simplex est, sed sacrilegium. Prout detorquent ad hanc sententiam tam Hieronymi verba quam Bernhardi. Vult tandem detractor, ecclesiasticos omnes ad illam Apostolorum & discipulorum primam paupertatem, sine equis, sine thesauris, sine calceamentis, sine possessionibus, de necessitate salutis redigere, execrans in Ecclesiasticis pompam omnem vel servientium, vel ciborum vel equorum vel indumentorum.

Consurgit ex adverso *blandiens & subdola adulatio*, & ad aures ecclesiasticorum, præcipuè summi Pontificis, insusurrans: *O quanta est, quanta sublimitas ecclesiasticæ potestatis tuæ! ô sacerdos clare, quam nihil est secularis auctoritas tua comparata!* Quoniam sicut Christo collata est omnis potestas in cœlo & in terra, sic eam Christus omnem Petro suisque successoribus dereliquit. Unde & nec Constantinus quicquam Sylvestro Papæ contulit, quod non esset prius suum, sed reddidit injustè detentum. Porro, sicut non est potestas illa nisi à Deo, sic nec aliqua temporalis vel ecclesiastica, imperialis vel regalis, nisi à Papa, in cujus sermone (femore) scripsit Christus *Rex Regum & Dominus domi-*

nantium. Probatur *in c. Petrus 2. q. 7. In Cap. Cum beatissimus, 24. q. 1. & c. Solitæ, De Major. & Ob.* de cujus potestate disputare instar sacrilegii est, cui nullus dicere quisquam potest, *cur ita facis?* In *c. Si Papa*, 40. *dist.* Si etiam temporalia omnia, si ecclesiastica bona atque dominia, mutaverit, diripuerit, distraxerit.

Mentior, si non inveniuntur hæc scripta ab illis, etiam qui sapientes sunt in oculis suis. Si præterea non inveniuntur fuisse per aliquos summos Pontifices hæc credita (tradita.) Notum est illud Satyrici: *Nihil est quod credere de se Non possit, cum laudatur Diis aqua potestas*; & illud Comici de adulatore: *Hic profecto ex stultis insanos facit.*

Sentiens autem *adulatio*, quandoque, nimis se cognosci, studet quasi modestiori sermone depressius uti, ut credibilior appareat. Concedit seculari potestati possessiones & jurisdictiones proprias, quas tollere nequeat pro libito Papa. Recognoscit, Constantinum vel alios Principes aliquid ecclesiæ noviter contulisse. Nihilominus tradit, quod summus Pontifex supremus est Monarcha, nedum in spiritualibus sed temporalibus, habens hanc autoritatem immediatè à Christo, sed alii Reges omnes & Principes suam recipiunt donationem ab eo & solum mediatè à Deo: Alioquin, ait, (ut) monstruosus esset hic mundus, si haberet tot capita, quæ non sub unico regerentur: Rediretque Manichæi deliramentum, ponentis duo principia, unam bonorum & spiritualium, aliud malorum & temporalium. Unde & sicut corpus est propter animam, & ab anima vivit & regitur, sic potestas secularis propter spiritualem, à qua recipit suum esse legitimum. Quam auctoritatem spiritualem qui negant vel impugnant, sint intus sint foris ecclesiam, possunt gladio vel spirituali excommunicationis, sint catholici, vel debellationis, sicut infideles, feriri, (in Helmst. MSC. possunt gladio vel temporali vel spirituali excommunicationis, sint catholici, sint rebelles, sint infideles, feriri.) & eorum dominia vel bona in alios transferri.

Hanc existimationem habuisse visus est *Bonifacius VIII.* in quadam Decretali. Et in hac fundari putatur ab aliquibus Dominorum *Prutenorum adversus infideles debellatio, suorumque bonorum & dominiorum conquisitio.*

Putatur ab aliis depositio unius Regis Franciæ per Papam Zachariam, hic esse fundata, tanquam Papa sit qui transferre possit Reges & regna.

Rursus animadvertens *adulatio*, durum esse multis hunc sermonem, & ideo minus credibilem, studet loqui restrictius, concedens, quod, sicut ante Petrum fuerunt apud infideles vera dominia, quemadmodum irrefragabilis auctoritas sacræ scripturæ & evangelicæ narrationis testis est; sic non oportet nunc post Petrum, ut omnis potestas Imperialis, Regalis vel altera secularis, sit immediatè robur habens à summo Pontifice. Sicut Rex Francorum Christianissimus superiorem hoc modo non habet nec recognoscit in terris. Idcirco transfert verbum suum *adulatio* loqui de dignitatibus, officiis, & bonis ecclesiasticorum, quæ *omnia sic subjicit summo Pontifici*, ut quicquid circa ea placuerit disponere, mutando, transferendo, appropriando, hoc possit, hoc teneat, & ratum sit, licet hoc sine causa, licet cum peccato suo peregerit. Quamvis peccatum circa hoc vult adulatio longè à Papa sic facere, ut *eum Simoniam posse* neget *committere*, quoniam sua sint omnia ecclesiastica bona.

Concedit insuper, quod *super jus est*, *potens* ab altero jus suum tollere, & quod nec ab eo appellari, neque eum judicialiter evocari, nec obedientiam ab eo subtrahi, præsertim extra casum hæresis, sit aliquatenus possibile. Hic solus symbolum fidei condere, hic solus causas ejusdem fidei, & majores veritates vel causas tractare potest. Solus, ut jam tactum est, definitiones, regulas, leges & canones condit. Alioquin quicquid per alios definitur, decernitur, conditur, statuitur, irritum est, & inane. Nec aliquid ex eis quæ statuerit, potest nisi per ipsum quomodolibet cassari vel infringi, ipsum vero aliena constitutio ligat nulla.

Fallor

Fallor, si non ante celebrationem *hujus SScta Constantiensis Synodi* sic occupaverat mentes plurimorum literalium magis quàm literatorum ista traditio, ut *oppositorum dogmatizator fuisset de hæretica pravitate vel notatus vel damnatus.* Hujus rei signum accipe. (MSC. Helmst. accipere debes.) Quia post declarationem ex Theologiæ principiis luce clariorem, &, quod urgentius est, post *determinationem & practicationem ejusdem sanctæ Synodi*, inveniuntur, qui talia palam asserere non paveant. Tam radicatum, & ut cancer serpens, tam meditullitus imbibitum fuit hoc priscæ adulationis virus lethiferum.

Tandem miserante Deo moderatrix discretio, collustrata lumine legis evangelicæ, *mediam ac regiam viam* tenens inter devios errores extremos detractionis & adulationis, ponit dictam hanc considerationem duodecimam, cum prioribus, tanquam signum aliquod ad ostensionem itineris recti, ne fortè offendant ad lapidem erroris pedem suæ inquisitionis *scrutatores veritatis.*

Unde dicimus, *ecclesiasticos & capaces esse bonorum temporalium*, & multa eis ex debito, non ex eleemosyna pura (MSC. Helmst. puto) competere. Et non debere eos cohiberi vel spoliari per secularem potestatem, nisi vocata sit in sui juris subsidium. Quod dicitur propter hæreticos & rebelles.

Possunt ipsi denique *cum divitiis* aliter quam Apostoli *vivere*, conversari vel incedere, pro temporis, locorum & aliarum circumstantiarum varia qualitate, prout sapiens judicabit. Nec ita sunt *Hieronymi* vel *Bernhardi* verba generaliter ad omnes ecclesiasticos, tanquam proprium habeant nihil, detorquenda. Monachis autem, qualibus loquebantur, alia lex est.

Vitamus ex adverso stultas & falsas adulationis insanias, attribuentes summo Pontifici *plenitudinem potestatis*, qualem prædescripsimus, quæ tanta est quantum sapientissimus Legislator Christus prævidit sufficere ad ædificationem continuam Ecclesiæ, dilectissimæ sponsæ suæ, quam propria morte formavit & dotavit. Cui potestati detrahere esset impietas sacrilega indignissimaque. Sed glorificent Deum qui talem potestatem dedit hominibus misericordissima pietate sua. Quæ potestas quanto sublimior est, pulchrior & dignior, tanto ne vertatur in abusum vilem, turpem & indignum, providere debet summus Pontifex, & eam, ut sapiens judicabit, regulare.

Quid autem *sapientius in terris generali Concilio*, quod & Spiritu sancto regitur, & cujus agi frenis summa libertas est? Præclarè dixit Aristoteles: *Non esse servitutem, obedire legibus.*

Addamus, summum Pontificem cum Collegio suo ita præsidere bonis ecclesiasticis, ut de eis statum habere sufficientem & decentem oporteat: sed non ita, ut caput gravidum membra reliqua obruat mole sua, neque velit usurpare contra naturam singularis membri omnia officia membrorum, quibus singulis, ut ait Apostolus, proprium datum est officium. Nam si omnia oculus, vel caput, ubi pes? ubi manus?

Concernit hoc *collationem beneficiorum* multiplicem, exemptionem odiosissimam, plenam erroris (MSC. Vindob. horroris.) & confusionis in ecclesiastica hierarchia: Et ita de reliquis: *Reservationem* præterea *tot casuum*, tot *excommunicationes in foro conscientiæ*, evocationem tam facilem omnium causarum ab Ordinariis, sint causæ illæ profanæ, sint sacræ fidei. Quales fidei causas omnes ab Ordinariis singulis, præsertim in doctrinis notorie scandalizantibus dioeceses suas, & ubi vigent Studia literarum, velle prohibere, quid aliud est, quàm januam grandem erroribus aperire?

Postremo *suis se terminis ita potestas ecclesiastica coerceat*, ut meminerit, potestatem secularem etiam apud infideles sua habere propria jura, suas dignitates, suas leges, sua judicia, de quibus occupare se ecclesiastica potestas non præsumat vel usurpet, nisi dum redundat abusus potestatis secularis vel in impugnationem fidei, vel blasphemiam creatoris, & in manifestam ecclesiasticæ potestatis injuriam. Tunc enim attendere convenit ultimam hujus considerationis duodecimæ particulam, quod in his eccle-

ecclesiastica potestas habet dominium quoddam regitivum. directivum, regulativum & ordinativum.

Concludunt hoc & nihil ferè aliud *rationes* & allegationes omnes *induci solita*: Quod plenitudo potestatis papalis superior est ad omnem aliam ecclesiasticam & temporalem. Quamvis sub hoc respectu potestas universalis ecclesiæ vel generalis Concilii legitimè congregati dici possit major in amplitudine vel extensione, major in infallibili directione, major *in morum conformatione* (in MSC. Helmst. confirmatione, *aliàs* informatione) *in capite & in membris*, major in coercitiva potestate. Major est in causarum fidei difficili & ultimata decisione. Major denique, quia copiosior. Complectitur enim, saltem virtualiter, omnem potestatem & omne politicum regimen, papale, imperiale, regale, aristocraticum & Timocraticum, prout alias deductum est ex descriptione concilii generalis, quæ talis est: *Concilium generale est congregatio legitima auctoritate facta ad aliquem locum, ex omni statu hierarchico totius ecclesiæ catholicæ, nulla fideli persona quæ audiri requirat exclusa, ad salubriter tractandum & ordinandum ea, quæ debitum regimen ejusdem ecclesiæ in fide & moribus respiciunt.*

Dicamus hic aliqua circa *definitionem* hanc *Concilii generalis*. Et *primò*, quod congregatio legitima auctoritate facta dicitur regulariter *à Papa*, sicut sonant Decreta & Decretales innumeræ. Excipiuntur tamen *tres casus* ubi congregatio Concilii generalis *fit legitimè sine Papa*. Unus, dum desiit esse per mortem naturalem vel civilem, seu canonicam, quæ est depositio: Vel si cadat in perpetuam maniam. Ut, si ad eum captivatum non pateat accessus. *Alius*, dum sufficienter requisitus de convocando Concilium, renuit contumaciter, in perniciem Ecclesiæ, præsertim si tangat ipsum. Tertius, si Concilium, postquam est à Papa legitimè congregatum, statuat certum tempus & locum pro celebrando generali Concilio, sicut infra triennium, vel de decennio in decennium, etiam ubi Papa renueret.

Nec refert in primo & secundo casu *per quos* evocent Concilium, dummodo congregetur. Quemadmodum Pisis. Nihilominus *expedit decernere pro futuro modum convocationis*, sicut *in Reformatione* salubriter est *avisatum*, utinam & *synodaliter* jam esset *definitum*. Dicamus *secundo*, juxta probabilem valdè sententiam, quod de statu hierarchico Ecclesiæ non sunt proprie nisi duo status: *Prælatorum majorum* videlicet, qui succedunt Apostolis, & sunt Episcopi, ArchiEpiscopi, & ita sursum; Et *minorum*, qui successores sunt LXXII. discipulorum, & dicuntur *prælati* ordinis, dignitatis vel honoris; quales sunt Curati. Quibus ex statu & ordinario jure conveniunt *tres actus* hierarchici ex primaria institutione essentialiter & immediatè à Christo, qui sunt: Purgare per correctionem, illuminare per doctrinam & prædicationem, perficere per sacramentorum ministrationem. Fundatur hæc sententia *Matth.* 18. Ubi, postquam Christus dixerat, subjunxit, de quibus loquebatur, dum ait: Quodcunque solveritis super terram &c. Constat autem, quod nedum Apostolis, sed & discipulis loquebatur, juxta glossas doctorum in hoc loco, & Mat. 12. & Luc. 10. ubi fit sermo de missione LXXII. discipulorum, & Matth. 16. ubi Christus Petro dixit pro omnibus, *Quod ligaveris*: & iterum, *Super hanc petram ædificabo ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* Concordant Augustinus, Hieronym⁹, Isidorus, Beda, & Magister, ubi prius: Et expresse multum Damasus Papa; *Non amplius*, inquit, *quam duos ordines inter discipulos domini esse cognovimus i. e. duodecim Apostolorum & LXXII. discipulorum. Unde iste processerit ignoramus, & quod ratione caret exstirpare necesse est.* Loquitur contra ChorEpiscopos.

Dicamus ergo *tertio*, naturam generalis Concilii talem esse, ut *nullus fidelis qui audiri voluerit, debeat excludi ab audientia*, quatenus vel doceatur vel doceat, sicut legitur in principio Concilii.

Distingui tamen solet *de habentibus vocem in Concilio.* Quidam habent *consulti-*

sultivam, alii *definitivam*. Primi sunt, quibus inest *notitia talium quæ tractantur*, etiam usque ad mechanicas artes. Ut si quæratur de modo reparationis ecclesiarum materialium, esse poterit in latomiis vox consultiva. Sic in aurifabris & fabris. Sic dum fit quæstio de Philosophicis & moralibus disciplinis, ut sunt præcepta decalogi, possunt seculares eruditi in Philosophia de legibus & moribus dare consilium, & aliquando salubrius quam nonnulli Prælatorum vel Curatorum, vel etiam Theologorum. Usque adeo quod in generalibus Conciliis contra Arrium tempore Athanasii fuerit interrogatus gentilis Philosophus de materia nedum pure morali, sed quæ tangebat beatæ Trinitatis eandem essentiam.

Ceterum de voce *definitiva*, *quales eam habeant*, non est dubium de Episcopis & *superioribus Prælatis*, sicut juxta prædicta practicatum sæpius invenitur in prioribus Conciliis. Sed neque videtur ambiguitas esse *de minoribus Prælatis*, qui sunt Curati & Hierarchæ: Neque de illis, qui ad hunc duplicem Prælatorum ordinem reducuntur, quibus non ex privilegio solo, sed ex statu & ordinario jure competit animarum cura. Quemadmodum sunt Abbates, Decani, Præpositi, cum similibus.

Facit ad hoc *determinatio sacra facultatis Theologiæ Parisiensis*, *nuper edita* contra temeritatem extollentium privilegiatos super curatos in prædicationibus & confessionibus. Ubi sic dicitur in duobus primis articulis: *Domini curati sunt in Ecclesia minores Prælati & hierarcha ex prima institutione Christi. Quibus competit ex statu jus prædicandi, jus confessiones audiendi, jus sacra Ecclesiastica secundum exigentiam sui status & parochianorum ministrandi, jus sepulturas dandi, jus insuper decimas & alia jura parochialia recipiendi. Item quod jus prædicandi & confessandi competit Prælatis & Curatis principaliter & essentialiter, & Mendicantibus de per accidens, ex privilegio: Quoniam sunt introducti vel admissi ex concessione & beneplacito dominorum Prælatorum.*

Dicamus *postremò*, quod licet ea, quæ statim dicta sunt, consonare videantur juri divino & observationi priorum Conciliorum, atque rationi, nihilominus *Concilium potest* certis de causis & ad tempus *constituere voces diffinitivas in pluribus vel paucioribus*, & in aliis quam dicti sunt, satis similiter ad illa quæ facta sunt & fieri possunt, & alio modo, circa institutionem Prælatorum ecclesiasticorum majorum, quæ quandoque fiebant à toto clero solum, quandoque à solis Canonicis ecclesiæ cathedralis, & novissime crebrius per solum Papam, tamen exorbitantissime, sicut plurimorum est judicium.

CONSIDERATIO DECIMATERTIA.

De Jure, justitia & regimine, generalia momenta.

POtestas Ecclesiastica, sicut & alia quælibet, originatur *à prima justitia*, secundum quam jura omnia, leges, jurisdictiones, atque dominia, pulchra ordinis varietate fundantur. Describitur itaque *justitia*, quod est *perpetua & constans voluntas, jus suum unicuiq; tribuens*. Hæc autem descriptio competit principaliter *justitiæ divinæ* in ordine ad suas creaturas. Deus nempe solus est, qui voluntate perpetua & constanti dat unicuique rei quod suum est, suum inquam, non ex debito rigoris, sed ex liberalissima & dignatissima (dignantissima) donatione creatoris. Sic in qualibet re tantum est de jure, quantum de entitate. Habet enim res quælibet jus seu titulum id habendi quod habet, ex dictamine rectissimo primæ justitiæ. *Jus* vero sic describitur, (describi potest) *Jus est potestas seu facultas propinqua conveniens alicui secundum dictamen rectæ rationis. Dictamen* verò *rectæ rationis primæ*, & justitia, conveniunt in Deo synonymice. Proinde dictum est in descriptione juris, quod est *facultas propinqua* &c. propter illa, quæ in potentia obedientiali convenire possunt cuilibet creaturæ. Quod *posse* dicere possumus vel *obedientiale* vel *legale*.

Secun-

Secundum quale non dicitur proprie res habere jus vel legem. Sicut non dicimus, quod damnati jus habeant ad beatitudinem æternam. Nec quod stella jus seu facultatem habeat in tanta luce quanta refulget in sole. Licet in potentia obedientiali creaturæ, vel absoluta Dei, possint hæc omnia fieri.

Consequenter ab hac amplissima juris & legis acceptione, sicut utitur scriptura dum ait: *Hæ sunt leges cæli & terræ &c.* alibi pluries: Et apud *Boetium*: *Legemq; pati sidera cogis*: Fit descensus restrictior ad ea, quæ creaturam rationalem respiciunt ut rationalis est.

Fit subinde *distinctio de justitia*. Quia *quædam* est essentialis & primaria, qualis prædescripta est, *altera* est participata seu derivata & attributive dicta, quæ sic describitur: *Justitia est habitus vel tanquam habitus conformis divinæ justitiæ, ejusque imitativus per participationem, quo habitu inclinatur habens eam facere jus vel reddere.* Ita quod *jus* est velut actus, vel usus, vel effectus vel titulus talis justitiæ.

Rursus de *justitia* sic *accepta participative* dicimus, quod quædam est *justitia originalis*, quædam autem *regni cælestis*; Ut ibi: *Primum quærite regnum Dei & justitiam ejus.* Et hæc duplex est, quædam *gloriæ*, quædam *gratiæ*.

Altera iterum est justitia *legalis*, alia *civilis*. Justitiæ vero civilis alia *distributiva* alia *commutativa*. Et ita de reliquis acceptionibus justitiæ specialibus.

Justitia *legalis* est *omnis virtus*, sicut charitas est tota lex Christi.

Porro justitiæ distributivæ contrariantur *promotiones indignæ & intrusiones in officiis reipublicæ & beneficiis Ecclesiæ.* Commutativæ autem contrariantur *contractus illiciti*, *usura & fraus* in temporalibus, *simonia & Gezia* in spiritualibus, de quibus non est hic dicendum per singula.

Dicamus præterea, tot esse *legum varietates* quot modis *jura* variantur, secundum dictamina participatæ justitiæ. Propterea sunt quædam *leges proprie divinæ*, quædam *proprie naturales*, quædam positivæ vel *humanæ*. Quarum aliquæ sunt *Canonicæ* vel *Ecclesiasticæ*, aliæ sunt *civiles* seu *politicæ*. Et quamvis paucæ reperiantur leges, quin *mixtæ* sint ex participatione diversarum, nihilominus denominatur lex à prædominanti, seu a principaliori, quod in ea reperitur.

Quibus præsuppositis, dicamus ulterius *descriptiones* hujusmodi *legum*. Et quoniam lex dicitur *à ligando* i. obligando, vel à *legendo* i. dictando quid agendum sit conformiter ad hanc obligationem seu dictamen rectæ rationis: Describemus principaliter *leges obligatorias*. Quia de *consultoriis & permissivis*, & si quæ sint aliæ, facilis habebitur ex his cognitio.

Lex divina obligatoria est *signum verum, revelatum creaturæ rationali, notificativum rectæ rationis divinæ, volentis teneri seu ligari illam creaturam ad aliquid agendum, pro consecutione felicitatis æternæ.* Dicitur hic illa, *signum notificativum*. Quoniam proprie nulla lex obligat liberum arbitrium, si notificata non fuerit. Hoc autem *signum triplex* est, quoddam *mentale*, quoddam *vocale*, quoddam *scriptum*, sicut est *lex scripta*, prolata, audita, literalis, vocalis, mentalis. De *mentali* scribitur in Psalmo: *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine*, & *ad Rom. II.* pulchrè per totum, & iterum *in Ps. Legem tuam in medio cordis mei.*

Lex naturalis obligatoria describitur, quod est *signum naturaliter habitum, notificativum rectæ rationis divinæ, volentis creaturam rationalem humanam teneri seu ligari ad aliquid agendum vel non agendum, pro consecutione finis sui naturalis, qui est felicitas humana*, sive monastica, sive œconomica, sive politica. Dicitur autem *signum pure naturaliter habitum*, illud, quod inditum est cuilibet homini, non impedito in usu debito rationis. Impeditur autem per corpus, per errores, per vitia, multis modis.

Notificatur ex hac duplici descriptione *differentia & convenientia divinæ legis ad naturalem*, principaliter ex modo acquisitionis & ex parte finis; *Lex enim divina* de ratione sua habet primò, ut acquiratur per revelationem; deinde quod ordinet de proximo & per se ad feli-

felicitatem æternam: *Lex vero naturalis*, etsi possit sic acquiri & ordinari, sicut patet in datione præceptorum decalogi in utraque lege veteri & nova, hoc tamen non habet de ratione sua ut naturalis est, sed ut transit in divinam.

Lex Canonica describitur, quod est *signum habitum per humanam traditionem*, *notificativum recta ratione divina*, *volentis creaturam rationalem humanam teneri seu ligari ad aliquid agendum vel non agendum principaliter pro consecutione felicitatis æternæ.*

Per hanc ultimam clausulam *convenit* lex canonica cum divina, & *differt* a naturali per primam, ab utraque, sub sua ratione, quæ est, ut habeatur ejus cognitio & robur per humanam traditionem magis quam per puram revelationem vel naturalem evidentiam.

Lex civilis describitur, quod est *signum habitum per humanam traditionem magis quam per puram revelationem, vel naturalem evidentiam positivam, volentem quod homo teneatur seu ligetur aliquid agere vel aliquid non agere, pro consecutione finis sui naturalis, qui est humana felicitas, vel monastica vel œconomica vel politica.* Patet descriptio ex prioribus.

Unde diligenter attendendum est, quod, sicut in speculabilibus sunt primo *principia naturaliter nota*, sunt secundo *conclusiones* evidenter ab illis Principiis *demonstrata*; sunt consequenter tertio *conclusiones* tantummodo *probabiliter deducta* ex prædictis veritatibus, circa quas est solum opinio: Tandem quarto sunt aliæ *propositiones* sic *elongata a primis veritatibus* quod non apparet quod ex illis sequantur vel repugnent: Ut, si astra sint paria vel imparia: Proportionabiliter suo modo dicendum de *veritatibus moralibus* sub hac distinctione quadruplici.

Et juxta duplicem primū gradum recipitur *jus pure divinum*, si veritates sint certitudinaliter revelatæ, vel ex revelatis manifestè deductæ. Sed si cognoscantur per evidentiam naturalem accipitur *jus propriè naturale*. Circa tertium gradum & quartum proportionabiliter sumitur *jus Canonicum* & *civile*, addita legislatoris auctoritate, quæ facit ut propositio moralis, aliunde solum probabilis, vel impertinens legibus propriè divinis vel naturalibus, robur habeat, & vim obligationis, ad alterum finem, vel supernaturalem, & sic est *Lex Canonica*, vel naturalem, & sic *lex civilis* vel politica nominatur.

Rememorandum est tamen id, quod jam dictū repetitur, *paucissimas inveniri legēs, quæ non se mutuo participent*, sed ratio distinguit eas & secernit.

Transeamus consequenter post sermonem de justitia, de jure, de lege, loqui de *jurisdictione*, *de dominio & politia*.

Jurisdictio describitur vel interpretatur, quod est juris ditio, id est potestas seu facultas exercendi jus. Vel dicitur jurisdictio, quasi juris dictio, i. e, pronunciatio seu promulgatio juris.

Quæ *jurisdictio quadruplex* est, juxta quadruplicem legem, divinam scil. naturalem, canonicam & civilem. Et quod *jurisdictio divina* est potestas exequendi jus quod competit alicui secundum legem proprie divinam, & hæc in alterum vel tanquam in alterum. Non enim proprie dicitur habere quis jurisdictionem in semet ipsum. Nisi fortè consideretur tanquam [illegible] vel [illegible] de pœnitentia [illegible]. Proportionabilis est descriptio [illegible] triplicis alterius jurisdictionis, secundum triplicem [illegible].

Dividitur autem quælibet jurisdictio in *coercitivam*, quæ [illegible] in invitum, & in [illegible] seu regulativam & ordinativam, qualis fuisset etiam in statu innocentiæ, & qualis est sapientis ad insipientes, perfectioris ad imperfectiorem, ut patet in Angelis. Ita etiam posuit *Dionysius*.

Subjungamus de *dominio*, quod ita describi potest: *Dominium est [illegible] propinqua assumendi res alias [illegible] in sui facultatem vel usum licitum secundum jura vel leges rationabiliter institutas.*

Invenitur autem hoc modo *dominium sextuplex*: Beatificum, originale, gratuitum, evangelicum, canonicum, politicum. *Beatificum* est *dominium* secundum leges gloriæ. *Originale* dominium est secundum leges originalis justitiæ. *Gratuitum* est dominium secundum leges gratiæ gratum facientis. *Evange-*

licum est dominium secundum legem propriè evangelicam. Et ita de reliquis duobus suo modo. *Primum* fundatur in titulo gloriæ; *secundum* in titulo originalis justitiæ. Et ita de reliquis suo modo.

Possumus autem contractus loqui *de triplici dominio*, quorum *unum* fundatur in titulo charitatis gratificantis; *alterum* in titulo alicujus gratiæ supernaturalis solum gratis datæ, non gratificantis; *tertium* in titulo doni alicujus purè naturalis, sicut est electio vel naturalis successio ad aliquem principatum.

Describitur autem *dominium caritatis*, quod appellatur à multis *evangelicum*, quod est dominium immediatè à Deo constitutum, sauciens secum ex æquo quotlibet dominos, & inabdicabili servata charitate se extendens ad omnia. De hoc dicit Apostolus, quod nostra sunt omnia. Quia *diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*. Quoniam ad titulum charitatis adjiciuntur omnia abunde, ad fruendum vel utendum quæ in cœlis sunt & in terra, in mari & in omnibus abyssis.

Describeretur conformiter *dominium originalis justitiæ*, quod est donum Dei, quo creatura rationalis jus habet immediatè à Deo assumere alias res inferiores in sui usum & consecrationem, pluribus competens ex æquo, & inabdicabiliter servata originali justitia, seu integritate naturali. Hoc modo habuit Adam dominium super volucres cœli & pisces maris.

Describeretur proportionabiliter *dominium libertatis [illegible]*, quod est facultas propinqua [illegible] liberalissima condescensione Dei [illegible], [illegible] vel non [illegible]endum com[illegible] rationali in prolusione suorum actuum elicitorum, vel in eorum suspensione, ad finem consequendæ beatitudinis ordinata.

Porro quid sit *dominium* aliud fundatum in gratia supernaturali solum gratis data, potest apparere consideranti naturam gratiæ talis, sicut dicit Apostolus, quod spiritus prophetarum subjecti sunt eis, & [illegible] [illegible].

Contra [illegible]ius tamen [illegible] prima consideratione, [illegible] *ecclesiasticam* descripsi[illegible] *dominium ecclesiasticum* dici potest.

Præterea *civile* dominium [illegible] *politicum* est dominium, [illegible] introductum, non competens pluribus ex æquo, retinibile & abdicabile, servata vel non servata charitate, fundatum in legibus civilibus & politicis, secundum quas potest abdicari, vendendo, donando, negligendo, permutando. Unde *apud Ecclesiasticos [illegible] tale dominium* suo modo, nec [illegible] in charitate, nec in fide. Quoniam apud infideles & injustos peccatores justè manet tale dominium.

Postremo tandem habito sermone de justitia, de jure, de lege, de jurisdictione, de dominio, loquamur aliquid de *politia*, describentes eam, quod *est communitas ordinata ad finem aliquem perfectum*. Est autem ordinatio vel ordo, parium dispariumque rerum, sua unicuique tribuens dispositio. Convenit igitur prorsus *ordo* cum justitia, quæ dat unicuique quod suum est. Propterea fuit enunciatum per Prophetam, quod *opus justitiæ est pax*. Cur ita? planè, quia nihil aliud est pax, quam ordinis tranquillitas. Hanc vero tranquillitatem ordinis facit justitia, jus suum unicuique tribuens. Quia juste dictum est: *justitia & pax osculatæ sunt*.

Politiarum vero alia est *cœlestis*, de qua nihil ad præsens; alia est *humana* duplex *Viatorum*: una, quæ vulgato & appropriato nomine dicitur *ecclesiastica*, altera *secularis*.

Secularis autem dividitur ab Aristotele politizante in *tres*: quarum *primam* vocat regnum, *secundum* dicit Aristocratiam, *tertiam* nominat vocabulo generali appropriate politiam, quam dicere possumus *timocratiam*.

Describitur *regnum*, quod est politia sub uno bono; vel expressius, quod est congregatio communitatis perfectæ sub uno [illegible] leges suas bona pro Rep. [illegible] *unus* ille *bonus* vel Rex vel Imperator seu Monarcha, qui non [illegible] principaliter sed commune bonum intendit in suo principatu,

De-

Describitur *Aristocratia*, quod est congregatio communitatis perfectæ sub paucis, bonum Reipublicæ per leges suas principaliter intendentibus; ut Senatus.

Describitur *politia* appropriato nomine, seu *timocratia*, quod est politia sub plurimis bonis. Vel expressius, quod est congregatio communitatis perfectæ sub plurimis, utilitatem Reipublicæ per leges suas principaliter intendentibus. Dicitur *perfecta communitas*, ad differentiam œconomicæ conversationis, quæ sibi perfectè non sufficit. Dicitur *secundum leges suas*: Quoniam in hoc attenditur principatus dominantis, si secundum leges suas inveniatur ultro regere politiam, alia lege non arctatus.

Omnis idcirco *Politia Ecclesiastica*, sive dominetur unus sive pauci, sive plures boni, dicitur propriè *divina*. Quia secundum leges supernaturales debet quilibet regulationem accipere.

Et ita perspicuum est, quod *tres* istæ *politia* uniuntur in Ecclesia aliter quam in civili politia, propter divinæ legis unitatem.

Perspicuum est consequenter, quæstionem hanc sapere blasphemiã & hæresin Pelagianam, sc. Num in ecclesiastico regimine Theologia præponi debeat alteri scientiæ, naturali vel humanæ? Non enim sumitur hic ecclesia pro templo materiali, quod ædificare melius sciret latomus quam Theologus aut jurista. Nec de ecclesia tantummodo debet fieri sermo pro solis proventibus & reditibus & jurisdictionibus ecclesiasticis, ad temporalitatem & vitam hanc civilem respicientibus. Quoniam esset hoc pure gentiliter sapere. Ita tamen annales etiam de ecclesia plerumque concipiunt, prout operibus & verbis insinuant, extollentes usque in cœlum, si quis Episcopus aut Abbas laboraverit ut stent mœnia & prædia, cum suis jurisdictionibus, & permittat ruere subditos per errorum devia, in fide catholica & bonis moribus. Sic autem posset secularis unus, expertus œconomus judicari frequenter utilior in Ecclesiastico regimine quam Theologus aut Jurista.

Considerari igitur debet *Ecclesia*, prout instituta est à Christo super firmam petram fidei, ad finem supernaturalem, secundùm legem evangelicam & sacræ scripturæ divinitus regulatæ, secundum quam debet regulari judicium de fide & moribus subditorum. Quoniam *rectum, est judex sui obliqui.*

Pro qua fide conservanda deberent *in curia Romana* constitui *auditores causarum fidei*, in Theologia peritissimi, nec corrupti moribus. Quas causas omnes dicunt aliqui ad sedem Apostolicam referendas esse. Licet hoc nimis generaliter intelligatur. Attendatur, si hoc æquè rationabiliter fieret, sicut *auditores causarum profanarum* sunt ordinariè & collegialiter instituti.

Possumus conformiter ad prædictam Philosophi politiam, tripliciter distinctam in naturali regimine, *politiam Ecclesiasticam* dividere; quod *alia* est *papalis*, *alia collegialis*, *alia synodalis* seu *Concilii generalis*. Papalis imitatur regalem: Collegialis Dominorum Cardinalium imitatur Aristocratiam: Synodalis generaliter imitatur politiam, seu timocratiam, vel potius est perfecta Politia, quæ resultat ex omnibus.

Sunt ex adverso Politiæ, si taliter appellari merentur, quæ non liberè & tanquam paternali regimine ducuntur sicut præcedentes; sed despoticè & servili jugo trahuntur, vel ex proprio demerito, permittente Deo, qui regnare facit hypocritam, dicente Job, *propter peccata populi*; vel aliunde, justo ejusdem Dei judicio.

Vocat autem eas Aristoteles, primam *Tyrannidem*, alteram *oligarchiam*, tertiam *Democratiam*. In *Tyrannide* præsidet unus, proprium tantummodo bonum inquirens, volens, subditos impotentes, indoctos, & divisos ab invicem esse. In *Oligarchia* præsident pauci similis conditionis, super alios. In *Democratia* præsidet sibi ipsi multitudo, nequam, ubi quærit unusquisque quæ sua sunt, non quæ communia.

Cognoscet ex his studiosus lector, si possit in Ecclesiastica Politia tale aliquid tripliciter & proportionabiliter inveni-

veniri. Denique, nihil de Politiis mixtis expreſſimus. Quoniam ferè nulla eſt, quæ mixtionem excludat, ſed à prædominanti talis vel talis nominatur.

Hæc verò latius explicata ſunt in Tractatu quodam *de Vitâ ſpirituali*, & in ſermone illo: *Dedit ei omnia Pater in manus.*

EPILOGUS

Breve totius libri de Eccleſiaſtica poteſtate argumentum.

EPilogando dicimus, quod *à prima juſtitia* derivatur *jus* generaliter in omnem creaturam, ſpecialiter in creaturam rationalem. Et hoc ſecundum *multiplices leges*. Secundum *propriè divinam*, ſecundum *proprie naturalem*, ſecundum *Canonicam*, ſecundum *civilem*. Fundatur inde participata juſtitia, imitatrix divinæ.

Dehinc *juriſdictio quadruplex*, ſecundum quadruplicem legem, propriè divinam, proprie naturalem, canonicam & civilem.

Et de qualibet harum dupliciter haberi ſermo poteſt. Quoniam alia eſt *coercitiva* in invitum, alia *doctrinalis*, *directiva* vel *arbitraria* ſeu *ſpontanea* dici poteſt.

Porro ſecundum leges & juriſdictiones fundantur *dominia*; unum *gloriæ*, alterum *juſtitiæ* originalis, aliud *gratiæ* gratificantis, aliud *evangelicum*, ſecundum leges proprie divinas, aliud *Eccleſiaſticum* ſecundum leges canonicas, aliud *politicum* vel civile, ſecundum leges civiliter datas.

Amplius verò fundantur ſecundum prædicta diverſæ *Politiæ*; una *regalis* ſeu libera, altera *ſervilis* ſeu deſpotica.

Et utraque dividitur in *eccleſiaſticam & ſecularem*.

Secularis libera & bona dividitur in *regnum*, *in ariſtocratiam*, & *timocratiam*. *Servilis* & mala in *tyrannidem*, in *Oligarchiam & democratiam*.

Eccleſiaſtica, bona, dividitur proportionabiliter in *Papatum*, in *Cardinalatum* & *Synodum*. Mala verò, re ipſa magis huic adverſo triplici modo cognoſcitur quam nomine.

Tandem ſub Eccleſiaſtica Politia continetur appropriatò nomine *poteſtas Eccleſiaſtica*, quæ primò dividitur: Quoniam una eſt *ordinis*, altera *juriſdictionis*.

Poteſtas ordinis duplex, una ſuper corpus Chriſti verum in *conſecratione*, altera ſuper corpus Chriſti myſticum in *ſacramentorum miniſtratione.*

Poteſtas juriſdictionis duplex, una *in foro exteriori*, altera in *interiori*.

Poteſtas in *exteriori* duplex, una *coercitionis ſecundum legem propriè divinam*, quæ eſt excommunicatio, altera *ſecundum leges poſitivas*, Canonicas ſeu civiles, quæ juriſdictioni ſeculari ſimilis eſt.

Rurſus poteſtas juriſdictionis in foro *interiori*, duplex eſt; una *clavium ſcientiâ* & poteſtatis in abſolutione ſeu remiſſione culparum, altera *in pœnæ commutatione* per largitionem indulgentiarum.

Poſtremo tripliciter habet conſiderari poteſtas eccleſiaſtica; uno modo, in ſe, formaliter vel *abſolute*: alio modo, ut in hoc vel illo ſuppoſito materialiter ſeu *ſubjective*, tertio modo, *uſualiter ſeu executive*.

Uſus vero quadruplex eſt, licitus & ratus, licitus & non ratus, illicitus & ratus, illicitus & irritus. Ratus verò dupliciter: vel de jure vel de facto.

Et ſic finitus eſt tractatus de poteſtate Eccleſiaſtica.

Explicit tractatulus De poteſtate Eccleſiaſtica & De origine juris & legum, magis ad inquiſitionem veritatis quam ad determinationem editus, & pronunciatus Conſtantiæ, Provincia Moguntinenſe, tempore generalis Concilii, pro parte M. Johannis de Gerſonia, Cancellarii Pariſienſis, Anno à Nativitate Dni 1417. die 6. Febr. Et ſcriptus per Fr. Henricum Piſtorem, Priorem S. Victoris, eodem anno, 15. Junii, in eadem civitate Conſt. *Subſcriptio in MSC. Vindob.*

In uno MSC Helmſtad. hæc clauſula: *Hunc tractatum de poteſtate Eccleſiaſtica & de origine juris & legum fecit M. Johannes Garſen, Sacræ Theologiæ Doctor, Cancellarius Pariſienſis, & compoſuit eum in ſacro Concilio Conſt. Ao. Dni MCCCC XVII. Et magis ad inquiſitionem veritatis quam ad determinationem editus fuit & pronunciatus Conſt.* *Subſcriptio in MSC. Helmſt.*

In altero MSC. Helmstadiensi hæc clausula:

De hoc opere finito laudetur Deus per infinita secula seculorum Amen. Hunc Tractatum De potestate Ecclesiastica & de origine juris & legum fecit Magister Johannes Garsen, sacra Theologiæ Doctor, Cancellarius Parisiensis, & composuit eum in sacro Concilio Constantiensi, Anno Dni MCCCCXVII. Scriptus pro Domino Martino, Priore Monasterii Mellicensis, Ambasiatore præfatorum Fratrum ac Dominorum in sacro Concilio Basiliensi, sub Anno Domino MCCCC XXXVIII. XIII. die mensis Martii.

TOMI VI. PARS IV.

DE FATIS CONCILII CONSTANTIENSIS.

AB exordio revocare *Constantiensis Concilii faciem*, & quæ à *fine ejus* per sequentia in hanc ætatem usq; secula sit expertum *fata*, quæq; de eo sint lata eruditorum in toto orbe *judicia*, indeque prognata doctorum *certamina*, vel & Principum *bella*, longum esset contexere volumen.

Ægerrimus sane Ecclesiæ illo tempore status, regimenque illius miserrime comparatum, effecerunt, ut à toto orbe hoc Concilium expeteretur. Contigitque *divino fato*, ut Christianissimus *Imperator Sigismundus* brevi ante in solium regni Romano Germanici esset evectus: Cujus pietate & sapientia anima hujus Concilii constaret. Qui &, divino creditum instinctu, *Constantiam Germanorum* pro Concilii theatro destinavit. Cujus augusti consilii vim ac finem auguratus cum dolore Johannes Papa, expertus mox in vinculis. *Singulari* proinde *fato* Imperator Christianissimus *Sigismundus*, in Imperiali throno eminuit, quando omnia confusa ac convulsa in Ecclesia & republica medelam expectarunt.

Illustre porro *fatum*, quod spe emendationis, ad quam universa Ecclesia & respublica Christiana enixe adspirarat, totus pene orbis illuc conflueret.

Novum & *salutare præsidium*, quod totus orbis ibi congregatus in certas Nationes distingueretur, pro votis & suffragiis rite recteque colligendis, rebusque arduis infinitis apte expediendis.

Difficili nutu in tres Pontifices sede movendos universi conspirarunt.

Difficiliori conatu Johannes Papa præsens Papatum prorsus exuere compulsus.

Ancipiti fortuna, fuga è Concilio elapsus Papa, Concilium dissoluturus.

Tristiori eventu, synodus bello in Austriacum, ob Papam è Concilio subductum quassata.

Prosperiori successu, Papa Gregorius ad nutum Cæsaris & Concilii sponte Papatu cessit.

Infortunio, incendia vel invito Cæsare parata, quibus humanæ carnes Hussi & Hieronymi assarentur.

Laborioso impetu & fausto consilio Cæsar in Hispaniam profectus, Hispanos movit, ut Benedictum Papam Papatu moverent.

Tædiosum, quod condemnaretur quidem in Concilio Petitiana doctrina, in Principes injuria, non absolveretur tamen lis periculosa.

Molestum, quod Sessione IV. præter Concilii spem, Synodalia decreta mutilarentur, sine mora licet restituta & redintegrata.

Fortunatum & salutare, quod Reformatorio instituto dispiceretur de Ecclesiastico statu emendando.

Lacrymabile, quod amarulentis litibus hoc Reformationis negotium differretur ac tandem rumperetur.

ANDREÆ, EPISCOPI MAGORENSIS, HISPANI,

Incliti in Constantiensi Concilio Oratoris, in Sessione Vta, cum autoritas Concilii publicis decretis confirmaretur, illeque solennem oratinnem haberet, eminentis,

GUBERNACULUM CONCILIORUM,

Juliano de Cæsarinis Cardinali inscriptum,

eiq; in Basileensi Concilio Præsidenti *A.* 1435. missum atque oblatum.

Ex antiquo & præclaro *Codice MSC. Helmstadiensi*, h. t.

Gubernaculum conciliorum, per Dominum *Andream, Episcopum Magorensem*, natione *Hispanum*, editum, & Domino *JULIANO Cardinali* ad Concilium Basiliense *transmissum*.

In MSC. Helmst.

Ad perpetuam *conciliorum generalium memoriam* ac ipsorum *reformationum* fiendarum, ac constitutionum ac statutorum in eisdem ordinandorum, *Avisamenta* nonnulla, corrigenda, addenda, minuenda per Vos, Pater Reverendissime, domine *JULIANE de Cæsarinis*, *tituli S. Angeli Cardinalis* dignissime, & nunc in sacro Concilio de consensu universalis ecclesiæ Catholicæ, & sanctissimi Domini nostri Papæ EUGENII IV. Præsidentis justissimi, tibi scribo. *Tractatum præsentem* ex toto corde, cum zelus domus Dei & sponsæ Christi à Tuis amicis derelictæ vestram dominationum urgeat, & quasi compellat pro ejus justitia & reformatione agonizare, & usque ad mortem pro ejus justitia certare, Vestræ Paternitati *transmitto*. Non eà determinando, nec meo sensui inhærendo. Quinimò protestor, si meorum Majorum præcepta jusserint, ea revocare, cassare, annullare, publicè & occultè, & solùm id tenere, credere & asserere, quod credit, tenet & asserit sancta mater universalis ecclesia & sancta Romana Curia.

PARS I.

De Jure Concilii in emendationem ac reformationem status Ecclesiastici.

CAP. I.

Quod mundus regatur auctoritate Pontificum & Regia potestate,

Et quod à Romana Curia sit Reformatio inchoanda.

IMprimis pro *fundamento* totius *reformationis* noto illam auctoritatem Decreti sancti, scriptam *dist.* 96. ubi dicitur: *Duo sunt, quibus principaliter iste mundus regitur: Auctoritas sacra Pontificum & Regalis potestas. In quibus tanto gravius est pondus sacerdotum, quanto etiam pro ipsis Regibus hujus mundi in divino judicio sunt reddituri exactam rationem.* Hæc ibi. Et hi sunt duo gladii à Christo ecclesiæ in persona Petri dati, cùm dixit Petrus: *Ecce duo gladii hic.* Et Christus Jesus dixit: *Sufficit.* Sunt enim *duo gladii*, quorum unus est *spiritualis*, alter *temporalis*, ad faciendam vindictam in nationibus, & increpationes in populis.

De *primo* patet. Tenetur enim, secundum Apostolum, Jesu vicarius arguere, obsecrare, increpare delinquentes fideles, & ligare ac solvere, juxta commissionem Christi, *Matth. XVI.*

Quoad *secundum* patet per nostrum sanctum Hispanum, *Isidorum*, 23. *q.* 5. *in cap. Principes seculi, & in c. Res.* Ubi dicitur: Res ecclesiæ aliter esse tutæ non possunt, nisi quæ ad divinam confessionem pertinent, & regia & sacerdotalis defendat auctoritas.

Si h

Si igitur istæ *duæ potestates* debent mundum regere, & populum Christianum in confessione divina, & justitia, pace, fide & charitate, & quacunque virtute gubernare, & de eis rationem in divino examine reddere: *Ante quàm alios inferiores reforment, corrigant*, & curent, *necesse est, quod se ipsos primò reforment*, per bona exempla & virtutes, ne cuilibet ipsorum dicatur: *Medice, cura te ipsum.* Quia cùm pastor per abrupta graditur, necesse est ut in præcipitium grex ducatur.

A Romana ergò *curia, & à Principibus seculi fidelibus est reformatio incipienda* in conciliis generalibus, & à fortioribus, qui videntur regere populum, Prælatis, Episcopis & majoribus. Eis enim à Christo dicitur: *Vos estis lux mundi.* Et iterum: *sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum, qui est in cœlis.*

A Romana ergò curia est reformatio incipienda. Quia Romana curia est unum luminare maximum, ad mundi firmamentum & regimen posita, ut notat *c. Solitæ, De majoritate & obedientia.* Et ideo si langvor non fuit curatus in capite, totum corpus invadit, ut dicit *c. Sunt inquam, 2. q. 7. vulnerate.* Namque pastore langvente, quis curandis ovibus adhibebit medicinam? Aut qualem fructum de se producturus est, cujus gravi peste radix infecta est, 1. *q.* 1. *Sequitur.* Langvescente enim capite facilius reliqua corporis membra inficiuntur, 6. *q.* 1. Non enim facit episcopum dignitas, sed bona vita. 2. *q.* 7. Non omnes Episcopi sunt Episcopi &c.

Ergò restringenda est potestas à malis & scandalis, potestas spiritualis & etiam temporalis, ut nihil sibi vindicet in ipsa *cupiditas*, quæ radix est omnium malorum, quæ fuit *in curiis* præfatarum potestatum *XI. q. 3. Illa.* Et pœna unius debet esse metus multorum. 2. *q.* 7. *c. Quapropter.* Et dignum est, superiores pati ab inferioribus ea, quæ inferiores ab eis pati despiciunt, 2. *q.* 5. *Accusatores.*

Quid enim est *reformatio*, nisi peccatorum & malorum desertio, & bonorum introductio, & legis & mandatorum Dei impletio, & pœnitentiæ susceptio, ac vitæ emendatio, quam Christus Jesus primò prædicavit, dicens: *Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum.*

Ab istis ergò duabus potestatibus est incipienda reformatio & exequenda. Quia, *istis reformatis facilius fiet reformatio in inferioribus* ac subditis. Quia quicquid agitur à Prælatis, trahitur in exemplum à subditis, ait *Gregorius.*

CAP. II.

Quis habeat reformare auctoritatem Pontificum & Regum.

SEd antequam dicam aliqua Avisamenta de hujusmodi *reformatione*, quærebatur à me sæpius paupere & ignaro juris: Quis est ille, qui super duas potestates habet *jurisdictionem ad eas reformandum & corrigendum*, præsertim *spiritualem potestatem?* Cum jura clament & dicant de Papa, 9. q. 3. *Nemo judicabit primam sedem*, quæ est Papæ. Item 40. *distinct. Si Papa.* Ubi dicitur: *Papa ceteros judicat, & à nemine judicatur, & nullus est, qui dicat sibi, cur hoc facis? Quia aliorum causas Deus voluit per homines terminari, sed sedis illius Præsulem suo sine quæstione servavit arbitrio.* 9. *q.* 3. *Nemo.* Et *sola Romana Ecclesia suâ auctoritate debet de omnibus judicare, de ea vero judicare nulli permittitur*, 8. *q.* 3. *Episcopo*, & c. sequenti.

Et de hac *correctione*, judicio, & *reformatione*, sunt multa jura & dicta sanctorum patrum, quæ causa brevitatis omitto.

Ad istam interrogationem nihil unquam respondi nec scripsi assertivè, sed solùm *opiniones* aliquorum *Doctorum* de hac materia loquentium dixi. Quæ *opiniones* sunt in triplici differentia.

Quidam enim asserunt, quod Papa non potest judicari nec reformari contra voluntatem suam, judicio publico, non solùm à quacunque persona vivente particulari: Imò etiam ex causâ hære-

hæreseos, non potest reformari, nec judicari, nec condemnari ab ipso sacro concilio generali. Quia dicunt, quod major est potestas Papæ in jurisdictione, in dominio, in correctione, in reformatione, in auctoritatis executione, & clavium ligatione & solutione, quam sit potestas universalis Ecclesiæ. Quia sibi soli dictum est à Christo: *Tu es Petrus, & supra hanc Petram* &c. Et, *Tibi dabo claves regni cœlorum.* Tibi, inquit Christus, primò & principaliter. Et statim Christus, quod Petro promisit, adimplevit, dicens: *Quodcunq; ligaveris* &c. Et post resurrectionem sibi soli dictum est à Christo, *Joh. XXI. Pasce oves meas.* Et primus potestatem à Domino accepit, & populos ad fidem Christi convertit, *distinct. 21. In novo testamento.* Et ipsi primo Pontificatus datus est in ecclesia, ut ponitur *ibidem.* Et *Ambrosius 1. q. 7.* in *c. Beati Petri*, dicit: *Roma principium & caput obtinet nationum.* Item, *ipse Petrus caput est totius ecclesiæ. Ipsius enim sedes prima est, ad quam omnia negotia sunt referenda, 24. q. 1. Rogamus.* Et ideo ejus judicium solus Deus sibi reservavit: Quia vocatus est in plenitudine potestatis, & aliæ ecclesiæ sunt vocatæ in partem sollicitudinis, *2. q. 6. Decreto.* Et statuta & decreta consimilia, in his præsertim, quæ fidem non tangunt, sunt determinata, & ab ecclesia tàm de jure, quam consuetudine de potestate Papæ approbata, etiam per concilia generalia. Quæ generalia concilia nunquam expresse determinaverunt, potestatem Papæ esse inferiorem generalis concilii potestate, nec definiverunt, Papam Romanum corrigi, & reformari per concilium generale, nisi in fide esset devius pertinaciter, aut inutilis & remissus.

Imò dixerunt, quod nemo judicabit primam sedem, justitiam temporaliter desiderantem. Neque ab Augusto, nec à toto clero, nec à populo Judex judicabitur. 9. q. 3 *Nemo.* Attento, quod solus Papa potest & debet convocare generalia concilia: Quia pastor est generalis in Dei ecclesia & præstat autoritatem conciliis. Et sine suo beneplacito, aut sine sua convocatione si fiant, non sunt concilia dicenda, sed conciliabula, ut in *dist. 17. Decretorum* ponitur. Arguitur ex hoc, quod Papa à conciliis non potest corrigi, accusari, reformari, deponi, nisi *in casu hæreseos pertinacis:* Et quod potestas Papæ est major, quam universalis ecclesiæ; & quod Papa est superior conciliis generalibus in auctoritate, in jurisdictione, dominio & potestate.

Et ideò isti *de ista prima opinione* dicunt, quod in statutis & in reformationibus generalium conciliorum Papa potest interpretari, dispensare, & contravenire, ac revocare, præsertim in his, quæ fidem non tangunt. Et hoc de illo articulo.

Secunda opinio est aliquorum Doctorum, volentium, pro autoritate tam concilii, quam Papæ, jura salvare, & decreta sanctorum Patrum, prout jacent, defendere. Qui dicunt, quod nec Papa potest à conciliis reformari, corrigi, accusari, judicari aut condemnari: Nec concilia generalia ab ipso Papa convocata etiam per ipsum Papam possunt corrigi, accusari aut condemnari.

Et ideò dicunt isti, quod *generalis potestas est Papæ, in reformatione tam in membris, quam in capite,* & in hæresium extirpatione, & quacunque condemnatione, & in quacunque jurisdictione & auctoritate, *cum potestate universalis ecclesiæ*, seu generalis concilii, quod Ecclesiam universalem repræsentat. Quia Papa habet se sicut caput in hoc corpore mystico Ecclesiæ. Et universalis ecclesia habet se sicut membra. Et hæ duæ potestates mutuò se debent juvare, defendere, fovere, curare & reformare. Quia secundum Apostolum, unum corpus sunt in Christo, singuli autem alter alterius membra. Et nos omnes in unum corpus baptizati sumus, & habemus unum Deum Jesum Christum, unam fidem, unum baptisma, unum ovile, & unum pastorem. Ideò, ad denotandam hanc æqualitatem potestatis, qua mutuo se debent juvare, & hoc corpus Christi ædificare, curare, & fovere, dixit Apostolus: *Alios dedit Deus Apostolos, alios Doctores, Alios*

alios Prophetas, scilicet in ecclesia universali, *alios pastores, ut sint in confirmationem sanctorum, in ministerium & ædificationem corporis Christi*, videlicet, ut, quod Papa non potest efficere vel reformare per gladii spiritualis auctoritatem, suppleat & reformet universalis ecclesia per universalem executionem & potestatem: Et è contrario.

Et hanc potestatem universalem, scilicet Papæ & universalis Ecclesiæ, denotavit Christus, ut isti dicunt, quando Apostolus in unum congregatis dixit; primò Petro *Matth. XVI. Quodcunque ligaveris super terram* &c. Et in continenti Apostolis omnibus dixit: Quæcunque *solveritis super terram*. Etiam Apostolis congregatis post resurrectionem in unum, qui ecclesiam universalem repræsentabant, dixit: *Accipite spiritum sanctum, Quorum remiseritis* &c. Hanc & æqualem potestatem innuit decretum, 21. *dist. cap. Innovo*, ubi dicitur: *Petrus primo potestatem à Domino accepit, ceteri vero Apostoli, quorum loco surrexerunt Episcopi, pari honore & consortio cum eo potestatem acceperunt.*

Sed ipsi Apostoli inter se hoc voluerunt, ut Petrus omnibus præesset, & Cephas, id est caput & principium teneret Apostolatus, quam formam suis successoribus & reliquis tenendum tradiderunt. Hanc & æqualem potestatem declarat decretum, 7. q. 1. in *c. Scire*. Ubi dicitur: *Scire debes, Episcopum esse in Ecclesia, & ecclesiam esse in Episcopo, & quicquid non est cum ipso, non est cum ecclesia.* Hoc idem videtur dicere *c. Loquitur*, 24. q. 1. ubi dicitur: *Nemo fraternitatem vestram fallat, Episcopatus unus est, & ecclesia una est* &c.

Item isti Doctores dicût, quod, ex quo est par potestas concilii & Papæ, quod *in statutis concilii potest Papa aliter ordinare* & disponere: Et è contrario, Ecclesia universalis seu synodus generalis potest in statutis & decretis antiquorum Patrum & sedis Apostolicæ pro diversitate temporum & personarum aliter disponere, & aliter ordinare, dispensare, judicare, & commutare. Quia una potestas aliam debet juvare & sublevare, maxime in duobus, scilicet, in hæresium & errorum fidei exstirpatione, & iniquarum & malarum consuetudinum destructione, & in Christianorum pacificatione, & infidelium reductione, & ipsorum ad Christum conversione.

Et concludunt isti: Ex quo par in parem non habet dominium, quod in nullo casu potest Papa à conciliis accusari, judicari, condemnari, nisi in crimine hæreseos. Quia tunc est inferior etiam quolibet fideli, & est extra communionem sanctæ matris ecclesiæ, & est præcisus ab Ecclesia ipso facto.

Tertia opinio multorum valentium Doctorum & aliquorum sanctorum Patrum. Primâ facie videntur asserere, quod simpliciter & absolutè non solum in hæresium & schismatum, ac infidelium seu infidelitatis exstirpatione, verum etiam *in quibuscunque tangentibus fidem seu statum universalis Ecclesiæ*, tam in Christianorum Principum & fidelium populorum pacificatione, quam in vitiorum & malorum ablatione, quam in bonorum & morum ac virtutum reformatione, quam etiam in sacramentorum, & beneficiorum, ac dignitatum, & honorum temporalium & spiritualium gubernatione, jurisdictione, spiritualitate, auctoritate, ordinatione, dispositione, dispensatione, correctione & executione, *potestas universalis ecclesiæ* est *major & superior, quam potestas Papæ*; Et per consequens potestas generalis synodi, quæ præsentat universalem ecclesiam. Dicûnt enim, quod hæc potestas ligandi & solvendi, & oves Christi pascendi, data à Jesu Christo S. Petro, super quo est fundata tota Papalis plenitudo potestatis, fuit data à Jesu Christo suæ sponsæ universali Ecclesiæ primo & principaliter in ipso S. Petro, seu in persona S. Petri, qui post mortem Christi Jesu remanebat ejus vicarius in terris ac minister & dispensator fidelis mysteriorum ipsius Dei, quæ per ipsum Christum erant commissa & data suæ sponsæ, universali ecclesiæ, ut in quibuscunque, quæ ecclesia non posset exequi, seu perficere, gubernare, aut regere, Petrus deberet

cum

cum autoritate & beneplacito Jesu sponsi universalis ecclesiæ exequi regere & finire.

Dicunt ergò isti, quod *hæc plenitudo potestatis* Papalis non fuit data Petro, ut Petro, sed fuit *data universali ecclesiæ*, quæ erat per significationem tota in Petro: *Sicut* enim *petra, super qua fundabatur ecclesia* universalis, *erat Christus Jesus*, seu *in Christo Jesu*, per significationem; & non per realitatem, aut veritatem, sed solum per similitudinem & significationem: Quia ista petra, quam Christus illi demonstrabat, corporaliter non erat Christus, dicens, *Et super hanc petram ædificabo ecclesiam meam*; Nam si se ipsum affirmasset esse petram, falsum dixisset, asserendo se realiter esse petram materialem; Sed dixit se esse petram per similitudinem & significationem: *Sic* ecclesia Catholica, quæ accepit à Jesu Christo potestatem ligandi, ac ejus oves & agnos pascendi, in Petro erat tota; *in Petro*, quantum ad potestatem sibi attributam à Domino Jesu Christo, significative, similitudinarie & figuraliter. Et tamen non erat Petrus ipsa universalis ecclesia realiter, quæ dicitur in symbolo Apostolorum sancta ecclesia Catholica, sanctorum communio, quam repræsentat sacrum concilium generale congregatum in Spiritu sancto: Quæ, ut expressius loquar, dicitur collectio & congregatio fidelium tam Ecclesiasticorum quàm laicorum utriusque sexus in Christum Jesum credentium, *De consec. dist. 1. c. Ecclesia.*

Verum isti *probant* superius dicta per Evangelistas. Quia, ut Christus demonstraret non dedisse hanc potestatis plenitudinem Petro ut Petro, scilicet ligandi & solvendi, sed solum universali ecclesiæ in Petro, *Matth. XVI.* statim, ne inter apostolos fieret de hujusmodi potestatis plenitudine contentio, & inter eos disputaretur, quis eorum esset major, Christus in *c. XVIII.* subjunxit, & expressius ipsi *universali ecclesiæ*, quæ residebat seu præsentabatur in ipsis apostolis simul congregatis, *dedit* hanc ligandi & solvendi *potestatem*, dicens *omnibus*: *Quæcunq; ligaveritis super terram*, &c. Patet ergò, hanc potestatis plenitudinem fuisse universali ecclesiæ datam.

Item *probant* isti, hanc *potestatem ecclesiæ* esse *majorem*, *quam Papæ*, primò naturali ratione, secundò multiplici auctoritate, tertiò exemplificatione, quartò potestatis ecclesiasticæ executione.

Primò ratione naturali. *Ratio* enim *naturalis* dictat, quod omne totum est majus sua parte. Cum ergo nos omnes fideles Christiani secundum apostolum unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra, sequitur quod totum istud corpus majus sit & dignius aliqua parte ipsius. Quod ergo Papa sit membrum hujus corporis, probatur: Quia secundùm Apostolum caput ecclesiæ est Christus, ejus sponsus, & caput Christi est Deus, secundum eundem Apostolum. Si ergo caput Christi est Deus, in quantum est in Christo, multo magis caput Papæ est Deus. Et sic Papa, in quantum fidelis Christianus & credens firmiter in Dominum Jesum, est membrum ecclesiæ. Et hoc est, quod dicit Apostolus: *Nos sumus membra*, de membro scilicet Jesu Christo. Ergò totum corpus ecclesiæ universalis est majus & dignius in auctoritate & potestate, cum sit corpus totum sine ruga sine macula formosum, quam sit ejus pars, scilicet persona Papæ, qui plenus peccatis potest errare, & fieri in fide Christi deformis. Ergò majus est concilium in potestate.

Item *probatur* hæc opinio *Evangelica lege*. Dixit enim Christus: *Omnis qui facit peccatum, servus est peccati*. Sed Papa potest facere peccatum, ergo est servus peccati. Ecclesia autem catholica nullum peccatum potest facere, cùm sit ædificata super Christo Jesu, angulari lapide, Ergo est domina peccati. Sed dominus majorem potestatem habet, quam servus: Ergo major est potestas ecclesiæ quam Papæ.

Item *probatur*: Papa potest peccare, Ergo ipse subjicitur legi Evangelicæ. Quia ait apostolus: *si spiritu ducimini, non estis sub lege*. Subjicitur ergò, in quantum peccator, correctioni fraternæ, juxta præceptum Christi, qui ait: *si pec-*

ſi peccaverit in te frater tuus, corripe eum: Si te non audierit, adhibe tecum duos vel tres, & ſi illos non audierit, dic eccleſiæ, ſi eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus & publicanus. Ergò Eccleſia ſecundum Chriſti Jeſu Evangelium ipſum poteſt arguere, judicare & condemnare: Ergò eſt major, quam Papa in poteſtate.

Confirmatur opinio: Quia non eſt poſſibile, ſecundum fidem Jeſu Chriſti, quod Papa poſſit quacunque poteſtate à Chriſto ſibi tradita arguere, corrigere, judicare, aut condemnare ſacrum concilium, quod repræſentat univerſalem Eccleſiam, quæ regitur ſpiritu ſancto, & quæ eſt ſine peccato, & ſine macula ante thronum Dei. Quia nullus punitur, niſi propter culpam, quam habere non poteſt univerſalis Eccleſia. Et tamen, ut dictum eſt, Papa poteſt errare & peccare, & judicari & condemnari per concilium. Ergo major eſt poteſtas concilii, quam ſit Papæ Romani.

Item naturali ratione probat *Tullius L. 2. de Offic.* quod feritas & immanitas belluæ, ſeu beſtiæ tyrannicæ, à communitate hominum eſt ſegreganda, ſicut quædam membra naturali ratione amputantur à toto corpore, ſi ipſa ſanguine & ſpiritu carere cœperint. Quia nocent reliquis partibus corporis. Ergò Papa tyrannus, negligens, & remiſſus, ac à fide devius, ut ponitur *in c. Si papa, diſt. 40.* per communitatem hominum, vel à communitate eſt ſegregandus à Chriſtianis fidelibus. Ergo communitatis hominum, ſeu generalium conciliorum, major poteſtas & juriſdictio & executio eſt, quam ſit Papæ poteſtas.

Item, Univerſalis Dei eccleſia fundatur *in charitate Dei* maxima, & ſecundum Auguſtinum in regula: *Charitas non quærit, quæ ſua ſunt.* Et ſic intelligitur, quia communia propriis, non propria communibus anteponit. Bonum ergò commune multorum dignius eſt quam bonum particularis perſonæ. Sed univerſalis Eccleſia eſt bonum commune, quod nunquam poteſt deficere: Quia Chriſtus dixit: *Ecce ego vobiscum ſum uſq; ad conſummationem ſeculi:* Et Papa eſt bonum particulare, quod ſæpius poteſt deficere: Ergo bonum commune eccleſiæ eſt præferendum poteſtati & juriſdictioni Papæ.

Item, Virtus unita fortior eſt ſeipſa diſperſa. Sed ſacrum concilium ſeu univerſalis eccleſia eſt virtus, de omnibus Chriſtianis, aut de magna parte ipſorum unita: Ergo eſt fortior & potentior ad reſiſtendum in tempeſtatibus navis eccleſiæ, & tribulationibus, quam ſit virtus diviſa poteſtatis Papæ. Ergo eſt major & ſuperior Papali poteſtate.

Item *probatur* hæc opinio multiplici ſanctorum auctoritate.

Et *primo* per *Beatum Auguſtinum*, qui *in decretis, 24. diſt. 1. c. Quodcunq;*, clarè & ſine aliqua gloſſa aut expoſitione dicit, quod Petrus, qui erat major inter Apoſtolos, repræſentabat eccleſiam univerſalem, cui Eccleſiæ in perſona Petri dedit Dominus poteſtatem ligandi atque ſolvendi. Unde dicit ſic: *Quodcunq; ligaveris & ſolveris ſuper terram, erit ligatum & ſolutum in cœlis.* Si hoc tantum Petro dictum eſt, non utique hoc facit eccleſia. Sed eccleſia hoc facit. Sicut, ſi non eſſet in mundo Papa, Eccleſia ligaret & ſolveret, & ſacramenta fidelibus conferret, abſolveret à peccatis, & ligaret cenſuris eccleſiaſticis. Ergo quæ eccleſia ſolvit & ligat in terris ſunt ligata & ſoluta in cœlis. Quia alias ſequeretur, quod multi boni, fideles perirent & morerentur ſine abſolutione propter defectum Papæ. Quod eſt falſum. Concludit igitur *B. Auguſtinus* ſic: *Ergo Petrus, quando claves accepit, eccleſiam ſanctam ſignificat.* Sed quando claves accepit, nomine ipſius Eccleſiæ, & pro ipſa Eccleſia, tanquam ejus procurator, actor & factor, eas in ſe recepit. Et ideo ipſe Petrus pro tunc ipſam eccleſiam ſanctam ſignificavit & præſentavit. Sicut nunc ſancta *ſynodus Baſileenſis* repræſentat & ſignificat univerſalem eccleſiam, licet ibidem non ſit tota, nec centeſima ejus pars: Ita tunc Petrus ſignificabat totam univerſalem eccleſiam, & repræſentabat myſtice. Sicut *univerſali Eccleſia* ſecundum

Docto-

Doctores *dictum est* à Christo in persona Petri: *Ego pro te rogavi, Petre, ut non deficiat fides tua.* Quia si tantum Petro dictum fuisset, utique falsa esset ista propositio. Quia certum est, quod Petri fides defecit. Etiam *ecclesiæ dictum* est in persona Petri: Pasce oves meas. Quia si tantum Petro dictum fuisset, jam diu est, quod fuissent oves Christi sine pastu. Et etiam quando non esset Papa in mundo per duos vel tres annos, sicut fuit *tempore Constantiensis concilii de anno Domini MCCCCXV. & XVI.* oves Christi Jesu essent sine pastore & pastu. Quod falsum est. Quia non sunt sine Ecclesia, in qua est pastus & refectio salvativa. Etiam illud verbum evangelicum sic intelligitur fuisse in persona Petri ecclesiæ universali dictum, scilicet: *Duc in altum* id est in profundum vitiorum, ait Augustinus. Quia Ecclesia sine Papa potest absolvere etiam à profundissimis & pessimis vitiis, etiamsi nullus in mundo esset Papa.

Hæc opinio etiam *probatur* lucidissime & subtiliter per *B. Augustinum super Johannem, homilia ultima,* super isto verbo *Johann. XXI. Pasce oves meas*, dicentem & asserentem, hanc potestatem ligandi & solvendi fuisse datam ecclesiæ universali in persona Petri. Et dicit sic: *Quando Petro dictum est: Tibi dabo claves regni cœlorum: Et: Quodcunque ligaveris super terra & solveris, erit ligatum & solutum in cœlis, Universalem significabat ecclesiam, quæ in hoc seculo diversis tentationibus & tribulationibus velut tempestatibus quatitur, & non cadit, quia firmata est super firmam petram, unde Petrus nomen accepit. Non enim petra à Petro, sed Petrus à petra, sicut non Christus à Christiano, sed Christianus à Christo vocatur. Ideo ait Dominus: Tu es Petrus. Et super hanc petram ædificabo ecclesiam meam: Quia Petrus dixerat: Tu es Christus filius Dei vivi. Ideo inquit Christus: Super ergo hanc petram, quam confessus es, & non super te, ædificabo ecclesiam meam. Petra enim erat Christus, & non Petrus; Ecclesia verò fundatur in Christo, & ideo claves ab eo regni cœlorum accepit in Petro, scilicet potestatem ligandi & solvendi peccata.* Et sequitur: *Quod enim est per proprietatem in Christo, hoc est in Ecclesia per significationem, Petrus in petra. Quia qua significatione intelligitur Christus petra, eadem dicitur Petrus Ecclesia. Hæc est ergo Ecclesia, quam significabat Petrus, cum dicitur sibi: Sequere me; pro qua universitate passus est Christus. Sicut ecclesia universali dictum est in Petro à Christo: Ego pro te rogavi, Petre, ut non deficiat fides tua. Et ecclesia in apostolis dicit: ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi, Matth. ultimo.* Hæc ille.

Hanc etiam opinionem & conclusionem secutus est *B. Hieronymus, in Decretis, 24. q. 1. c. Omnibus his consideratis, hæc ecclesia est domus Dei, fons hortorum, puteus aquarum viventium.* Item: *Hæc est domus, de qua in Psalmo scribitur:* Domine, dilexi decorem domus tuæ. Item: *hæc domus Dei, quæ dicitur Ecclesia, est, quæ claves potestatis ligandi & solvendi à Domino Jesu Christo accepit.* Et sequitur per Hieronymum in textu, istius Ecclesiæ potestas & *jurisdictio. Quia ipse dicit sic: Hanc domum si quis corrigentem, corripientemque contemserit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus.* Ergo videtur, quod ecclesia potest corrigere & corripere, ac jurisdictionem exercere, & quod habet claves à Christo ligandi & solvendi.

Hanc etiam opinionem, tanquam catholicam, sanctam & justam, corroborat *Gregorius*, asserens per acta sua, quod major sit generalium conciliorum, quam sit potestas Romanorum Pontificum. Unde sicut sunt tenenda sancta Evangelia, super quibus non potest Papa dispensare, sic sunt *concilia veneranda & amplectenda in Ecclesia reformatione*, quam ipse Papa non potest dissolvere nec contra eam dispensare sine maxima & evidenti utilitate & necessitate universalis ecclesiæ, aut alicujus Regni, aut provinciæ. Unde ipse dicit sic, *XV. dist.* Decretorum: *Sicut sancti Evangelii quatuor libros, sic quatuor concilia*, quibus, supple, succedunt alia concilia, *suscipere & venerari me fateor; cunctas vero, quas præfata concilia personas respuunt, respuo, & quas venerantur amplector. Quia, dum universali sunt consensu instituta, se & non illa destruit, quisquis præsumserit absolvere, aut ligare, quos absolvunt aut ligant.* Hæc ibi. Ex quo cano-

canone concluditur directe, quod nullus nec ipse Papa potest in statutis concilii dispensare, aut ea infringere seu annullare. Sequitur ergo quod major est potestas universalis Ecclesiæ, quam sit potestas ipsius Papæ.

Hæc etiam opinio *probatur* exemplificatione multorum Romanorum Pontificum, qui temporibus diversorum schismatum fuerunt per concilia generalia depositi, correcti & castigati.

Probatur etiam exemplo *Leonis Papæ*, qui submisit se concilio generali, tanquam suo superiori, & ejus judicio ac determinationi. Unde *dicit sic*, 2.q.7. *Nos si incompetenter aliquid egimus & in subditos justa legis tramitem non servavimus, vestri ac vestrorum missorum cuncta volumus emendare judicio.*

Hanc etiam potestatem de facto exercuit jam tempore, quo inceperunt concilia generalia sub Papa Sylvestro celebrari, qui fuit *Anno Domini Jesu CCCXX.* vel quasi, ipsa sancta & immaculata ecclesia universalis, tollendo hæreses, delendo schismata, reformando ecclesiam, deponendo papas seu antipapas, reducendo per concilia totam Christianitatem ad obedientiam Romanæ ecclesiæ, & pacem & charitatem, ac multa bona in conciliis generalibus faciendo, quæ longū esset enarrare, sed bene Chronica intuenti possunt patere.

Et *dicunt* isti de ista opinione, quod jam, ex quo *per mille annos & ultra* potestas generalis concilii & universalis viguit, gerentes se pro Papis deposuit, & universalem ecclesiam sub uno capite univit, hæreses sustulit, pacem in populo Christiano procuravit, & innumerabilia bona in Dei ecclesia fecit, uti patet legenti Sanctorum Patrum decreta. Et in *historia Tripartita* quodammodo jam proscripsit contra potestatem Papæ, quod juste & merito debet potestas concilii esse major quam potestas Papæ.

Et isti de ista tertia opinione *probant* intentionem suam *reali executione. Dicunt* enim, quod præsentibus omnibus Cardinalibus sanctæ Romanæ Ecclesiæ & multis Archiepiscopis, Patriarchis, Episcopis & Prælatis, ac diversorum Principum Ambassiatoribus & Illustrissimo Principe, Domino *Sigismundo Romanorum Rege*, de consensu omnium, beneplacito & mandato, sacrosanctum *Concilium Constantiense* promulgavit & promulgari fecit, & definivit hoc perpetuum statutum, *die VI. mensis Aprilis*, in *quinta Sessione* ejusdem concilii, *anno Domini M CCCC XV. me, qui hæc scribo, eadem die coram Concilio sermocinante*, & Domino reverendissimo *Cardinale de Ursinis* celebrante in Pontificalibus, hoc modo fuit hoc decretum publicatum: *Hæc sancta synodus Constantiensis in spiritu sancto legitime congregata, generale concilium faciens, ecclesiam Catholicam militantem repræsentans, pro exstirpatione præsentis schismatis & unione ac reformatione ecclesiæ Dei in capite & in membris fienda, ordinat, definit, statuit & declarat, quod ipsa potestatem habet immediate à Christo, cui quilibet cujuscunq; status, vel dignitatis, etiamsi Papalis existat, obedire tenetur in his, quæ pertinent ad fidem & exstirpationem schismatis, & generaliter ad reformationem ecclesiæ Dei in capite & in membris. Item declarat, quod quicunque cujuscunq; status vel dignitatis, etiamsi Papalis existat, qui manifestis statutis seu ordinationibus aut præceptis hujus sanctæ synodi aut cujuscunq; alterius concilii generalis legitime congregati, super præmissis seu ad ea pertinentibus, factis vel fiendis, obedire contumaciter contempserit, nisi resipuerit, condigna pœnitentiæ subjiciatur.* Ex quibus sacri generalis concilii statutis liquide patet, quod potestas universalis Ecclesiæ, quam repræsentat sacrum concilium, est à Christo immediate, & non à papa, vel ab aliquo homine.

Unde *glossa decreti* super illo verbo Apostoli: *Concilia sacerdotum, 16. distinct. in c. Hinc etiam*, Ubi dicitur *in textu, Scientes quia ejus sedi primum Petri apostoli meritum, deinde secreta jussione Domini conciliorum venerandorum auctoritas singularem Ecclesiis tradidit potestatem* &c. Dicit ibidem *glossa. Habet ergo Romana Ecclesia auctoritatem à Domino & à conciliis, sed Imperator à populo, quia orbis major est urbe, 93. dist. Legimus.*

Et

Et si dicatur, quod Romana Ecclesia habet privilegium à Domino. 22. *dist. omnes*, dicitur, quod principaliter habuit à Domino in his, quæ sunt de jure divino, utpote prædicare, baptizare, sacramenta dare, secundariò à conciliis in his, quæ sunt de jure positivo, ut beneficia conferre, concilia convocare, &c. Et ideò in his, quæ Papa habet à conciliis, præsertim cùm sint positiva, & ad decorem domus Dei, potest Romana Ecclesia judicari à conciliis, universaliter & canonicè congregatis ac conjunctim.

Et *dicunt* isti de ista opinione, quod ipse Papa, qui solet Romana ecclesia vocari, ab aliqua singulari persona non potest judicari, nec ab aliquo particulari concilio, nec ab aliquo particulari Clero &c. Quia fas est, eum de omnibus judicare singulariter & divisim, non autem universaliter & conjunctim in generali concilio. Quia non licet aliquem de ejus judicare judicio, 9. *q.* 3. *Cuncta per mundum.*

Et sicut isti dicunt, intelligunt omnia jura, quæ loqvuntur de potestate Papæ. Ideò subtiliter Decreta & expresse locuta sunt, dicentia: *Ceteros judicat, & à nemine*, scilicet à nulla singulari personâ *judicatur, & nullus est, qui dicat sibi: Cur hoc facis? dist.* 40. *Si Papa.*

Et sic *declarant* isti, quod nemo judicabit primam sedem, scilicet nulla particularis persona, seu natio aut provincia, sed benè judicabitur per generalia concilia.

Etiam *dicunt*, quod nemo judicat primam sedem, justitiam desiderantem, ut ponitur in *decreto*. Ubi enim Papa sitiret & faceret justitiam, & viveret secundum eam in omni bonitate, justitia & veritate, certè in tali casu etiam concilium non judicaret Papam, nec aliqua singularis persona, nec aliqua communitas per se. Nec judicabitur ab Augusto per se, nec a toto clero per se, nec à populo per se, nec à Regibus per se judex judicabitur. Quia aliorum causas hominum Deus voluit terminare per homines singulares, scilicet Reges, Prælatos, communitates & Principes &c. Sed sedis istius Præsulem suo sine quæstione reservavit arbitrio.

Et *dicunt* isti, quod hæc auctoritas intelligitur, nisi justitiam & bonam vitam, ac salvationem totius ecclesiæ procurare, facere & temperare desideret verbo & opere, nisi inviolatam habeat justitiam absque petitione & bonorum temporalium cupiditate, nisi talium habeat innocentiam. Verba sunt in decreto, 9. *q.* 3. *c. Aliorum.* Quod *capitulum* esset *summè notandum & prædicandum per mundum.*

Quia certè *in his tribus casibus*, ubi Papa justitiam papatus faceret, regeret & gubernaret per bonam vitam, exemplum & famam bonam, & cuilibet bona ecclesiastica justè dispensaret, ubi papa sanam & integram haberet conscientiam, & non flecteretur muneribus, nec pecuniis, nec amicis, nec consangvineis, nec minis Regum & Principum, ac rogationibus, sed semper haberet Deum & Ecclesiam sibi commissam ad ipsam defendendum & reformandum præ oculis: Ubi Papa continuè deserviret divinis officiis, prædicaret, doceret, & sacramenta ac eleemosynas corporales & spirituales præberet fidelibus Christianis: Certè tenent isti de illa opinione, non obstantibus, quæ dicta sunt, quod sacrum concilium non potest judicare Papam, & minus aliqua communitas, vel Regnum, vel provincia potest Papam judicare, ut ponitur *Extra, De electione in c. Significasti.* Unde dicit ibidem *glossa.* Quod si totus mundus sentiret vel sentiat, in aliquo negotio contra Papam, quem constet *tres conditiones* superius dictas servare, & maximè in justitia fidei, & universalis Eccl. reformatione & exaltatione, videtur quod standum esset sententiæ Papæ, ut patet 24. *q.* 1. *c. Hæc est fides.* Et in dictis casibus orbis non est major urbe, *q.* 3. *dist. Legimus.*

Sed si Papa suæ & fraternæ salutis negligens deprehenditur, Inutilis, remissus in suis operibus, & scandalizat universalem ecclesiam per sua peccata, simonias & vitia, notorie & publicè, vel per confessionem, aut per facti evidentiam, utputa per crimen tyrannidis & simoniæ, aut fornicationis publicæ, quæ duo crimina concurrant, præviâ condemna-

demnatione in jure, & etiam sæpius admonetur, & est continuè deterior & incorrigibilis, nunquid non judicabitur per sacrum concilium, aut condemnabitur, seu privabitur? *Dicunt* isti de tertia opinione, quod sic. Et allegant glossam *decreti*, 40. *dist. Si papa.* Quæ dicit: *Credo, quod si notorium sit crimen ejus, videlicet Simonia, adulterium, perjurium, violenta rapina, & consimilia peccata, & inde scandalizatur Ecclesia, & sit incorrigibilis, quod etiam possit accusari. Nam contumacia dicitur. dist.* 81. *Si qui Presbyteri sunt.* Et contumax dicitur infidelis, 38. *dist. Nullus*, §. *verum.* Et sicut si Papa inveniatur devius à fide, judicatur, quia qui non credit, jam condemnatus est: Ita etiam si inveniatur peccator publicus, incorrigibilis & pertinax, scandalizans universalem Ecclesiam, judicatur. Etiam si inveniatur inutilis & remissus, pertinaciter, & notoriè. Et sicut Papa non potest statuere, quod non accusetur de hæresi, quia sic periclitaretur tota universalis Ecclesia, sic non potest ordinare, quòd non accusetur de peccato publico & manifesto, Ecclesiam universalem scandalizante, & Christianum populum dilapidante. Quia hoc non licet, 1. *q.* 7. *Si illa. Et* 25. *q. Sunt quidam.*

Et sic concluditur, quod potest accusari, argui & condemnari pro quolibet peccato notorio & manifesto Ecclesiam scandalizante, si fuerit incorrigibilis, teste apostolo, qui dicit: *Peccatorem coram omnibus argue, ut ceteri metum habeant.* Quia sic Paulus redarguebat Petrum judaizantem. Quia non est facilè stare in loco Petri & Pauli, & tenere cathedram jam regnantium cum Christo. Non enim sunt filii sanctorum, qui tenent loca sanctorum, sed qui exercent opera eorum, 40. *dist. Non est.* Non enim facit Episcopum dignitas, sed bona vita, 2. *q.* 7. *Non omnis.* Et *c. Non vos, dist.* 40. dicit, quod B. Petrus perennem meritorum dotem cum hereditate innocentiæ transmisit ad posteros. Et quod illi concessum est à Christo Jesu, propter actuum seu per actuum lucem, ad illos solum pertinet, quos par conversationis splendor illustrat. Et quis eum scandalizet, quem apex tantæ dignitatis attollit? Ergò quis erit ille qui judicabit sanctum Papam, & quem cum sancto Petro illustrat par splendor conversationis? Certè nullus. Quia dicit Apostolus: quis vobis poterit nocere, si boni æmulatores fueritis? Ergò *dicunt* isti de tertia opinione, quod si Papa sit peccator publicus, tyrannus & cupidus cum sua Romana Curia, quod tunc est *reformanda*, judicanda & restringenda, sub ratione, ipsius Romanæ Ecclesiæ *potestas.* Ut nihil sibi vendicat in ipsa cupiditas 41. *q.* 3. *Illa.* Et dignum est, superiores pati ab inferioribus ea, quæ inferiores ab eis pati despiciunt, 3. *q.* 5. *Accusatores.*

Concludunt ergò isti, quod *potestas* universalis Ecclesiæ seu *synodi generalis* convocatæ canonicè est *major, quam potestas Papa*, in auctoritate, jurisdictione & executione. *In auctoritate*: Quia potestas concilii est à Deo, Christo Jesu, immediatè, duntaxat: Et potestas Papæ est à Christo & conciliis; ut dictum est. *Jurisdictione*: Quia orbis major est urbe, *dist.* 93. *Legimus. In executione*: Quia sacrum generale concilium potest, per quos voluerit, omnia officia Papæ exequi & exercere; alias frustra esset sua auctoritas & jurisdictio.

Et *si dicatur*: Solus Papa convocat generalia concilia, ut patet per totum, *dist.* 19. Ergò major est quàm concilium, & solus ipse potest & debet Papatus exercere officia: Ad hoc *respondent* isti & dicunt: Quod licet ipse solus debeat convocare concilia, non propter hoc est major sua potestas quàm conciliorum. Unde *glossa decreti in c. Anastasius dist.* 19. dicit: *Quod ubi de fide agitur, tenetur papa convocare concilium Episcoporum; & tunc sancta synodus major est Papa.* Quod patuit in quatuor conciliis, quæ fecerunt Apostoli, quæ Petrus convocabat; & tamen non erat ipse major, quàm concilia. Sicut si Rex convocat Regnum, scilicet majores & principales regni sui, & tamen non habet ipse majorem potestatem, quàm totum Regnum. Etiam civitatis alicujus præco clamat & convocat viros de ista civitate ad consilium, non tamen propter hoc est ipse major consilio, vel in ipso consilio.

Et

Et licet Papa convocet concilia, quod non propter hoc habeat majorem potestatem quàm concilia, verificatur primò per *primum concilium Apostolorum*, ut scribitur *Actor. I.* de electione Matthiæ. Quia solus Petrus præsidens inter eos convocavit concilium credentium, & dirigens verba sua ad fratres suos coapostolos dixit: *Viri fratres* &c. Et tunc Apostoli statuerunt duos, & cecidit sors super Matthiam, & connumerarunt eum cum aliis XI. Apostolis. Ecce, quod per decretum hujus sacri concilii ostenditur, quod Petrus convocavit concilium, & tamen ipse non definivit, sed Apostoli simul cum eo. Et hoc concilium fuit tentum Hierosolymis post Ascensionem Christi in cœlum, & ante missionem Spiritus sancti. *Secundum Concilium* fuit Hierosolymis post missionem Spiritus sancti convocatum per Petrum, & tentum per eum & Apostolos. In quo statuerunt tria decreta, primum de baptismo, secundum de pœnitentia, tertium de vita communi inter eos tenenda, ut scribitur *Actor. II.* Quia, cùm Apostoli loqverentur lingvis variis, prædicabant crucifixum Christum surrexisse à mortuis, & baptismum ac pœnitentiam, in tantum, quod conversi sunt quasi tria millia ad prædicationem Petri: Et multi de conversis ex gentilibus vendebant possessiones, & ponebant pretia ad Apostolorum pedes: Et tunc Apostoli statuerunt omnia esse communia inter eos. Ecce, quod, dato, quod Petrus prædicasset & concilium convocasset, tamen Apostoli & alii fideles statuerunt illa tria decreta, & non solus Petrus. Per quod videtur, quod major fuit potestas concilii, quàm ipsius Petri. *Tertium concilium* fuit etiam in Hierosolymis, *Actor. VI.* Quia cùm esset contentio & murmur inter Hebræos & Græcos super officio ministrandæ mensæ, Petrus convocabat multitudinem discipulorum, & tunc Apostoli cum discipulis elegerunt septem, quorum unus fuit Sanctus Stephanus, ad ministrandum mensis, & fecerunt duo decreta, unum, quod Apostoli, qui erant Episcopi, insisterent prædicationi verbi divini, & nullo modo istis negotiis secularibus. Secundum fuit, quod inferiores Apostolis & Episcopis instituerentur, qui negotiis secularibus & actibus servilibus insisterent & vacarent. Ecce videtur, quod licet Petrus convocasset, non tamen ipse solus aliquid in concilio definivit, nec majorem, quàm concilium ibidem potestatem habuit. *Quartum concilium* fuit etiam tentum Hierosolymis, super observatione Legalium, de quo scribitur *Actor. VI. & XV.* Quia, licet Petrus convocasset credentes in magna multitudine, & audito Petro per modum opinionis in ipso concilio, tamen Jacobus minor, qui erat ibidem ordinarius, per modum determinationis de mandato credentium fidelium dixit: *Ego judico* &c. Et super hoc decreto legalium fuerunt literæ missæ à toto concilio, & non à Petro tantùm, diversis provinciis sub hac forma: *Apostoli & seniores fratres his, qui sunt Antiochiæ* &c. Ecce concluditur, quod licet Petrus concilium convocaverit, non tamen in concilio præfuit, nec majorem potestatem, quàm concilium, habuit, quia de mandato concilii Jacobus determinavit, & non Papa, Petrus. Ergò minorem potestatem, quàm concilium, videtur quod habuit.

Etiam *dicunt* isti de ista tertia opinione, quod *tempore Constantini Imperatoris* regnantis anno Domini CCC XX vel quasi, *sub Papa Sylvestro* ipse voluit concilium celebrari, postquam baptismum suscepit. In qua synodo fuerunt CCXXIV. Episcopi, prout recitatur in libro conciliorum; qui cum Papa fidem reformaverunt, & Ecclesias ædificari ordinaverunt, & multa bona alia peregerunt. *Aliud concilium* fuit tentum in *Nicea*, in quo fuerunt CCCXVIII Episcopi, & fuit condemnata per eos, & non per solum Papam, hæresis Arrii, ut notatur in *c. canones, XV. dist.* Et alia septem concilia fuerunt tenta satis proximè. Et ita fuerunt *octo*, de quibus loquitur textus, XVI. *dist. in c. Sancta.* Et dicuntur VIII, quia *octo vicibus* tenta. Aliquando dicuntur *quatuor*, quia *in locis quatuor* tenta, ut ibi ponit *glossa.* Et post ista octo fuerunt *alia octo concilia* tenta, de quibus loquitur *decretum 16. dist. c. Sexta*, in quibus

Episcopi præfuerunt, & alii quamplures Christiani, Presbyteri & Diaconi & Clerici Romani, nominati sub multis titulis, quos hodiè tenent Domini Cardinales. Et in eis non Romani Pontifices solùm definiebant, sed Episcopi, Presbyteri, Diaconi & Prælati alii statuebant & determinabant, docebant, & respondebant fidelibus Christianis, narrantes laudes Domini, & virtutes sanctæ Ecclesiæ corroborantes, & nitentes in sacris conciliis, sicut nisi fuerant Apostoli eorum patres & Ecclesiæ sanctæ Doctores. Quia eorum actio nostra est instructio. Quia juxta dictum *I. Petri I.* non poterant in ipsis conciliis, quæ reguntur à Spiritu sancto, aliud loqui vel dicere, nisi quod Spiritus sanctus dabat eloqui illis: Quia Spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines. Et ubi duo vel tres sunt in nomine Christi Jesu congregati, ibi est Christus Jesus in medio ipsorum.

Et sic isti pro corroboratione & fundamento omnium conciliorum generalium *dicunt*, quod quia pares & æquales fuerunt Apostoli, quantum ad potestatem clavium, ut ponitur *Matth.* 16. & 18. & corroboratur *dist.* 21. *c. In novo testamento*: Ideò potestas omnium Apostolorum, quorum loco succedunt Episcopi, & omnium fidelium Christianorum, conjunctim & in communi major est potestas, quàm ipsius Papæ. Quia est unus homo. Quia virtus unita fortior est seipsâ divisâ, ut dictum est. Et ideò Johannes in revelatione divinâ sibi facta, muros civitatis ecclesiæ militantis non in uno dixit apostolo consistere, sed in omnibus, dicens ad literam: *Et murus*, inquit, *civitatis habens fundamenta XII, & in ipsis nomina duodecim Apostolorum & agni.* Ergò ecclesia fundata fuit principaliter in ipso vero capite Ecclesiæ, quod caput est ipse agnus Jesus Christus, qui tollit peccata mundi. Fuit etiam ipsa Ecclesia fundata in membris corporis ecclesiæ, videlicet duodecim apostolis, & ipsorum successoribus & fidelibus Christianis in concilio generali congregatis, quibus Christus dixit: Ecce, ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi, *Matth. ult.* Quod necessariò est intelligendum de successoribus & communione fidelium Christianorum, & non præcisè de illis duodecim Apostolis, qui, jam per mille annos defuncti, sancta Trinitate in ecclesia triumphante beatificè perfruuntur.

Affirmant ergò isti de ista opinione illud, quod dictum est, quod *quando Petrus claves accepit*, has potius *tota Ecclesia* suppositaliter *accepit in ipso Petro*, sive per ipsum Petrum, & ipse Petrus claves accepit in typo, mysticè & ministerialiter ab ipsa Ecclesia universali. Claves enim, quas Ecclesia non poterat per omnes exercere universaliter, voluit quod exequerentur per Petrum & ejus successores particulariter. Et ista est mens *Hieronymi & Augustini*, ut isti dicunt, & superius scripsi, 24. *q.* 1. *c. Quodcunq.* & *c. Omnibus.*

Et *Alexander Papa II* hujus nominis Petri successor recognoscit, Petrum claves nedum pro se sed & pro omnibus aliis suscepisse, ut ponitur 24. *q.* 1. *c. Audivimus.*

Ergò *dicunt* isti, quod non est major potestas in Ecclesia, quàm conciliorum, in omnibus, nullo casu excepto, auctoritativè & executivè, quando per se uti voluerit: Et quod Concilium nullum habet nisi Deum superiorem, quia ejus potestas est à Deo immediatè: Et post concilia est potestas Papalis, ut Concilii executor & minister Christi, quæ derivatur à Conciliis, ut dictum est. Et post Papalem potestatem est potestas Episcopalis, quæ derivatur à Conciliis & à Pontificibus Romanis, quod denotavit Apostolus, cùm dixit: *Alios dedit Deus in Ecclesia Apostolos, alios Pastores, alios Doctores &c. in consummationem ministerii & in ædificationem corporis Christi.*

Ex superius dictis concludunt ergò isti, quod sacra *concilia generalia*, quæ repræsentant *universalem Ecclesiam*, habent *potestatem corrigendi, reformandi errores & vitia Papæ & cujuscunque Prælati & Christiani, execrandi, interdicendi, suspendendi, puniendi & privandi.* Non enim punitur Papa Christi Vicarius *bonus*, quoniam ista sancta sedes aut claros ad hæc fastigia erigit, aut, qui eriguntur, illustrat, *dist.* 40. *Non nos.* Sed punitur

&c.

& reformatur malus Papa, ſcandalizans univerſalem Eccleſiam ſuis malis exemplis & operationibus. Quia ita clamant jura per totum 23. q. 51. Sic enim ait Auguſtinus ibidem: *Diligantur homines, ut non diligantur eorum errores. Non judicatur ergo Papa, nec reformatur ſua curia per concilia generalia, in quantum papa aut Papalis Curia*, ſi juſtè vivat, ſi rectè judicet, ſi ſimoniam abhorreat, ſi dona & munera fugiat, ſi beneficia eccleſiaſtica ſecundum ſanctorum Patrum antiquorum ſtatuta juſtè diſtribuat, ſi opera miſericordiæ in pauperes exerceat, ſi ſuis ſtipendiis & reditibus contentus exiſtat. Sed reformatur & judicatur Papæ malitia, cupiditas & ſimonia, Eccleſiarum & monaſteriorum diſpenſatio injuſtiſſima, perſonarum acceptio, & cùm ejus Romana Curia ſcandalizat univerſalem eccleſiam per mala opera & exempla.

Et ideo *dicunt* iſti de iſta tertia opinione, attentô, ut dictum & probatum eſt, quod poteſtas cujuslibet generalis concilii eſt major, quam poteſtas Pontificis Romani & Vicarii Jeſu Chriſti, in auctoritate, in jurisdictione, & in executione: Et quod ipſe Papa cum ſua Romana Curia poſſit citari, accuſari & condemnari à concilio generali: Quod ideo in ſtatutis & decretis ſacri concilii cujuscunque Papa non poteſt ea interpretari, aut mutare, tollere, vel annullare, nec cum eis diſpenſare, aut ipſa revocare, ſeu in aliquo gloſſare, exponere, vel determinare, niſi hoc ſibi eſſet conceſſum per generale concilium, vel niſi eſſet inevitabilis neceſſitas fidei, vel evidens communis utilitas provinciæ alicujus vel Regni.

Addunt etiam, ex quo in terris & in militante Eccleſia non eſt major poteſtas, quam illa, quam habet univerſalis eccleſia, quod *ſemper in principio conciliorum in prima ſeſſione debent publicari* hæc *duo decreta concilii generalis Baſilienſis*, quod nunc celebratur M CCCC XXXIV. anno Jeſu Chriſti ſuperius dictô, cum hoc, quod in eis addatur hæc clauſula, ſcilicet: *Poteſtas concilii eſt major quam poteſtas Papæ, in auctoritate, in jurisdictione, & in executione.* Et quod Papa *quicunq; non poteſt in ſtatutis & decretis conciliorum diſpenſare, nec gloſſare, nec diſponere*, niſi ut dictum eſt. Et quia ſi uſtra fiunt Leges, niſi ſint qui tueantur eas, ideo ſi papa ſcienter vel ignoranter cum aliquo decreto concilii diſpenſaverit, aut contra venerit, ipſo facto ſit excomunicatus & inhabilis ad quæcunq; beneficia obtenta & obtinenda, & privatus jure, ſi quod habet in ſuis beneficiis.

Et hoc ſufficit dicere de iſta *prima interrogatione mihi* pauperi *Doctori* facta, *de poteſtate Papæ & eccleſiæ.* Et proteſtor quod aliquas ex illis opinionibus non aſſero, nec teneo, niſi illas, quas tenuerit univerſalis eccleſia & Dominus noſter Papa.

PARS II.

De Officio Concilii quoad reformationem Eccleſiaſtici regiminis.

S*Ecunda pars* hujus *tractatus* inquirit *Quid ſit Concilium?* Unde ſæpius per multos interrogabar, quid ſit concilium? Et ego ſimplex pauper dixi, quòd mihi videbatur, quod *concilium eſt ſocietas multorum fidelium, in unum propoſitum & propter unam communem intentionem congregatorum.*

Patet iſta definitio auctoritate & exemplo. *Auctoritate* quidem patet iſtius ſanctiſſimi noſtri *Iſidori Hiſpani*, qui, ut allegatur in *decretis*, dixit *VII. libro Etymologic.*: *Synodus ex Græco interpretatur comitatus vel cœtus: Concilii vero nomen tractum eſt ex more Romano. Tempore enim, quo cauſa agebatur, conveniebant omnes in unum, communiq; intentione tractabant. Unde Concilium à communi intentione tractatuum dictum eſt, quaſi* concilium vel conſidium, *d. mutato in l. Vel concilium dictum eſt ex communi intentione, eo, quod in unum dirigant omnem mentis intuitum.* Et ſequitur per ſanctiſſimum Iſidorum Hiſpanum: *Sicut omnis oculus conſervatur in lumine per ſupercilia, & præſervatur à quacunq; corruptione, ſic ſacra generalia*

ralia concilia conservant Dei Ecclesiam & Christianitatem in lege Evangelica, in vita sancta, in veritate, in sanctitate, in justitia, & præservant universalem Ecclesiam & Christicolas, ac viros ecclesiasticos ejusdem, à quascunq; hæresi, schismate, guerra, discordia, simonia, malitia, tribulatione & angustia.

Quis enim secundum Apostolum nobis fidelibus Christianis nocere poterit, si boni æmulatores Legis Evangelicæ, si boni zelatores fidei Christianæ fuerimus, præsertim cum *frequentando generalia concilia Ecclesiam Dei in capite & in membris reformamus, arguendo simoniam, beneficiorum ambitionem & venditionem, pluralitatem, adulterium, concubinatum & fornicationem, pompam clericorum, tyranniam Prælatorum, & pessimam beneficiorum dispensationem, & quæcunq; alia publica vitia & perversam consuetudinem*, obsecrando virtuosos, mites & mansuetos, Clericos & Prælatos, ut per bona exempla suas oves eis subjectas dirigant, & beneficia ac Ecclesias eis collatas reforment in temporalibus & spiritualibus, & in eis personaliter resideant, increpando etiam, & cum pœnis & censuris ecclesiasticis corrigendo & reformando contemnentes & inobedientes, rebelles, litigiosos & contradicentes, sine acceptione personarum in omni patientia & doctrina & correctione fraterna. Tunc secundum prophetam salvabitur universalis Ecclesia, & habitabunt confidenter, & non turbabitur navis, in *qua* erit Petrus, 24. *q.* 1. *Non turbatur.* Tunc vigebit & affluet sacrum concilium, id est universalis ecclesia, tunc convertetur ad eam multitudo maris, & multitudo gentium serviet sibi, & omnes Reges terræ servient ei. Quia secundum apostolum diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum &c.

Probatur etiam definitio superius scripta *exemplo patrum* nostrorum prædecessorum, qui nos Legem Christi docuerunt & notam fecerunt nobis suis filiis, ut cognoscat altera generatio. Qui sancti *Apostoli* & *Patres* sacratissimi narrantes laudes Domini & virtutes ejus, quando audiebant, vel sentiebant, in Dei ecclesia vel esse aut fore schismata, aut hæreses, errores, defectus, vitia, vel peccata, occulta vel publica, vel quæcunque scandala, & guerras seu malitias in populo Christiano, statim convocabant, vel convocari faciebant generalia concilia, in quibus reformabant, quicquid perierat per peccata vel vitia, quicquid à fide Christi Jesu, vel ab ejus moribus seu virtutibus vel regulis legis divinæ vel Evangelicæ, aut Apostolicæ, aut sanctorum Patrum institutione decreverat; & Ecclesiam Dei Apostolicam per bonas reformationes in sanctitate & justitia fundabant, & pacificabant, & ad virtuosum modum vivendi perducebant: Dantes nobis exempla; ut unâ sanctâ intentione, uno corde, unâ voluntate, uno proposito conveniamus in unum ad sacrum generale concilium. Quia ubi duo vel tres &c. in nomine Jesu, id est Salvatoris, ibi est ipse in medio eorum. Et ideò dixit Propheta: *Sperate in eo omnis congregatio populi, effundite coram illo corda vestra, quia Deus adjutor noster in æternum.*

Quando enim, *postpositis propriis utilitatibus*, charitate Dei Jesu conjuncti & congregati in concilio sumus, quando *communia propriis*, & non propria communibus *anteponimus*, quando omnes nostras intentiones in finem ultimum, qui est Christus Jesus, sponsus Ecclesiæ universalis, dirigimus, quando nostra propria relinquimus & renuimus, & communi *utilitati* totius Ecclesiæ *per sanctas & justas reformationes providemus*, & tranquillitatem totius universalis Ecclesiæ ad ipsius exaltationem & reformationem adhibemus, tunc est bonum & jucundum habitare fratres in unum. Tunc, secundum Gregorium super isto verbo: *Terribilis ut castrorum acies ordinata*: Acies Concilii universalis cunctis ejus hostibus, tyrannis & infidelibus perversis, erit terribilis, quando ita constipata & condensata fuerit, ut in nullo interrupta videatur. Et ideo contra malignos viros, generalibus conciliis contrarios, existẽtes in sacris conciliis, acies sanctarum reformationum semper parant, per charitatem uniti, & nunquam per discordiam interrupti.

Quia

Quia si omnia bona omnesque reformationes sanctæ fiant in sacris conciliis cum discordia, briga, dissensione, lite, tunc locus aperitur in acie: Ut ad sacrum concilium secandum, & scandalizandum totam universalem ecclesiam, & ipsum concilium dissolvendum & annullandum, hostis valeat intrare.

Attendendum enim est, quod supercilia oculorum sunt concilia. Sicut enim supercilia oculos à nocumentis defendunt, sic concilia oculos Ecclesiasticos, qui sunt Papæ, Cardinales, Patriarchæ, Prælati, Archiepiscopi, & Episcopi, Curati & Rectores, Presbyteri ac Clerici, defendunt à Principibus & Dominis secularibus ac tyrannis, defendunt à quibuscunque vitiis & peccatis. Quia nulla nocebit adversitas, si nulla dominetur iniquitas. Et ideò super omnia dicit apostolus: *charitatem in conciliis, & amorem inter vos habete*, quæ est vinculum perfectionis. *Et pax Dei, quæ exuperat omnem sensum, custodiat corda vestra & intelligentias vestras.* Quia si regnū eccl. in conciliis divisum fuerit, desolabitur.

Unde qui sibimet in conciliis dissentiunt, vel concilia ad suas proprias utilitates referunt, & non quæ Jesu Christi, nec illa, quæ ad utilitatem & reformationem universalis Ecclesiæ & omnium nationum, quærunt, sed solùm propter utilitates proprias & suarum nationum in eo contendunt, honores ambiunt, & super hoc discordias & brigas inter nationes seminant: Tales non agunt concilium, & sunt contra definitionem concilii superius dictam: Quia non consentiunt in unum. Quia conventus & concilium & cœtus, associatio multorum in unum convenientium appellatur. Et tales sunt *expellendi à conciliis.* Quia melius est, quod pro multorum salvatione unus condemnetur, quàm quod per unius exemplum multi periclitentur. Patres enim nostri antiqui, celebrantes concilia generalia, ad pacem reduxerunt hæreses & errores in fide catholica, & schismata in sacris conciliis aboleverunt, ecclesiam apostolicam *in moribus antiquis & actibus virtuosis reformaverunt*, deponentes veterem hominem, & perversam ac antiquam consvetudinem, imò verius *abusionem Romanæ Curiæ & cujuslibet Prælati* seu Rectoris Ecclesiæ, induentes apostolicam Ecclesiam novâ veste istius sanctissimi Jesu capitis & sponsi ecclesiæ, qui secundum Deum creatus est in justitia & veritatis sanctitate, dantes nobis regulam & formam benè vivendi & vitia ac peccata relinquendi, & sanctam Ecclesiam defensandi & regendi, ac fidem catholicam exaltandi: Si Concilia celebramus: Si in eis uniti & non divisi fuerimus: Si *unum propositum & unam intentionem ad reformandum perversa* & exorbitantia à jure in Dei Ecclesia, & ad fidem Christi exaltandam habuerimus: Si in conciliis generalibus constitutiones, ordinationes, regulas, statuta & decreta, ablatis quibuscunque perversis moribus & consvetudinibus, ordinaverimus, & secundum sanctorum Patrum decreta & Jus commune, *Decretorum*, ac quinque duntaxat librorum *Decretalium*, cum censuris, pœnis & executionibus in quibuslibet provinciis sanxerimus & disposuerimus: Si cum ipsis synodi generalis institutionibus & statutis, ac ordinationibus nullatenus dispensaverimus vel dispensari permisemus, nisi, ut dictum est, in casu necessitatis & evidentis utilitatis universalis Ecclesiæ: Si nos ipsos particulariter & universaliter juxta statuta sacrorum conciliorum generalium, *Constantiensis & Basileensis*, etiamsi aliquis ex nobis prærogativa conditione Papali seu Cardinalatus existat dignitate sublimatus, humiliter ipsis statutis & decretis sacri concilii obediverimus, & nos in potestate, qua sit ipsum concilium, judicaverimus fore & fuisse, & *ecclesiam Romanam seu Apostolicam, tam in capite, quàm in membris, ut juravimus in sacro concilio Constantiensi, reformaverimus*, & ut *promisimus observare, hoc juramentum* usque ad finem mundi tenuerimus, per nos & nostros successores, quantumcunque ipsa Ecclesia indiguerit reformatione tàm in membris quàm in capite.

Aliàs *si generalia concilia non celebraverimus*, si in eis in uno proposito & in una intentione non convenerimus, si divisi & discordes in eis extiterimus, si juxta

ordinationem sacri generalis concilii Constantiensis & perpetuam institutionem, quæ incipit: *Frequens generalium conciliorum celebratio* &c. concilia generalia non continuaverimus, nec *Ecclesiam Apostolicam in membris & in capite reformaverimus*: Certè *Domina Simonia* fortius & fortius *regnabit* continue *in curiis Prælatorum* Ecclesiæ, & *quantum crescet pecunia, tantum crescet amor pecuniæ*, & ejus concupiscentia, quæ radix est omnium malorum, in Dei Ecclesia vigebit. Pompa continue promovebitur in Romana Curia. Virtus & scientia erunt cassa, nulla, ac non appretiata. Ignis luxuriæ exardescet. Ecclesiæ dilapidabuntur. Religiones dissolventur. Clerus contemnetur. Fides Romana deridebitur. Obedientia Ecclesiæ negligetur. Excommunicatio & censura ecclesiastica non curabuntur. Cultus divinus dirimetur. Hæreses crescent in populo Christiano. Schismata insurgent. Infideles terras Christianorum capient, & Ecclesia Dei infidelitate subjicietur. Guerræ, fames, gladius ac pestesin populo Christiano dominabuntur.

Et jam, ut æstimo, dies mali, & *securis ad radicem arboris posita est* pro *tollendo omnia bona temporalia*, reditus & proventus Ecclesiæ Apostolicæ, *nisi de remedio & reformatione ejus cito succurratur* per concilium generale Basileense. Ergo compleamus, Patres ecclesiæ & Christiani fideles definitionem generalis concilii, & conveniamus in unum, in uno proposito, in una voce, & voluntate, ad ipsum sacrum concilium generale, *pro reformatione ecclesiæ*.

Et hæc sunt dicta de isto articulo, sub correctione.

PARS III.

De necessitate frequentium Conciliorum Generalium pro emendando Ecclesiastico statu.

TErtia pars hujus *tractatus* respondet ad quoddam interrogatorium, mihi pauperi veritatis fidei Catholicæ & legis Evangelicæ & *reformationis & emendationis Apostolicæ Ecclesiæ Zelatori, & Prædicatori Hispano*, factum, per illos Ecclesiasticos, qui *quærunt quæ sua sunt*, qui non nisi *pecunias, divitias, honores & pompas* ab Ecclesia Romana habere & recipere diligunt. Et dicebant & quærebant: *Ad quod sunt ista concilia necessaria in Dei ecclesia, & celebratio & convocatio ipsorum tam frequens & tam continuata?*

Cui interrogationi minus dignæ respondendo verbum illud in Evangelio, dico: Quod si forsan Ecclesia Romana Apostolica, ut verbis, præceptis & scripturis, signis & apparatibus ac ornamentis ostendit, & loquitur, quæ sunt signa virtutis & spiritualis mentis divinæque voluntatis & bonæ sanctæ vitæ & operationis, sic se regeret, tunc, ut æstimo, non essent generalia concilia necessaria. Unde Christus dicebat: *Non omnis, qui dicit mihi: Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum, sed qui fecerit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est.* Et alibi dixit: *Qui fecerit voluntatem patris mei qui in cœlis est, ipse meus frater, soror & mater est.*

Non enim propter hoc, quod *magnas* & *caudatas* habemus *cappas*, non propter hoc, quod *baculos Pastorales* in manibus, & *mitras* habemus in capitibus, & *sacris* induimur *vestibus*, ac *indulgentias* & peccatorum absolutiones aliis & non nobis damus, sumus sancti: Sed si voluntatem facimus Jesu Christi, sumus ejus fratres vel Prælati vel Episcopi, ac clerici, justissimi, boni & rectissimi: Sed ex eo duntaxat, quod quærimus & studemus *bene vivere*, & nobis subditis exempla per *lumen bonorum operum* præbere, à peccatis declinare, & bona nobis & proximis nostris facere, de peccatis pœnitere, *nos ipsos reformare*, Jesu Christi Dni nostri voluntatem & actionem ac exempla sequi, facere & quærere.

Sed quia tales non sumus, nec voluntatem Domini facimus, *nec bene vivimus*, nec de peccatis nostris pœnitentiam facimus, nec ad Deum in toto corde convertimur; *ideo* sunt *necessaria concilia*

cilia generalia, in quibus, si salvi esse cupimus, si voluntatem Dei Jesu facere volumus, inveniemus opera voluntatis divinæ, regulas Legis Evangelicæ, normas, statuta & regulas officiorum nostrorum, & totius vitæ nostræ, exstirpationem cujuscunque criminis & culpæ, introductionem cujuscunque virtutis moralis & Theologicæ, protectionem Christianitatis & fidei Catholicæ, extinctionem sectæ hæreticæ & adhæsionis schismaticæ, reconciliationem & pacem totius plebis Christianæ, rectitudinem & æquitatem judicii & justitiæ, reformationem, correctionem & emendationem Ecclesiæ Catholicæ.

Hæc & infinita alia *bona* & sancta *opera* inveniuntur *in sacris generalibus conciliis*, per quæ reputatur tota universalis Ecclesia sancta & immaculata, in qua non est peccatum, nec culpa, nec ruga, nec macula, luce divina perfusa, quæ sanctitatem unius cubiculi, scilicet Jesu Christi, cujus est sponsa, casto pudore custodit, ut ponitur 24. *q.* 1. *cap. Loquitur.*

Vos ergo peccatores, vos *Ecclesiastici*, vos *Pastores*, ut loquar cum Propheta, si quæritis ad Dominum nostrum Jesum Christum converti, si quæritis & cupitis vestras *vitas emendare & corrigere, & in bonis operibus reformari*, quærite, revertimini, & venite, *rogate*, clamate *generalia concilia*, à spiritu sancto & à Christo Jesu regulariter directa & gubernata, in quibus invenietis omnem vestram utilitatem temporalem & spiritualem exquisitam in omnes voluntates Domini Dei Jesu.

Unde ille Prophetarum David eximius, quantum sit populo Christiano & Ecclesiæ Apostolicæ utilis & necessarius conventus & societas concilii generalis sacri, testatur publica confessione, dicens in Psalmo: *confitebor tibi, Domine, in toto corde meo, in concilio justorum & congregatione. Magna opera Domini*, scilicet sunt in ipsa congregatione & concilio, *exquisita omnes voluntates ejus. Fidelia omnia mandata ejus*, scilicet Concilii. *Confirmata in seculum seculi, facta in veritate & æquitate.* Quia, ut ostendetur inferius, quicquid virtutis, quicquid *morum reformationis*, quicquid *vitæ emendationis*, quicquid peccatorum pœnitentiæ, & punitionis, quicquid impiorum justificationis, quicquid malorum & vitiorum destructionis, quicquid bonorum accumulationis & augmentationis, quicquid voluntatis divinæ adimpletionis & congratulationis, quicquid justitiæ, pacis, & veritatis ac sanctificationis, totum reperitur & repertum est temporibus antiquis per Patres nostros, qui annunciarunt per scripturas eorum nobis, *in* ipsis *generalibus conciliis*, seu sacrosanctis synodis universalibus.

Nec hoc sit mirabile in ecclesiis nostris. Quia ipsa concilia generalia sicut universalem repræsentant ecclesiam, quæ catholica ecclesia est Christi sponsa, hortus conclusus, fons signatus, pulchra ut Luna, electa ut Sol, sine ruga, sine macula, terribilis adversariis suis, sicut castrorum acies ordinata, & à spiritu sancto continue illuminatur, 24. *q.* 1. *c. Omnibus his.* Ita & ipsa sacra concilia, quæ repræsentant catholicam Ecclesiam, sunt sine macula ante thronum Dei, pulchra ut Luna, electa ut sol, terribilia, & formidabilia, ut castrorum acies ordinata, adversariis ecclesiæ suæ, scilicet hæreticis, schismaticis, infidelibus, *Turcis*, *Saracenis*, Simoniacis, *Jersicis*, adulteris, sodomitis, fornicatoribus, homicidis, piratis, deprædatoribus, Prælatis perversis, clericis iniquis, exemptis, *religiosis male viventibus*, Dominis secularibus, tyrannis, Regibus & Principibus bona ecclesiastica usurpantibus, & consimilibus. Quia *tales* & consimiles *nunquam vellent videre concilia generalia*: Quia in illis restringuntur multæ eorum exemtiones, & merito; quia à juribus communibus exorbitant.

Et adhuc *Papa* cum suis *Officialibus* & *Cardinalibus* sibi assistentibus in Romana Curia existentibus, majori movetur ratione, quod *nunquam vellet celebrari* seu convocare, aut convocari seu celebrari facere *concilia generalia*. Quia dubitant collationem seu revocationem pensionum & Commendarum, plura-

pluralitatem dignitatum & beneficiorum ac officiorum, usurpationem reservationum Episcopatuum, dignitatum, monasteriorum, & aliorum quorumcunque beneficiorum, absolutionem peccatorum, & excommunicationum, legitimationem bastardorum, & dispensationem in gradibus consanguineorum, & consimilium reservationem, *quæ sunt facta per ecclesiam Romanam & Curiam contra jura scripta & authentica, in libris Decretalium & Decretorum* sanctorum Patrum posita, quod *talia & similia limitentur*, & reducantur ad jura scripta ante tempus Bonifacii Papæ VIII. Et quod collationes beneficiorum, Episcopatuum, dignitatum, ac monasteriorum, & electiones & confirmationes ipsorum devolvantur ad Ordinarios, juxta tempora aliorum Pontificum Romanorum.

Et quia, ut dictum est, vident adversus se statuta generalium conciliorum in prædictis & similibus, ideò *abhorrent generalia concilia*, nec volunt ea esse aut fore in militanti Ecclesia.

Et non solùm sunt ipsa *generalia concilia malis ecclesiasticis* & secularibus *terribilia*; Sed etiam è contrario *bonis*, virtuosis, pacificis, religiosis, & religiosè viventibus, castis, modestis, piis & clementibus, sobriis & prudentibus, literatis, sapientibus, & conscientiosis, ac Deum & præcepta ecclesiæ timentibus, prædicatoribus sacræ scripturæ & studentibus, sanam doctrinam ecclesiæ amplectentibus, non litigiosis, non turpia lucra sectantibus, aut propria commoda, non violentis, non obstinatis in malo, nec duris corde, sed misericordibus, eleemosynariis & hospitalibus, sunt pia, placentia, *amabilia*, svavia, ut loquar cum Propheta: *Judicia Domini vera, justificata in semetipsa, desiderabilia super aurum & lapidem pretiosum multum, & dulciora super mel & favum, & in custodiendis ac promovendis illis retributio multa.* Quia ipsa sacra concilia sunt à spiritu sancto, qui est charitas & dilectio. Et qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo. Et à Spiritu sancto sunt directa & regulata, & in medio ipsorum conciliorum generalium, pacificatione unitorum, est tota sancta Trinitas collocata, dicente Christo: *Ubi duo vel tres* &c. Quia ibi est universalis ecclesia sancta & in charitate perpetua à Deo Jesu dilecta, & ab ipso attracta, & ibidem congregata, quæ est sancta ecclesia catholica, Christi Jesu sponsa, & sanctorum ac Christianorum fidelium communio & congregatio, seu societas sanctissima, cujus solum unicum & indubitatum caput, Christus Jesus, Deus noster, existit, & est secum usque ad consummationem seculi perpetuo, qui nunquam ipsam permisit & permittit errare in fide, seu in dubio fidei aliquo, aut in errore, delicto, vel quocunque peccato. Et quia Jesus Christus resurgens ex mortuis jam non moritur, nec mors illi ultrà dominabitur: Idem Christus Jesus est caput unum perpetuò militantis ecclesiæ, in quo capite sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei absconditi: Quos thesauros absconditos influere non cessat in corpus universalis ecclesiæ, ligando, solvendo, peccata remittendo, indulgentias dando, & eas retinendo. Ex qua universali & sancta Ecclesia diffunduntur etiam illi thesauri, primò ecclesiæ dati, pòst in membra ecclesiæ, & in supposita inferiora ecclesiæ, in Prælatos, in Episcopos singulares, & Presbyteros & Ecclesiasticos, existentes in ecclesia. Quia ipsa sancta universalis ecclesia una origo omnium bonorum & virtutum est una mater fœcunditate copiosa, adulterari non potest, sponsa Christi incorrupta est, pudica est, unam domum novit, unius cubiculi sanctitatem casto pudore custodit. Verba sunt *Cypriani* Papæ, in *c. Loquitur*, 24. *q.* 1.

Si ergò magna opera Domini exquiruntur, & inveniuntur in congregatione sacri generalis concilii, secundum omnes voluntates Dei Jesu Christi: Ergò summoperè tota anima, toto corde, tota sollicitudine sacra generalia concilia, *juxta tenorem institutionis sacri generalis concilii Constantiensis*, quæ *institutio* fuit *jurata*, ac roborata, votata & *promissa per omnes nationes, Reges & Principes*, communitates, Prælatos ecclesiasticos, & Christianitatis totius inferiores, quæ incipit:

pit: *Frequens conciliorum generalium celebratio* &c. sunt toti populo Christiano multum necessaria, utilia & congrua, & debent his temporibus, de anno Domini M CCCC XXXIV. teneri & celebrari: Et quousque exstirpentur hæreses Bohemorum & Wiclefistarum, Waldensium & schismata Græcorum & aliorum infidelium, ac quousque fiat pax universalis inter Reges & Principes, Duces, Comites, communitates & Barones, & præsertim inter Franciæ, Angliæ & Castellæ ac Arragoniæ, & alios Dominos Christianorum populorum; & quousque fiat *reformatio plenissima ecclesiæ Romanæ Apostolicæ tam in capite quam in membris*, & ejusdem *reformationis perfectissima* quousque fiat *executio debita* plenariè, sacra concilia sunt continuanda, nec aliquo casu dissolvenda, etiamsi in eis non remanerent, nisi centum personæ. Imò, ut verbis utar *Tullii* in *de Officiis*, cum artibus, cum facultatibus, cum clamoribus, petitionibus, instantiis, sollicitudinibus, operibus, verbis, expensis, laboribus, per sacra concilia devincire debemus inter homines hominum societatem, concilium, congregationem, in qua pax, veritas, justitia, religio, devotio, *morum reformatio, virtutum acquisitio*, & malorum exstirpatio inveniatur. Quæ *mala, peccata & scandala*, præsertim *in clero ecclesiastico in tantum creverunt*, quod secundum Prophetam jam maledictum mendacium, furtum, adulterium, simonia, proditio, homicidium, & multa alia *vitia inundaverint* super terra, *propter defectum conciliorum generalium & propter defectum correctionis & reformationis ipsorum*. Et quod detestabilius est, propter defectum ipsorum, jam secundum Prophetam, *corruit in plateis veritas, & æquitas* ac justitia non potuit ingredi ad Dominorum magnorum palatia. Et facta est jam veritas & justitia quasi in oblivionem & in derisionem. Et *crescente annona pecunia, crevit jam odium veritatis & justitiæ*.

Etiam ecclesiasticum & spirituale genus nostrum, & regale nostrum sacerdotium & gens sancta nostra, & populus acquisitionis Christi Jesu Dei nostri, *proh dolor cum fletu & gemitibus hæc scribo*, propter defectum generalium conciliorum, *blanditiis, pecuniis, tyrannidibus, avaritiis, cupiditatibus, ambitionibus & guerris* ac litigiis & contentionibus, seculi complacentiis, & Principum secularium rogatibus & consangvineorum affectibus datum est, in tantum, quod secundum psalmum, *factum est regnum ecclesiasticum opprobrium hominum & abjectio plebis. Omnes videntes ipsum derident ipsum, & factum est opprobrium vicinis nostris*, scilicet infidelibus, schismaticis & hæreticis, *subsannatio & illusio his, qui in circuitu nostro sunt*, scilicet Christianis nobis subditis, secularibus, principibus, Dominis Regibus, imò & tyrannis. Qui *seculares subditi* subsannant & *murmurant* de nostris officiis, & *de omnibus statibus ecclesiasticis*, imò dubitant & non curant de nostris præceptis & sententiis, nec de nostris prædicationibus & Missis & sacramentis.

Et quod est magis dolendum, & quod magis est flendum, quod tanta jam *in Clero & populo superabundavit iniquitas*, & secundum Christi Jesu dictum, multorum *refriguit charitas & amor Dei*, ac vitæ bonæ devotio & bonitas in Christi fidelibus; & præsertim *in viris spiritualibus*, quod nemo Christi vicarius est, nemo Prælatus ecclesiasticus est, nemo Princeps secularis est, nullus Dominus est, nullus fidelis Christianus est, nemo ex charis ejus est, ut loquar cum Propheta, qui consoletur hanc viduam matrem nostram Ecclesiam, hanc gentium Dominam. Omnes amici ejus, omnes filii ejus, omnes Christiani hæredes ejus, omnes promoti, omnes honorati, omnes dotati de patrimonio crucifixi, sponsi ejus & de bonis ejus, spernunt & spreverunt eam, deridens & polluerunt eam, occultè & publicè. Quia *à maximo usque ad minimum omnes deserviunt avaritiæ*, secundum Prophetam. *Omnes corruptibiles facti sunt, non est, qui faciat bonum usq; ad unum. Omnes* secundum Bernhardum *mittunt sua retia non in capturam animarum, sed florenorum & pecuniarum*. Omnes diligunt munera & retributiones. Quæ maledicta corruptio & *cupiditas pecuniæ* radix est omnium

m[illegible]ium malorum, simoniarum & criminum ac peccatorum & promotionum injustissimarum, & iniquarum protestationum, & electionum, imò venditionum & emtionum spiritualium beneficiorum, Ordinum, indulgentiarum, & sacramentorum, gverrarum, persecutionum, pomparum, rapinarum, homicidiorum, injusti[illegible]arum, iniquarum sententiarum, pestilentiarum & tribulationum quarumcunque, quæ fiunt temporibus præsentibus, & sunt ac erunt in Dei ecclesia. Quia secundum *Sa[illegible]stium*, ipsa *contagiosa avaritia fidem, probitatem, cunctasque artes bonas subvertit* in illa olim factiosissima longè lateque imperante temporaliter *Republica Romana.* Post quarum virtutum subversionem confestim incepere Senatus populusque Romanus Deos negligere, & *omnia propter avaritiam venalia habere*, & multos inter tales falsos fieri & esse: Aliud clausum in pectore, & aliud in lingva promtum habere: *Amicitias* & inimicitias non ex re, *non ex vita honestate, sed ejus commodo & utilitate æstimare*, magisque, bonum multum, quàm ingenium habere. Cœpitque tunc quisq; rapere, ad se trahere, bonum privatum bono communi præferre. Ita quod propter hujusmodi *rapinam & avaritiam* omnia in duas partes abstracta sunt, & *respublica*, quæ una fuerat, *dilacerata* est, & quæ fuerat domina gentium per tàm longa tempora, subjectioni & derisioni ac opprobrio hominum data est, secundum verba *Francisci Petrarchæ.*

Et clarè ostendit experientia, quæ in *libro sine nomine* dicit, loquens de *Roma*: Cui vi vel sponte totus olim Orbis cessit, nunc proh pudor vulgus hominum insultant.

Sic igitur timendum est, quod fiet *in Dei ecclesia*. In illa olim sanctissima Apostolica ecclesia, in qua *his temporibus de anno Christi M CCCC XXXIV. regnat tanta avaritia, & Domina simonia*, diabolica, & tàm manifesta peccata, ac tàm scandalosa & in consvetudinem tantam directa, quæ nunc sunt in ecclesia Romana & Apostolica, quod, ut dicitur, credendum est & sperandum, quod *subitò veniet ira Dei in filios diffidentiæ*, in filios, quos ecclesia nutrivit suarum divitiarum lacte, & exaltavit per magna promotiones & honores in magna dignitate & potestate. Ipsi autem spreverunt & dereliquerunt eam, & alienati sunt retrorsum. Qui *filii ecclesiæ* [illegible] cum Juda proditore & Christi venditore, & *cum avaro & cupido Simone* intrant & intraverunt navem Christi & naviculam Petri, & eam regere, eam gubernare, eam renovare, & eam ad portum ducere se laudant, & tamen per mala opera eam omni die turbant & fluctuare faciunt, & ad omnimodam desolationem deducunt per modicam fidem, per *nullam reformationem*, & per *paucissimam charitatem* & amorem, per *nimiam dignitatum & beneficiorum ambitionem*, per *pecuniarum & honorum accumulationem*, per spiritualium sacramentorum & ordinum ac indulgentiarum & beneficiorum, absolutionum, *venditionem*, per malæ vitæ & malæ famæ, & multorum scandalorum & malorum publicationem & ostensionem.

Et præsertim *Rectores hujus sanctæ navis*, qui hæc mala faciunt, sunt illi *seniores*, illi Domini, illi *Prælati*, illi nostri *superiores* in Dei ecclesia, à quibus est egressa omnis iniquitas, omne totius Christianitatis scandalum, qui videbantur regere populum Christianum. Per quos, ut patet ad oculum, populus Christianus totus deperditur, & per gverras & discordias ubique confunditur, fides Christi [illegible] reverentia, seu obedientia modica vel nulla ad sanctam universalem ecclesiam habetur, bona spiritualia deperduntur, & temporalia bona ecclesiarum & monasteriorum per tyrannos & Principes, ac communitates & seculares ac nobiles occupantur. Unde Christi fides oblivioni datur, hæretici insurgunt, novæ hæreses crescunt continuè, ac Græci & alii schismatici non curant de obedientia Romanæ ecclesiæ. Et infideles Turci & Saraceni impugnant Christianitatem & obtinent ac suppeditant terras Christianorum omni die. Interim quod propter hujusmodi *avaritiam* & libidinem dominandi ac cupiditatem & *Simoniam* ac *vitam Ecclesiasticorum turpem* & abo-

mi[illegible]

minabilem & *propter carentiam reformationis ecclesiastica in membris & in capite*, & propter *defectum generalium conciliorum* universalis ecclesiæ, à multis & etiã paucis temporib⁹ defecit respubl. Christiana, fides Christi unica, ipsa etiam ecclesia Apostólica, cui secundum Hieronymum, ut ponitur *dist.* 93. *in c. Legimus*, tempore suo obediebant & subjiciebantur Gallia, Hispania, Italia, Alemannia, Britannia, Anglia, Africa, Europa, Asia, Persia, Media, Græcia, Oriens & India, ac omnes barbaræ nationes, & quæ unum Christum adorabant pro tunc, & unam observabant regulam veritatis evangelicæ, & propter quas subjiciendas jugo legis evangelicæ & fidei Christianæ Apostoli, Martyres, Episcopi, Prælati, Presbyteri & sancti Doctores ecclesiæ, tot persecutiones habuerunt, tot prædicationes & miracula fecerunt, tot labores subierunt.

Certè nunc propter *simonias* & *avaritias*, nugatias, & *violentias* ac *rapinas* ecclesiam Dei regentium, propter *perversam & abominabilem vitam Ecclesiasticorum*, própter carentiam sacrorum conciliorum, quia non fuit, qui ecclesiam Dei ad statum primitivum reduceret, ac reformaret fidem sanctissimam Jesu Christi, Dei nostri, negaverunt baptismum, contemserunt obedientiam Romanæ ecclesiæ, subterfugerunt pro majori parte & dixerunt: *si vera esset & sancta fides Christiana, & Lex Evangelica, non sic viverent revera Prælati & ecclesiastici*, ac majores & superiores Domini spirituales regentes & viventes in ea *non taliter populum Christianum confunderent & scandalizarent per mala opera & perversa exempla, quin ille Deus Jesus Christus fundator hujus ecclesiæ & Legis evangelicæ eos sic perversè viventes puniret quotidiè. Si ergò hoc non facit, quomodò ergò scit Deus ista? Et si hæc scientia in excelso? Venite ergò & fruamur bonis, quæ sunt super terram, faciamus nobis leges speciales, dimittamus hanc Legem, quam nobis prædicant hujus Legis prævaricatores.* Et tunc insurrexerunt testes iniqui & pessimi hæretici, & abierunt alius in hanc legem Tartaricam, alius Muhammedicam, alius in legem schismaticam, alius in legem idololatricam, alius in legem Judaicam, & dereliquerunt Dominum Jesum, redemtorem suum, & recesserunt à Deo salutari suo.

Et de istis infidelibus & reversis ad infidelitatis & hæreseos naviculam, qui olim fuerant boni Christiani, & in quorum terris Patriarchales erant & Episcopales ac Archiepiscopales ecclesiæ, monasteria, & capellæ, tanta, ut verbis utar *Augustini in libro de C. D.* orta mala, continuo subsecuta sunt, ut nimiæ strages ederentur illorum, qui in fide Christi perseverabant, sanguis nimius effunderetur ecclesiæ, & monasteria penitus usque ad fundamenta delerentur, ac nostrum Jesum Christum & ejus fidem negare multi Christiani cogerentur.

Ita quod post illam sanctam primitivã ecclesiam, quæ ultra ducentos annos & modicum plus post tempora Constantini & Papæ Sylvestri, etiam tempore Augustini & Hieronymi, & magni Papæ Gregorii, duravit, propter præfata *peccata Cleri & Prælatorum ecclesiæ* pro majori parte fides illa sanctissima Evangelica, ecclesia universalis & catholica, & illa CHRISTI JESU unica sponsa & obedientia Romana, deficit in majori parte mundi, in tota Africa, & in tota Asia, Ægypto & Lybia, Æthiopia & Mauritania. Et nisi ab alto speciali judicio & influentia Deus omnipotens emittat & apponat manum, durabit hæc *Christianitatis perditio* perniciosa & amarissima usque ad diem judicii, quando erit una fides, una Lex, unum baptisma, quando fluent ad ipsum Dominum Jesum omnes gentes & quando adorabunt eum omnes Reges & omnes gentes servient ei.

Sed ante diem judicii, attentis *sceleribus & peccatis &c. negligentiis religiosorum & totius Cleri*, non est verisimile, quod convertetur ad fidem Jesu Christi populus ille infidelis Hagaræus & Saracenicus, Turcus, Barbaricus, Judaicus & paganicus. Quia jam cessaverunt miracula, jam cessaverunt prædicationes & divina verba. Et quod deterius est, jam *cessaverunt* in populo Chri-

Christiano, & quasi in toto Clero, *virtutes*, & religio sacra, & Legis Evangelicæ custodia, & bona *vita*, ac *conscientia* sancta.

Non ergo nobis sit mirandum, si ecclesia ista sanctissima, si fides Christi verissima, si obedientia Romanæ ecclesiæ devotissima, pro qua Christus Jesus sanguinem suum fudit, & quam sui sanguinis pretio comparavit, pro majori parte usque ad diem judicii sit perdita & jam quasi oblivioni data in partibus illis Persiæ, Mediæ, Arabiæ, Africæ, Mauritaniæ, Turciæ, Tartariæ, Mesopotamiæ, Cappodociæ, Phrygiæ, Pamphiliæ, Elamitiæ, Æthiopiæ, Græciæ, Indiæ, Judeæ, Ægypti, Asiæ & terræ sanctæ, & quasi in tribus partibus mundi: In quibus primo quam in Europa fuit prædicatio Christi fructuosa & Lex Evangelica promulgata, & ecclesia Christi exaltata: Et in quibus proh dolor Apostoli, Martyres & Confessores. Virgines, ac sancti omnes, primo fuerunt, & suis exemplis, prædicationibus & miraculis populos præfatos, qui nunc sunt infideles, baptizaverunt, & ad fidem Christi converterunt: Cum multis etiam laboribus, ærumnis, ac vigiliis, fame, siti, & nuditatibus & abstinentiis, verberibus, carceribus, plagis, periculis, tormentis, martyriis & mortibus magnum fructum fidei fecerunt: Et per longa tempora ad ecclesiam Jesu Christi reduxerunt, & ipsam temporaliter dotari & ditari ac exaltari fecerunt: Et in tanto culmine, dominio, reverentia & potestate posuerunt, *usq; ad annum Domini sexcentesimum*, quod nec ipsa respublica Romana, quæ tam longè latèque imperavit, fuit unquam tam exaltata, & honorata. At nunc, propter populi Christiani & *cleri vitia*, scandala & peccata enormia, est jam quasi ipsa ecclesia à prædictis culmine & dominio, potestate & magnificentia alienata & ejecta.

Et quod dolendum magis est, illa fides Christi, illa obedientia Romanæ ecclesiæ, quæ in quibusdam parvulis angulis terræ & orbis, scilicet *in quinque nationibus, Italiæ, Franciæ, Teutoniæ, Hispaniæ* & *Angliæ*, remansit conclusa, adhuc omni die paulatim perdetur. Ejusque obedientia denegatur, bona temporalia ejusdem per Principes & communitates occupantur, clerus contemnitur, & à suis sedibus propriis & beneficiis & privilegiis & libertatibus abjicitur & privatur.

Et timendum est, quod ante diem judicii, & in brevi, *nisi super eam fiat reformatio & reparatio*, desoletur & foras mittatur & ab hominibus conculcetur. Quia penitus ab illis fundamentis Sanctorum & Apostolorum, Martyrum & Confessorum, & Jesu Christi ac Patrum nostrorum & Majorum doctrinis, & regulis conscientiæ aliena, & *omnibus vitiis & turpitudinibus defædata.*

De illa loquor cum protestatione, quæ est Ecclesia Romana seu Apostolica. Et adhuc dicam unum abominabile istius Romanæ ecclesiæ, & de quo multum doleo in toto corde meo, videlicet: Si aliqui in ista ecclesia & in ista S. Petri navicula volunt habere zelum legis Dei, & volunt esse firmi in fide Christi, & navigare in navi S. Petri, suis prædicationibus, suis doctrinis, suis reformationibus, & consiliis suis, meritis propriis, operationibus justis, ac suarum virtutum executionibus & studiis suis, tales à multis Prælatis superioribus & Dominis istius Apostolicæ sedis, istius Ecclesiæ Romanæ, turbantur, suppeditantur, despiciuntur & confundantur, ac non curantur, non promoventur ad remigandum cum suis scientiis, cum suis doctrinis, cum suis operibus bonis, in hac S. Petri nave, sed foras à beneficiis, à promotionibus, à regimine & gubernationibus istius navis sicut mali, sicut ignavi, sicut inscii, sicut stulti, continue per ipsos superioris navis, & seniores, qui videntur regere navem & populum Christianum, expelluntur & abjiciuntur. Quia in hoc mari ecclesiæ est *ventus contrarius* ipsis *bonis*, *literatis*, *conscientiosis*, *devotis*, vanæ gloriæ, pompæ, superbiæ, cupiditatis, avaritiæ & simoniæ, affectionis carnis & sanguinis, nobilitatis, parentelæ, favoris popularis, supplicationis mundialis, & occupationis rei familiaris, peccatorum, homi-

num

num idiotarum, ignarorum, vitiosorum, homicidarum, risiandorum, superborū, cupidorum, simoniacorum, latronum, furum, luxuriosorum, ambitiosorum, gulosorum, mercatorum, tyrannorum, juvenum & malorum: Qui hanc navem Jesu Christi, hanc ecclesiam sponsam Christi, proh dolor temporibus istis de anno Domini MCCCCXXXIV. propter ejus mercimonia, quibus est onerata, propter ejus bona temporalia quibus est dotata, ipsam regunt & gubernant, & patrimonium Crucifixi, ecclesiæ sanctæ sponsi, pro pauperibus & bonis, ac justis, ac viris literatis, honestis & devotis, ab Imperatoribus Regibus, & Christi fidelibus ipsi ecclesiæ datum, concessum & appropriatum, & Dei sanctuarium nituntur hæreditare, & tanquam suum possidere, occupare & invadere, & hæreditatem Crucifixi polluere, & templum sanctum Domini in hac navi sancta positum omnino per eorum opera pessima & merita turpia vastare & delere satagunt continuè. Et via ipsorum impiorum omni die prosperatur secundum Prophetam.

In hac Christi nave temporaliter & bene est omnibus, qui in ipsa prævaricantur & iniquè agunt. Quia secundum *Salustium*, *Omnia virtutis præmia*, omnia ejus navis mercimonia, *omnes ejusdem honores, promotiones & beneficia possidet ambitio & simonia*: Et quod flendum est: Per extortas glossas, per expositiones perversas, per locutiones superbas, *claves* illas sanctas ligandi & solvendi, datas à Christo S. Petro innocenti & immaculato, & attributas innocentiæ, puritati & hæreditati duntaxat, & non datas malitiæ, non simoniæ, non cupiditati, non pompæ, non vanæ gloriæ, & cuicunque alteri culpæ, secundum *verba Decreti in c. Non nos, dist, 40.* Ubi dicitur: Ille, scilicet Petrus, *perennem meritorum dotem cum hæreditate innocentiæ transmisit ad posteros. Et quod illi concessum est propter actuum lucem, ad illos solum pertinet, quos par conversationis splendor illustrat.*

Et nunc prædictas claves per voluntarias expositiones nituntur attribuere propter bona temporalia, quæ habet ecclesia, ipsi nobilitati, audaciæ temeritati, fortitudini, pompositati, juventuti, divitiis, expensis, multorum sequentium societati, & equorum multitudini, ac familiarium & scutiferorum & armigerorum pluralitati.

Et tales hodiè fiunt in Dei ecclesia *Cardinales, Episcopi, Patriarchæ, Prælati*, qui sunt nobiles, audaces, feroces, fortes, pomposi, juvenes, divites, expensis non parcentes, multos equos & magnam familiam habentes. Nullo respectu habito ad viros honestos, conscientiosos, Deum timentes & literatos, ac sapientes. De quibus & similibus jam istis temporibus nulla est memoria in ipsa Romana Curia. Nec appretiatur nec curatur scientia. Sed qui pecuniam possidet, sibi vendicat continuè honores, Romanæ Curiæ promotiones & beneficia.

Contra Evangelium Dei *Matth. XVI.* Ubi dicitur: *Tu es Petrus, & supra hanc* &c. Et, *Tibi dabo claves regni cælorum*, scilicet ligandi rebelles, & solvendi obedientes. Et: *Tibi*, Petro, ædificato super me, *petram*, scilicet *Christum*, per apicem sanctitatis & innocentiæ, per dignitatem & per comparationem virtutum & sanctimoniæ, *dabo claves regni cælorum*; contra quas non prævalebunt inferi portæ, scilicet nequitiæ. Quia non eas dabo tibi Petro ædificato super peccatum, vel diabolum, non dabo eas tibi existenti pertinaciter in mortali peccato, quia tunc portæ inferi sive nequitiæ prævalerent adversus ecclesiam: Quod non est fidei nostræ consentaneum. Quia ipsa ecclesia, in qua est potestas ligandi & solvendi, fundata est super firmam petram, scilicet Christum, qui peccatum non fecit, nec est inventus dolus in ore ejus: Et fundamenta ecclesiæ sunt in montibus sanctis, in Christi Jesu servitoribus, filiis & ministris, in viris Prælatis, & Episcopis, Archiepiscopis, claris & virtuosis: Quia aut claros ad hæc fastigia erigit, aut qui eriguntur, illustrat, *dist. 40. Non nos*, in sapientibus & literatis, in Doctoribus & Magistris. Quia qui ad justitiam erudiunt multos, lucebunt quasi stellæ in

in perpetuas æternitates. Quod luce clarius ostendit *Johannes C. XX*, ubi Christus in tradendo claves ecclesiæ catholicæ & Petro ac Apostolis dixit: *Vos Apostoli* primò *accipite spiritum sanctum*, & postquam eum habueritis, tunc *quorum remiseritis peccata, remittentur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.*

Et per hunc modum exponit *Ambrosius: Quod si spiritum sanctum non habueritis, qualiter per manuum impositionem ipsum aliis dare vultis?* Imponebant enim manum Apostoli super fideles, & accipiebant spiritum sanctum: Quia ipsimet apostoli, quorum loco succedunt Episcopi, habebant Spiritum sanctum.

Pro istarum ergo clavium debita & sancta executione, pro *ecclesiæ sanctæ Dei reformatione tàm in membris quàm in capite*, pro fidei Christianæ extensione & ampliatione, pro ecclesiæ Apostolicæ & Romanæ exaltatione & veneratione, pro hæresium & errorum infidelium exstirpatione, pro schismaticorum & rebellium Christianorum reductione & conversione, pro Regum & Principum ac Dominorum, communitatum, Christianorum pacificatione, pro inimicorum & adversariorum Christianitatis debellatione, pro animarum cunctarum fidelium salvatione, pro vitiorum & abusionum ecclesiæ Apostolicæ extinctione, pro morum & virtutum ac sacrorum canonum antiquorum tuitione & executione, pro peccatorum conversione, pro terræ sanctæ liberatione & crucis Christi contra infideles assumtione, pro bonorum & literatorum virorum ac graduatorum promotione, pro iniquorum & malorum correctione, pro omnium bonorum temporalium & spiritualium in Dei ecclesia acquisitione, dicunt illi de opinione tertia potestatis conciliorum, quod tàm realia, tàm salutifera, tàm opportuna & tàm *necessaria* sunt his temporibus *generalia concilia*, attentis Ecclesiæ casu & ruina, & Christianorum fidelium, secularium & Ecclesiasticorum, perversitate & malitiâ, qualiter non fuerunt tàm necessaria ab origine nascentis & primitivæ ecclesiæ, nec fuerunt tàm utilia in Dei ecclesia aliquo tempore sicut nunc sunt, nec tàm salutifera. Et ideò ex quo sunt tàm necessaria deberent nunc ipsa concilia frequentissimè celebrari & teneri magis, & ex majoribus causis, quàm tunc tenebantur & celebrabantur. Quæ causæ inferius ostendentur patenter.

Responso ergo per istos de tertia opinione, qui dicunt, quod *potestas generalium conciliorum sit major, quàm potestas Papæ*, ad istam interrogationem, quâ quærebar: *Utrum concilia generalia sunt necessaria in ecclesia Dei?* Eapropter ipsi exhortantur omnes fideles Christicolas, ex quo vident, quod per majores Ecclesiæ Apostolicæ contradicitur opinioni ipsorum indirectè. Quia *omne die quasi dispensatur per Dominos Romanæ ecclesiæ, cum statutis in generali factis concilio*, nec servatur aliqua ejus constitutio; & nemo est, qui concilii statuta exequatur & defendat. Et dicunt cum suspiriis & gemitibus patres & fratres Christiani: O discipuli & servi Jesu Christi clamemus in cœlum, pro desideratissimo *generali* Basileensi *Concilio*, *& quocunque fiendo alio, jurato & promisso per totam universalem ecclesiam in synodo generali Constantiensi de anno Domini M CCCC XVI*, & cum magnis laboribus & expensis *Basileæ*, provinciæ Bisuntinæ, per triennium elapsum, *de anno Domini* M CCCC XXXIV. nunc de præsenti celebrato & celebrando: Et miserebitur nostri Deus Jesus Christus, ut *non* permittat transire & *dissolvi* hoc sacrum *Basileense concilium absque reformatione ecclesiæ Apostolicæ in membris & in capite*, Quia si absque reformatione dissolvatur, tunc certè speratur, quod sancta Romana ecclesia & Apostolica, cum ea, quæ erat usque nunc domina gentium, & Princeps provinciarum, spoliabitur suis ornamentis & possessionibus temporalibus, & Clerus & Apostolica ecclesia privabitur suis bonis & privilegiis, ac libertatibus, & erit sub servitute peccati ac tributo census & nummi, & turbabitur, ac nimium fluctuabit Petri navicula, quæ in se Judam & Simonem recepit, qui generalibus conciliis contradicunt, & ea dissolvere satagunt, & ne fiant imposterum, impediunt.

Con-

Contemnantur & revereantur, ac secundum Apostoli sententiam abscindantur a nobis, qui sacra generalia concilia & Petri sanctam naviculam conturbant. Fiat habitatio eorum deserta, & in tabernaculis ac Curiis eorum non sit, qui inhabitet.

Vos ergò requirimus, ad vos loqvimur, ô Pastores, ô viri Ecclesiastici, sanctæ matris ecclesiæ, ditati, honorati & exaltati de bonis ejusdem, qui non sine causa gladium spiritus, quod est verbum Dei, accepistis, in adoptionem filiorum Dei, in quo clamamus Abba pater. Vos enim postulamus & requirimus, ô Domini Principes, ô communitates seculares, ô Duces, ô Barones, ô Reges ô Judices terræ, qui secundum Apostolum non sine causa gladium portatis ad vindicandum injurias Dei Jesu Christi, sponsi universalis ecclesiæ, & ad faciendam vindictam in pravis nationibus, ac increpationes in populis perversis. Accipite omnes insimul secundum præceptum apostoli armaturam Dei, armaturam fidei sanctæ & Legis Evangelicæ, & compellat vos domus Dei zelus, quæ sic tendit in ruinam, & in desolationem. Et hanc armaturam quærite, tenete & conservate instanter, instantius, instantissimè. Quæ armatura Ecclesiæ catholicæ est sacrum generale concilium, quod omnia tela peccati carnis & mundi & diaboli exstingvit penitus & omnimodè. Ad hoc enim obligamini sub pœna mortalis culpæ vos omnes armare temporaliter & spiritualiter, pro salvatione S. Petri naviculæ, ut ad portum salutis perveniat prosperè, & pro reformatione & vitiorum correctione Apostolicæ ecclesiæ tàm in membris quàm in capite: Si diligenter legeritis decretum, per totam *causam XXIII.* ut, unde mali non corrigantur per admonitiones svaves, compellantur intrare in Christi Jesu ovile per tormenta, pœnas & afflictiones, secundum illud Decreti: *Quos timor Dei à malo non revocat, saltem severitas coërceat disciplina.*

Ut ergò habeat executionem hæc correctio malorum, quæ sunt in ecclesia & doctrina, *necessaria* pro nunc sunt ipsa sacratissima *concilia generalia.*

Et hæc sint de tertia interrogatione dicta, cum omni protestatione de revocando, si opus erit, & subjiciendo me correctioni & determinationi sanctæ matris ecclesiæ universalis, Domini nostri Papæ.

PARS IV.

De IV. Conciliis Apostolorum.

Tantam illorum celebrandorum non fuisse necessitatem, quanta sit postremis illis seculis subinde nova generalia celebrandi Concilia.

CAP. I.

De primo Apostolorum Concilio, ejusque occasione & causa, comparata cum urgentiori causa, nova illo tempore celebrandi Concilia generalia.

Qvarta pars hujus *tractatus* respondet etiam ad quandam interrogationem mihi factam, qua quærebatur ab illis, qui modicum vel nihil noverunt de Lege Dei Jesu, & tamen sunt ditati & honorati de patrimonio ejusdem & ecclesiæ: Et dicebatur per eos: *Quanta est ista necessitas conciliorum,* vel *ex quibus causis provenit hæc necessitas in ecclesia Dei ipsarum generalium synodorum.*

Et ego pauper respondi & dixi, quod *necessitas conciliorum generalium* est *maxima* pro salvatione Christianorum fidelium: Et propter *causas arduas* devenit hæc necessitas, ut his temporibus sint generalia concilia.

Has

Has duas propositiones verificavi & & dixi, quod *nunquam* in Dei ecclesia fuerunt *generalia concilia tam necessaria, sicut modo* sunt necessaria: Et imò eorum *necessitas* est *maxima.*

Attentis enim aliis sacris generalibus *conciliis præteritis*, & celebrationis ipsorum *causis*, & attentis causis de tempore præsenti, nunc generalia concilia de necessitate maxima frequentius debent celebrari, teneri, diligi & fortificari.

Probatur propositio per illa *quatuor concilia Apostolorum* superius dicta in tertia responsione.

Et primò de *primo concilio.* Ab origine enim primitivæ & nascentis ecclesiæ, dum Apostoli essent Hierosolymis post ascensionem Christi Jesu in cœlum, & ante missionem Spiritus sancti, intuentes, quod eorum Dominus & Magister duodecim Apostolos elegisset ad prædicandum per mundum universum evangelium omni creaturæ, & quod unus ex eis, scilicet Judas, Dominum ipsorum vendidisset, & prodidisset, & mala morte suspensus crepuisset, & defunctus fuisset, & sic quod ipsi non erant nisi undecim, & deficiebat unus, ad supplendum numerum, quem instituerat Christus, habitò super hoc concilio Apostolorum & discipulorum, de communi consensu convocaverunt concilium omnium in Christo credentium, in Hierusalem existentium, super surrogatione fienda in apostolatum loco Judæ alicujus ex illis, qui ibi erant. Et facta congregatione credentium in concilio, Petrus ut Præsidens inter eos, dirigens verba ad fratres suos coapostolos primò, & post ad assistentes, dixit, ut ponitur *Actor. I. Viri fratres* &c. Proponens, quod oportebat unum ex ipsis ibidem congregatis assumi ad apostolatum loco Judæ. Et tunc hoc dicto, non solus, sed tota multitudo concilii cum eo statuerunt duos, Joseph & Matthiam, in medio congregationis. Et illis orantibus, datâ sorte, instinctu Spiritus sancti cecidit sors super Matthiam, & connumeratus est ab omnibus ibidem existentibus inter XI. Apostolos.

Ex isto *concilio Apostolorum* concluditur necessitas hujus concilii, quæ non fuit, nisi parva tunc, respectu temporis præsentis. Nulla enim causa alia fuit illius concilii, nisi quod numerus apostolorum à Christo institutus compleretur, & proditor Judas ac simoniacus, qui Christum pro triginta argenteis vendidit, post mortem in horrorem tanti peccati condemnaretur.

Sed si bene inspiciamus *tempore præsenti majorem necessitatem & plures causas* arduas habemus, ad convocandum sacra generalia concilia. Quia si tunc fuit necessarium celebrare illud concilium sacrum propter hæc, ut compleretur numerus Apostolorum: Certe *nunc in duplo major est causa* ardua, & *necessitas*, ad continuandum sacrum Basileense concilium & ad tenendum concilia. Quia si illa causa fuit ardua, solum ut compleretur numerus Apostolorum, revera nunc magis ardua est, ut congregetur concilium, ut *compleatur in membris & in capite reformatio ecclesiastica, & per concilia inducantur virtutes* in ecclesiam, *& tollantur & eradicentur abusiones* ecclesiæ ac vitia. Quia Apostoli non juraverunt numerum suum duodecim Apostolorum complere, nec Jesus Christus post recessum Judæ ab illa sanctissima Christi cœna apostolis præcepit, ut loco Judæ aliquem in apostolum surrogarent. Sed in *reformatione Ecclesiæ*, quæ fieri non potest *in membris & in capite*, nisi per generalia concilia, est totum contrarium.

Quia in *concilio sacro Constantiensi*, celebrato anno Domini Jesu MCCCCXVI. fuit *promissa & jurata*, ac *per universum mundum divulgata, cum sigillis de plumbo*, & *literis concilii*, ipsa *sacra reformatio.* Et *fuit hoc juramentum universaliter factum* primo *per omnes Episcopos*. Qui nedum sunt successores Apostolorum, imo in jure vocantur Apostoli, *dist.* 21. *c. In novo*, & *c. Dominus.* Et non solum jura vocant eos vicarios Dei, imo nedum Christi personam gerere sed habere, 33. *q.* 5. *Mulier.* Cum ergo ipsi sint columnæ ecclesiæ sanctæ Dei & Legati Dei & injuria quæ illis fit, illa fit Christo, ut ponitur 2. *q.* 7. *c. Accusatio:* Non decet ergo Apostolos & Christi Vicarios mentiri, & *quod juraverunt, voverunt & promisere.*

miserunt, transgredi. Quia tàm *bona* tam *sancta* est *reformatio ecclesiæ in membris & in capite*, quod non videtur mihi esse possibile in aliud melius opus commutari posse. Quis ergò cum istis Episcopis, qui pertractabant concilia & reformationem ecclesiæ, contra ipsorum juramenta præstita potest dispensare? Certè ego non video.

Secundò fuit *jurata* hæc *reformatio per* serenissimum tunc *Sigismundum Regem Ungariæ & Romanorum*, nunc *Romanorum Imperatorem*, personaliter *in generali concilio Constantiensi existentem*; & per *procuratores* sufficientes quasi omnium *Regum*, omnium *Ducum*, *Principum*, *communitatum*, *Comitum*, *Baronum & civitatum*, *promissa & jurata*.

Tertiò fuit jurata & *promissa* quasi *per totum Clerum*. Et hoc juramentum fuit licitum, & expediens & honestum, & de sancta ac honesta re & virtute.

Ad hoc ergò, quod omnimodè purgetur & compleatur hoc juramentum, necessarium est sacrum tenere concilium, & continuare, quousque *compleatur* hæc *sancta reformatio in membris & in capite*. Maxima ergò necessitas celebrationis conciliorum generalium est, *ut fiat reformatio omnium Christianorum*, secularium & Ecclesiasticorum.

Iterum *secundò*, fuit *convocatum* illud *concilium Apostolorum*, ut tantum *crimen simoniæ*, propter quod Judas Christum vendidit, condemnaretur, & alius sanctus & bonus Apostolus loco ipsius pessimi Judæ surrogaretur. Et si propter hujusmodi causam illud sacrum concilium fuit celebratum; certe nunc *propter consimilem causam* magis arduam debet nunc celebrari. Et est *nunc major necessitas* celebrandi concilia propter hujusmodi peccatum, quàm fuit tunc.

Probatur: Quia tunc Christum Judas vendidit *pro triginta tantum* & non pluribus: Et *Christus* Jesus nunc venditur propter Episcopatus, propter Ecclesias, propter beneficia, non ita modicè pro triginta *denariis*, sed *venditur aliquando pro tribus millibus Ducatis*, aliquando *pro decem millibus*, aliquando *pro mille*, sed nunquam venditur pro tam paucis argenteis.

Item Judas *semel* eum vendidit duntaxat; sed Christus *venditur nunc sæpius* & sæpius, & jam per plures annos.

Item Judas vendidit Christum *de die*, sed *nunc venditur die & nocte*. Quia & tempora & annos, loca, ac notabiles personas, occupavit jam & occupat *vitium simoniæ*.

Quapropter, cum *cupiditas* sit radix omnium malorum secundum Apostolum, quæ est *causa simoniæ* in Dei ecclesia, propter quam simoniam cassantur, revocantur jura & decreta antiqua, & promoventur homicidæ, raptores, idiotæ, usurarii, homines pessimi, & totus status ecclesiasticus pervertitur propter pravitatem hujus vitii, in cujus comparatione omnia alia vitia pro nihilo reputantur, 1. *q.* 1. Ideò tempore præsenti maxima est necessitas continuandi, convocandi & frequentandi sacra concilia, quousque tollatur, sicut hæresis, ab ecclesia hæc pessima *simonia*, & censeantur hæretici, & pœnas contra hæreticos in jure positas incurrant ipso facto, quicunque, etiamsi Papalis aut Imperialis dignitatis existant, commiserint *simoniam*, *tàm in sacramentis*, quàm *in beneficiis* aut in aliquibus spiritualibus, per se vel alios.

Ad tollendum ergò hoc pessimum vitium necessarium est continuare & frequentare sacrum concilium. Et hoc *de primo concilio Apostolorum* dictum sit.

Cap. II.

De secundo Apostolorum Concilio, & occasione illius, comparatâ cum urgenti causa nova celebrandi concilia.

S*Ecundum concilium Apostolorum* fuit Hierosolymis tentum, post missionem Spiritus sancti, per Petrum & alios undecim Apostolos, ut expressè habetur *Actor.* 15.

Et *causa* istius *concilii* fuerunt *tres*. *Una* fuit de baptismo recipiendo, *alia* fuit de pœnitentia suscipienda pro commissis, *tertia* causa fuit de vita comuni inter Apostolos & Christi discipulos tenenda.

Unde *ibidem* habetur, quod, mirantibus cunctis, quod Apostoli linguis omnium nationum loquerentur, facti, ad loquendum & prædicandum fidem Christi, impavidi, & confirmati robore Spiritus sancti, evangelizaverunt illis Jesum, & eum ab ipsis crucifixum & tertia die resurrexisse à mortuis, & prædicaverunt eis pœnitentiam & baptismum accipere in remissionem peccatorum. Et tunc propter ipsorum prædicationem conversi sunt & baptizati illa die circiter tria millia. Quô factô, *in illo concilio* statuerunt Apostoli, omnia inter ipsos & credentes esse communia, & vendebant possessiones, & portabant pecunias ad pedes Apostolorum, quæ dividebantur & distribuebantur, prout cuilibet opus erat. *Hæc ibi.*

Ecce, quod *propter* illas *tres causas* fuit hoc generale concilium per Apostolos & credentes celebratum.

Sed *nunc* propter illas tres causas & plures ab eis dependentes *major* est *necessitas celebrandi generalia concilia* nunc, quam fuerunt tunc.

Quod persuadetur: Quia *tunc* ad recipiendum noviter baptismum, nunquam fuerunt Christiani, nec coluerunt Jesum Christum, ut Deum verum, nec Romanæ Ecclesiæ obediverunt. Sed *nunc concilia debent congregari*, fieri & disponi: Ut Christi fides, quæ tam longè latèque imperat per totum orbem, ut dictum est, & fuit in multis Orbis partibus perdita propter Cleri & populi Christiani peccata, debeat recuperari ad baptismum & obedientiam sanctæ matris ecclesiæ catholicæ. Ipsi infideles, ut sunt Saraceni, Turcæ & pagani, qui olim fuerunt in Christi fide baptizati & boni Christiani, in terris Hierusalem & in Damasco, in Antiochia, & in Cappadocia, in tota Africa, Ægypto, in Babylonia, & in Barbaria, & in aliis diversis mundi partibus debeant reduci, trahi, imò etiam si oporteat, compelli, quatenus sancta mater ecclesia debeat ad suam possessionem, quam olim habuit in prædictis partibus infidelium, restitui & reintegrari.

Nonne etiam est *causa potissima* & necessaria congregandi concilia his temporibus, ut reducantur ad fidem catholicam tot nobiles, tot cives, tot Christiani olim fideles, qui nunc sunt excœcati in tot hæresibus & erroribus & schismatibus, ut sunt *Bohemi*, *Waldenses*, ut sunt *Fratricelli*, de opinione, ac eis adhærentes, ut sunt *Wicleuistæ*, pessimi hæretici, in diversis partibus mundi, contra Ecclesiam Romanam & totum ejus Clerum stimulantes, & diversas opiniones sectantes, & ut sunt *Manichæi* de regno Bosniæ, & nonnulli hypocritæ *Begvardi*. & ut sunt schismatici ipsi, qui sunt *Græci*, inobedientes Romanæ Ecclesiæ; & errores pestilentes sapientes contra ecclesiam, & in fide.

Numquid ergo, ut dictum est, *ad liberandam terram sanctam* & alias terras mundi, in quibus colebatur una fides Jesu Christi, & ad delendum ac exstinguendum diversas hæreses, quæ nunc sunt in populo Christiano & in mundo, & errores diversos & schismata, & ad reducendum infideles & paganos ad baptismum, qui fit in Dei Ecclesia, nunc sunt plus generalia concilia necessaria forsan, quam tunc fuerunt. Quia melius fuisset tunc viam Dei non agnoscere, quam post agnitam retroire, ut testatur Salvator in Evangelio.

Etiam propter secundam causam, scilicet *pro pœnitentia suscipienda de commissis*, nunc sunt magis vel tantum necessaria concilia generalia, quam vel sicut fuerunt tunc.

Probatur: Quia multi ex eis tunc illo tempore excusabantur propter ignorantiam adventus Salvatoris seu Messiæ, dicente Christo: *Si non venissem & locutus eis non fuissem, peccatum non haberent.* Imo Apostolis post Pentecosten aliqui ex eis, qui ad baptismum convolabant, dixerunt, *sed neque, si Spiritus sanctus est, audivimus.* Et quanquam aliquam excusationem de peccato incredulitatis haberent, tamen Apostoli convocabant generale concilium, & prædicarunt eis *reformationem*, quæ nihil aliud est, quam *pœnitentia de præteritis malis in remissionem peccatorum.* Et prima prædicatio verbo & factô, quam Christus fecit, fuit de pœnitentia, dicens: *pœnitentiam agite*,

gite, appropinquavit enim regnum cælorum.

Si ergo illis prædicabatur pœnitentia, qui aliqualiter excusabantur de incredulitatis culpa, & hoc in generali concilio: Multomagis *debet tunc prædicari pœnitentia & reformatio ecclesiastica per sacra universalia concilia* illis fidelibus Christianis, illis Episcopis vel Prælatis, illis viris ecclesiasticis, qui nullam excusationem habent de peccato suo, qui sunt incrassati, impinguati, dilatati, honorati, & ditati, de pecuniis ac bonis Crucifixi, & tamen dereliquerunt Dominum factorem suum, & recesserunt à Jesu Salvatore suo, scienter, ex proposito & ex certa malitia, per *pompas*, per *luxurias*, per *tyrannias*, per *superbias*, per *gulas*, per *negligentias*, & per *infinitas & diversas mortales culpas*: Qui jam non quærunt, quæ Jesu Christi sunt, sed quæ sua sunt, per *fraudes*, per *violentias*, per *minas* & *importunitates*: Et qui in omnibus malis & peccatis sunt commixti & involuti, ut dictum est superius de Romana Curia.

Et non solum istis temporibus viris *ecclesiasticis debet prædicari reformatio pœnitentiæ in membris & in capite*, & argui ac obsecrari & increpari eorum vitia & peccata manifesta & publica, ac scandalosa in Dei ecclesia, per quorum peccata vilipenditur & contemnitur fides Christiana, & scandalizatur universalis ecclesia, & perditur ejus devotio sancta: Quinimo, ad ipsam sanctam pœnitentiam peragendam, *ad* ipsam sanctam *reformationem exequendam & bene vivendum*, ad sacramenta ecclesiæ & bona ejus temporalia & spiritualia justè & debite ministrandum & dispensandum, etiamsi deficeret correctio Apostolica, ut opinor, *compellere debet potestas temporalis* ipsa, quæ non sine causa *gladium portat*, ut ponitur 23. *q.* 5. *c. Principes*, & per totam *Causam*. Major ergo est necessitas nunc generalia concilia celebrare, quam fuit tunc post mortem Jesu Christi.

Tertio dicitur quod istud concilium fuerit congregatum propter hoc, quod *vita communis inter Apostolos* teneretur. Et ita factum est decretum in illo concilio, quod essent illis omnia communia, & distribueretur unicuique quod opus foret.

Et certè *nunc* est major necessitas congregandi concilia, quam tunc fuerit, propter illa.

Probatur: Quia attentis Apostoli verbis, dicentis: *Sic nos existimet homo, ut ministros Christi & dispensatores mysteriorum Dei*, temporibus præsentibus illa *vita communis* inter Apostolos, & quam Apostoli, vicarii Jesu Christi, instituerunt, & nobis reliquerunt, est totaliter *destructa*, & oblivioni pene data, *inter Episcopos & ipsorum capitula* & collegia, inter Clericos & seculares, qui sunt in ecclesia.

Nisi hæc vita communis inveniatur *in monasteriis* aliquorum religiosorum. Notum est enim, quod B. Augustinus factus Presbyter, monasterium Clericorum mox instituit, & cœpit vivere secundum regulam sub sanctis Apostolis constitutam, quibus erant omnia communia. Et nemo dicebat esse aliquid suum proprium. Et sic illo tempore omnes ecclesiæ Cathedrales vivebant in communi. Oportet ergo *ad istam vitam communem reformandam* celebrari generalia concilia secundum sanctorum Patrum decreta, ut ponitur 12. *q.* 1. per totum. Per istam enim vitam communem *dispensabantur bona ecclesiæ* temporalia & spiritualia juste, debitè, dabantur beneficia & dignitates ecclesiasticæ unicuique prout cuique opus erat.

Et quia nunc *dispensatores* ecclesiæ sunt mutati in *dissipatores*, & secundum Bernhardum *pastores* in *tonsores*, & *agni* in *lupos*, & qui deberent esse *Prælati*, facti sunt *Pilati*, diligentes munera, sequentes retributiones, Principes Infideles, socii furum, promoventes & exaltantes peccatores de patrimonio Crucifixi, & abjicientes virtuosos & literatos à beneficiis, & non distribuentes beneficia pro meritis, virtuosis, sed pro favoribus precibus & pecuniis dantes uni quatuor, quinque, incompatibilia, & alteri bene merito nullum dantes beneficium: *Ad reformandum* igitur *tam iniquam & injustam beneficiorum eccl. dispensationem* maxi-

maximè nunc sunt necessaria concilia.

Etiam in illa vita communi tenebatur *hospitalitas*, quia Episcopum oportet esse hospitalem, ut dicit Apostolus. Fiebant multæ *eleemosynæ* pauperibus. Quia aurum habet ecclesia, non ut servet, sed ut pauperibus eroget, ut ponitur *XII. q. 1. c. Aurum.* Dividebantur bona temporalia ecclesiæ in partes quatuor, quarum una erat *Episcopi*, reliqua *clericorum*, tertia *fabricæ ecclesiæ*, quarta erat *pauperum*, *XII. q. 1. c. Quatuor.*

Quæ *eleemosyna & hospitalitates* jam sunt deletæ in ecclesia Dei; & jam nulla fit mentio *de illa quarta pauperum parte.* Ergo ad reformandum tantam charitatem & clementiam ecclesiæ & tantam hospitalitatem & pietatem & eleemosynam, & quod non defraudentur pauperes sua quarta parte; necessaria sunt his temporibus generalia concilia, dicente Apostolo: *Judicium fiet ei sine misericordia, qui non fecerit misericordiam.*

Et hæc sufficiant bene intelligenti de *secundo Apostolorum concilio.*

CAP. III.

De tertio Apostolorum concilio, & majori sequioribus temporibus Concilii necessitate pro iisdem rebus emendandis.

TErtium *concilium*, quod fecerunt apostoli, fuit tentum *Hierosolymis.* Quia cum esset murmur & contentio inter Hebræos & Græcos super ministerio & servitio, ac modo ministrandi & apponendi mensis Apostolorum & discipulorum, ac credentium, quibus erat vita communis, ut dictum est, tunc duodecim apostoli convocantes multitudinem discipulorum ad concilium, ordinaverunt in eo, quod *Apostoli* deberent *insistere* solummodo *orationi & prædicationi verbi Dei*, & de numero discipulorum extra Apostolos elegerunt septem specialiter ad hoc opus & ministerium, scilicet apponere & *ministrare mensis*, quorum unus fuit Protomartyr S. Stephanus, super quos Apostoli imposuerunt manus pro confirmatione Spiritus sancti. Et istud habetur ad literam *Actor. VI.* Et in hoc concilio fuerunt facta *duo decreta*, unum, quod Apostoli, & eorum successores, Episcopi, *dist. XXI. c. In novo*, principaliter & primo deberent insistere prædicationi verbi Dei & orationi, & nullo modo deberent vacare istis temporalibus servitiis, quia non debent propter ista promoveri ad Episcopatus. Secundum decretum fuit, quod auctoritate ipsorum commissi & deputati ad ista fuerunt inferiores eis, qui illis ministrare, deservire & obedire tenerentur. Hæc ibi.

Sed si attendantur istæ *causæ*, propter quas istud concilium fuit celebratum, certè *nunc* majores & *magis arduæ* sunt consimiles causæ, *propter quas sacra generalia concilia debent teneri & celebrari.* Quia *nunc* ex quadam consuetudine, imò verius abusione, *superiores & Pontifices* nostri, non curantes de istis decretis Apostolorum prout jacent, *perverterunt ordinem* ipsorum. Quia inferiores, ignari, pessimi & peccatores promoventur per eos superiores ad Episcopatus, ad dignitates, ad beneficia, qui nec sciunt verbum Dei prædicare, nec curant pro populo eis subjecto orare. Imò multi ex eis nesciunt verbis Latinis loqui, nec quæ dicuntur verbis Latinis, intelligere, dum tamen *possint & sciant bene equitare, multos equos habere, arma ducere, invadere & bellare*, ac negotiis secularibus se implicare, & temporalia ministrare. Tales fiunt Apostoli, Episcopi & Vicarii Jesu Christi, dotati & exaltati de patrimonio crucifixi. Sed è contrario illi, qui sunt eis superiores, qui sunt virtuosi, qui sunt literati, qui sunt Doctores verbi Dei & prædicatores, qui sunt Dominum timentes & viri religiosi, ac conscientiosi, tales promoventur ad ministrandum mensis, ad insistendum servitiis illorum malorum promotorum in ecclesia. Tales religiosi & boni, tales Doctores verbi Dei, fiunt titulares, & nullatenus Episcopi, tales mendicant in opprobrium dignitatis Apostolatus: Quia vere sunt Apostoli, & in vituperium & scandalum patrimonii Jesu Christi crucifixi.

Ut ergo non simus contrarii decreto A-

to Apostolorum concilii hujusmodi, & quod nulli alii *promoveantur ad dignitates Episcopales, Papales, Cardinales & Abbatiales*, nisi sint Magistri & *Doctores verbi Dei, ac sacræ scripturæ & sacrorum canonum*: Ad reformandum talia, & quod secundum regulam Apostolorum in hac Apostolica ecclesia, ubi *beneficia ecclesiastica* sunt Jesu Christi, & propter Jesum Christum Dominum nostrum dotata & exaltata, ipsa *distribuantur* unicuique, sicut cuique opus fuerit, *per* illos duntaxat *Ordinarios & Episcopos, ad quos de jure communi pertinet beneficiorum & dignitatum collatio*, & quod non fiat per Romanam curiam aliqua beneficiorum & dignitatum reservatio, sed devolvatur ad Ordinarios secundum decreta sanctorum canonum, *necessaria* sunt his temporibus generalia concilia, in quibus fiant *reformationes* Apostolorum, scilicet *virorum literatorum & prædicatorum*, ac omnium religionum, & *Universitatum Studiorum*, quæ quasi sunt perditæ & annullatæ, & in quibus ordinentur distributiones & dispensationes officiorum ac beneficiorum Romanæ curiæ & totius Apostolicæ ecclesiæ. Et hoc de *tertio Concilio.*

CAP. IV.

De quarto Apostolorum Concilio, & majori necessitate pro iisdem rebus nova celebrandi Concilia.

Quartum concilium fuit etiam tentum & observatum per Apostolos & credentes *Hierosolymis*, super observatione legalium, ut ponitur *Actor. XV.* Pro qua, cùm Paulus & Barnabas ascenderent Hierosolymam ad Apostolos & Presbyteros existentes Hierosolymis, & causa proposita in medio multitudinis credentium, quia convenerunt in multo & magno numero, judice prius Petro, per modum opinionis: De mandato concilii, Jacobus minor, qui erat ibi Episcopus ordinarius, ut habetur *in c. Porro 66. dist.* per modum determinationis & definitionis totius concilii locutus est, dicens: *Ego judico* &c. Et facta per totum concilium discussione quæstionis, & determinatione concordi super hoc decreto, ordinatæ fuerunt literæ authenticæ & missæ ad diversas provincias sub hac forma: *Apostoli & Seniores fratres his, qui sunt Antiochiæ* &c. ut diffusius ibidem ponitur.

Ex isto concilio ostenditur evidenter, quòd hoc generale concilium fuit convocatum per Apostolos & Presbyteros ac credentes, solummodò *propter refutationem Legalium & ceremonialium Legis antiquæ*, & *propter introductionem legis evangelicæ.*

Et si *nunc* consideramus istam causam, propter quam fuit convocatum illud concilium, multò *plures rationes* reperiemus, quare *nunc debeamus* frequentare concilia generalia, & ipsa fore ecclesiæ catholicæ multum necessaria propter consimiles causas. *Primò* ex causa Legis Evangelicæ, *secundò* ex causa Legis moralis Ethicæ, *tertiò* ex causa Legis canonicæ.

Nam *ex causa legis evangelicæ*, patet: Quia si omnis fidelis Christianus tenetur servare & *vivere secundum legem evangelicam*, multò magis *vir Ecclesiasticus*, qui est Deo immediatè dedicatus, & ex hominibus assumtus, & à peccatoribus segregatus, ut, secundum Apostolum, offerat dona & sacrificia pro peccatis.

Ubi autem *sunt* nunc *Prælati & viri Ecclesiastici, qui per bona exempla vitæ* sunt lux mundi, dicente eis Lege Christi evangelica: *Sic luceat lux vestra coram hominibus &c.*

Ubi nunc sunt *pastores evangelici*, qui juxta mandatum Christi ponant animas suas pro ovibus suis, prædicando contra hæreticos, contra infideles, & dando reditus suarum ecclesiarum in subsidium secularium bellantium pro fide Christi contra infideles? Ubi sunt *viri ecclesiastici*, qui Legem evangelicam observent, dicente evangelio: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto &c.* Vel qui duodecim Christi consilia, cum sint in statu perfectionis, utpote sunt Episcopi, imitentur vel observare conentur? Et sic de similibus.

Ad reformandum ergò legem evangelicam & ejus legalia, multum nunc sunt necessaria concilia.

Ex parte etiam *legis moralis ethicæ* ostenditur, quod nunc plus sint necessaria concilia, quàm fuerunt tunc. Quia *tunc* Christiani fideles vivebant aliqualiter virtuosè, & delectabantur in operibus virtuosis, ut patet de Apostolis & discipulis Christi. *Nunc* verò secundum Prophetam corrupti sunt omnes & abominabiles in studiis suis. Quia *à minimo usque ad maximum omnes deserviunt avaritiæ de viris ecclesiasticis.*

Ut ergò tollatur ista *Clericorum & sacerdotum ac religiosorum mala vita*, necessaria sunt in Dei ecclesia generalia concilia, quibus dixit Propheta: *Quiescite jam perversè agere, discite* per reformationes conciliorum *bene facere.*

Tertiò sunt necessaria concilia generalia ex causa tertia, scilicet *ex causa Legis canonicæ.* Si enim inspiciantur sanctorum Patrum decreta, inveniemus, cum quantis laboribus, cùm quantis expensis & afflictionibus instituerint & ordinaverint in sancta ecclesia canones quàm plurimos, ut dicetur inferius, ad tuendum & tenendum in pace & justitia sanctam matrem ecclesiam. Et hoc fecerunt in pluribus generalibus conciliis, ut patet *dist.* 16. per totum. Ordinaverunt etiam *ad decorem domus Dei & sanctæ ecclesiæ*, & ad regimen & gubernationem ipsius multas constitutiones, multa Decreta, multas Decretales, multas Extravagantes, multa statuta, multas regulas, multa sancta & honesta jura, super ordinationibus Clericorum, super gubernationibus Monachorum & religiosorum, super electionibus episcopatuum ac dignitatum & monasteriorum, super collationibus beneficiorum, super dispensationibus & administrationibus sacramentorum, super pœnitentiis peccatorum, & super pluribus aliis legibus & regulis legalibus. Qui justè, piè, & sanctè viveremus, & omni die. Talia statuta, talia Legalia, sancta & justa, sunt tamen *non obstantiis* bullarum & privilegiorum Romanæ curiæ abrogata, dispensata, annullata, irritata & cassata: Allegando, quod omnia jura positiva sunt in peccatoris Papæ scrinio posita. Et taliter hæc fiunt, quod jam frustra & sine utilitate libri Decretorum & sanctorum canonum ac Decretalium videntur fuisse scripti & publicati pro majori parte. *Ad reformandum* igitur tales *beneficiorum collationes, & religiosorum gubernationes*, & jurium ac decretorum & Legum antiquorum Patrum observationes reales, & institutiones, prout fuerunt temporibus antiquis observatæ per nostros patres, quòd sic eas etiam his temporibus observemus, & emendemus in melius, quæ hactenus ignoranter vel scienter peccavimus, valde nunc sunt necessaria *generalia concilia, in quibus & per quæ* sanctorum patrum *& conciliorum generalium reformentur decretales & decreta* sancta, ablatis *reservationibus* & aliis *injustis constitutionibus positis & scriptis in libro VI. Decretalium, in Clementinis*, & in *Extravagantibus*, ac aliis quibuscunque, contra jura antiqua, & privilegiis & dispensationibus, & reducantur omnia ad observantiam juris, sicut erant ante tempora Bonifacii VIII. in ipsa apostolica ecclesia. Et hæc de istis conciliis quatuor Apostolorum generalibus cum protestatione præfata.

PARS V.

De aliis Conciliis, Orientalibus & Occidentalibus, Comparatis cum recentiorum temporum Conciliis, horumque potiori necessitate.

CAP. I.

De Prima Synodo Nicæna.

Ac pari necessitate conciliorum novorum, pro similibus Ecclesiæ rebus expediendis.

IN hac *quinta parte* hujus tractatus, qui vocatur *Gubernaculum conciliorum*, quærebatur à me paupere: Si hæc nunc *necessitas conciliorum* tanta poterat probari & ostendi per *alia concilia generalia*, præterquam per concilia Apostolorum

lorum? Et ego istis me tentantibus respondi *assertive*, quod si bene considerentur *præterita concilia generalia*, facta *tempore Constantini* Christianissimi *Imperatoris*, & alia concilia facta post dotationem ecclesiæ, & post mortem præfati Imperatoris. Quia ante Constantinum non legimus aliqua concilia generalia fuisse facta in ecclesia, propter magnas persecutiones, quas ecclesia sustinebat post dispersionem Apostolorum usque ad tempora Constantini Imperatoris. Postquam enim Apostoli fuerunt per universum mundum dispersi, & in omnem terram exivit sonus eorum, passi fuerunt multas persecutiones propter Christum crucifixum, quem prædicabant. Alii enim secabantur, alii incarcerabantur, alii verberabantur, alii suspendebantur, alii occisione gladii trucidabantur: Et tanta de eorum prædicationibus inter gentes scandala orta sunt, quod circumibant in melotis, in pellibus caprinis, egentes, augustiati, afflicti, in solitudinibus, errantes in cavernis, & in speluncis terræ. Et *tunc cessarunt concilia.* Quia licet ibant gaudentes à conspectu concilii, quoniam erant digni pro nomine Jesu contumeliam pati; tamen facere concilia in unum, aut concilia adire, seu insimul congregari non permittebantur. Quia, ut dicit *Isidorus* in *decreto 15. dist. canones*: Post tempus Apostolorum usque ad felicia tempora Constantini Imperatoris, furente tyrannica persecutione Imperatorum gentilium, nulla docendarum in fide Christiana plebium, congregandorum Præsulum pro tenendis conciliis, facultas erat. Et sic *propter defectum conciliorum* navicula Christi Jesu Dei nostri fluctuabat, turbabatur & vacillabat, inter procellas tempestatum & fluctus persecutionum, ac inter gentes patiebatur. Iterum quod multi Christiani timore mortis fidem Christi Jesu publice negabant, ac hæreses & incredulitates ubique crescebant, ut Chronica & historias antiquas legenti patet.

Postquam ergo B. *Sylvester* Imperatorem *Constantinum baptizavit*, qui fuit *anno Domini CCCIV.* vel quasi, & idem Imperator totus in amore & exaltatione fidei Christianæ surgeret, & ubique ecclesias & loca sancta erigeret: Videntes hoc *S. Sylvester* & alii sancti patres, ac desiderantes, quod Christianorum ecclesia, quæ erat quasi perdita, recuperaretur & reformaretur, consideraverunt insimul, quod si credentes in fide Catholica congregarentur in generalibus conciliis, quod tunc in eis & per ea ecclesia reformaretur, fides catholica exaltaretur, perfidia hæretica exterminaretur, & omne bonum opus sequeretur: Quia quando virtus est aliqua conciliorum unita, tunc est fortior se ipsa divisa, & potentior ad tollendum scandala & mala de ecclesia, cum est congregata per generalia concilia, & *ad reformandum ipsam in moribus antiquis sanctis & virtuosis*, tunc est fortior & in præceptis divinæ Legis, quam sit potestas alicujus mortalis hominis, Principis vel Regis: Et tunc *ab* eodem justissimo *Imperatore petiverunt*, quod in unum possent in causa fidei & reformationis sanctæ matris ecclesiæ convenire, & generalia concilia convocare & congregare, ac fidem catholicam publicè profiteri & prædicare, hæreses exstirpare, sacra statuta pro gubernatione fidelium & totius cleri condere, & ecclesiam Dei in pace ac in omni virtute & bonitate collocare.

Hujusmodi igitur petitione seu supplicatione facta, idem piissimus *Imperator* libenter supplicationem *admittens*, *dedit* in perpetuum *libertatem* & facultatem quibuscunque Christianis, secularibus & ecclesiasticis, libere congregari pro conciliis tenendis, & pro rebus ecclesiasticis disponendis, ut clarius patet per *nostrum Doctorem Hispanum, S. Isidorum, 15. dist. in decretis*, ubi dicitur: *Canones generalium conciliorum à temporibus Constantini ortum receperunt. In præcedentibus namq; annis persecutione furente docendarum plebium facultas minime dabatur, & propter hoc Christianitas in diversas hæreses scissa est, quia non erat Episcopis licentia conveniendi in unum, nisi tempore supradicti Imperatoris. Ipse enim dedit facultatem Christianis libere congregari.*

Sub

Sub hoc sancti patres de omni orbe terrarum convenientes juxta fidem evangelicam & Apostolicam secundum post Apostolos symbolum tradiderunt. Hæc ibi. Sed in *eadem dist. 15.* dicit *Isidorus* sanctus sic: *Inter autem cetera concilia quatuor sunt venerabiles synodi, quæ totam principalem fidem complectuntur, quasi quatuor Evangelia, vel totidem Paradisi flumina.*

Horum enim prior *Nicaena synodus* CCCXXIV. Episcoporum, *Constantino Augusto imperante* peracta est, in qua Arriana est perfidia condemnata & blasphemata, quam de inæqualitate S. Trinitatis idem Arrius asserebat, & consubstantialem Deo Patri Filium sanctumque spiritum eadem sancta synodus per Symbolum definivit. Hoc fuit ergo *primum concilium*, factum *in Nicaena civitate*, & fuit celebratum, ut patet per superius dicta, ut duntaxat *tolleretur* ista *hæresis Arriana*, & ut doceretur in articulis fidei plebs Christiana.

Sed si bene consideremus, multo magis est necesse, quod nunc concilia generalia celebrenter propter prædictas causas. Quia non solum unam hæresin inter Christicolas habemus, sed revera multas & potentes hæreses, & multos eas sequentes, ut dictum est; Qualis est hæresis *Bohemorum*, qualis est hæresis *Fratricellorum*, qualis est hæresis *Waldensium* & *Wiclefistarum*, qualis est hæresis *Saracenorum* & schisma *Græcorum*. Ad tollendum ergò & exstirpandum istas hæreses & schismata, quæ nunquam per Romanos Pontifices deleri potuerunt aliquo modo vel via, quantum sint his temporibus necessaria generalia concilia, quilibet bonus Christianus seu Prælatus tenebit toto animo & corde.

Etiam propter secundam causam necessaria sunt his temporibus generalia concilia, scilicet, *ut instruatur plebs Christiana* & maxime *ecclesiastica*, qualiter per sacras reformationes concilii debeat vivere, qualiter Prælatus se & suos subditos debeat regere, qualiter sacramenta ministrare, qualiter prædicare, qualiter pœnitentias dare. Et sic de similibus documentis, quæ *neglecta* fuerunt *per Romanos Pontifices*. Quia ea *neglexerunt reformare*, & permiserunt & permittunt omnes Universitates destrui & perire, in quibus olim erunt multi studentes, & fiebant multi viri literati, qui defensabant fidem Ecclesiæ & Jesu Christi, & erant graduati scientiis, re & nomine, qui propter eorum scientiam fiebant Prælati & beneficiati in Dei ecclesia quotidie.

Nunc verò via impiorum & insciorum ac idiotarum promovetur ad beneficia ecclesiastica, & bene est omnibus, qui prævaricantur & inique agunt, *secundum Jeremiam*. Sublimati sunt, exaltati sunt, promtuaria eorum plena, eructantia ex hoc in illud. Sed Theologia & *scientia* Canonica ac divina *secundum Alanum* nunc prosternitur, & *in quæstu pro meretrice* sedet. Et bonus ac literatus, *secundum Salustium*, ad habendum beneficia & honores vera via nititur: Hic verò impius, inscius, ignarus, cui bonæ artes desunt, dolis, fallaciis, favoribus, precibus & pecuniis ad habendum beneficia contendit.

Quâ de causa paucissimi juvenes volunt nunc in universitatibus studere, nec scientiæ intendere: Sed communiter currunt ad Romanam curiam ad addiscendum beneficiorum impetrationes, scientiam, litigia, atque controversiam. Etiam *impedimentum universitatum* & ipsarum perditio est causa *promotionis ad gradus* Doctoratus in Theologia & in jure Canonico ac in artibus multorum *ignarorum* ac *idiotarum*, qui de facili in curia ad tales gradus promoventur per bullas Apostolicas infra spatium unius diei.

Ad reformandum ergo *universitates* & studia, & ad promovendum viros virtuosos & literatos ad beneficia, his temporibus multum sunt necessaria generalia concilia.

Quod probatur per hoc *primum Nicænum concilium*. Et dicitur *concilium primum*, seu *prima synodus*, propter majorem auctoritatem eorum, quæ ibi facta sunt. Quia jam aliæ synodi ipsam præcesserant ordine, ut habetur *in c. sexta synodus, dist. 16.* Etiam probabiliter recitatur in libris conciliorum, postquam Imperator Constantinus dedit liberam

beram facultatem Christianis in unum conveniendi ac concilia celebrandi, illico post ejus baptismum S. Sylvester Papa concilium generale convocavit, & congregavit, in qua synodo fuerunt CC XXIV. Episcopi. Quid autem ibi ordinaverint, non memini me legisse, nisi quod privilegia data & libertates concessæ apostolicæ Ecclesiæ per Constantinum, & dotationes bonorum temporalium & terrarum ac civitatum, fuerunt per Papam Sylvestrum & totum sacrum concilium acceptatæ & approbatæ in perpetuum. Et quia hujusmodi dotationes Ecclesiarum & monasteriorum, factæ per diversas partes mundi à Christi fidelibus, omni die occupantur & violantur, invaduntur, ac offenduntur & auferuntur per multos Principes, & communitates, ac nobiles & seculares, ad ea reformandum & recuperandum necessaria sunt generalia concilia, quæ facilius ea poterunt recuperare, quam faciat potentia Romanæ curiæ. Et quia sine istis temporalibus spiritualia subsistere non possunt, quicunque destruit temporalia ecclesiæ, destruit ejus spiritualia omnimode. Et ideo jure poterunt generalia concilia contra eos procedere. Necessaria igitur sunt generalia concilia in Dei ecclesia ad recuperandum ejus terras, dominia, & bona temporalia.

CAP. II.

De secunda synodo, Constantinopolitana, majoriq; postremis temporibus necessitate eandem causam in novo Concilio conficiendi.

SEcunda sancta synodus fuit, dicit *can. 15. dist. centum quinquaginta patrum, sub Theodosio Imperatore, quæ Constantinopoli congregata* est, quæ Macedonium spiritum sanctum negantem condemnavit, & esse consubstantialem Patri & filio spiritum sanctum demonstravit, dans symboli majorem formam, scilicet *Credo*, quam tota Latinorum & Græcorum confessio in Ecclesiis prædicat, & cantat diebus Dominicis.

Ecce ostenditur ex ista sancta synodo, quod necessarium fuit tunc congregare concilium CL patrum, episcoporum, Abbatum, sacerdotum, & virorum ecclesiasticorum. Et licet non fuissent plures quam CL. tamen convocarunt concilium, nunc per ecclesiam canonizatum universalem, & fuit hoc concilium necessarium, ut condemnaret hæresin spiritum sanctum negantem.

Sed *major* & tanta est *his temporibus necessitas* congregandi concilia generalia eâdem causa. Quia nunc multi sunt in ecclesia seculares & ecclesiastici, qui negant spiritum sanctum, scilicet bona spiritus sancti, quæ bona sunt beneficia Ecclesiastica, & *officia*, scilicet *Papatus, Cardinalatus, Patriarchiatus, Archiepiscopatus, episcopatus, Præpositura, Decanatus, Prioratus, Abbatialis* dignitas, *Plebanatus, Archipresbyteratus, Rectoria, animarum cura*, & quodcunque ecclesiasticum officium & beneficium, cum cura, vel sine cura, quod secundum Theologos gratis, merentibus & dignis debet signari, & largiri, gratis accipi, gratis dari, per Prælatos ecclesiæ, & per jus patronatus in eis beneficiis habentes, & nullatenus possunt promitti, vendi, pacisci, dari, aut signari *pecuniâ* vel favore, prece vel pretio, aut aliqua re temporali. Et si dentur taliter, committitur in eis *simonia*, tam ex parte dantis, quam accipientis, etiamsi Papali dignitate præfulgeat, secundum opinionem multorum Theologorum. Quæ *simonia* est de directo peccatum contra spiritum sanctum, quo regitur & gubernatur universalis ecclesia, quæ ecclesia recipit à spiritu sancto hujusmodi beneficia, dicente Jacobo, *omne datum optimum &c.* qui pater est essentialiter spiritus sanctus.

Dicunt ergo Doctores sancti, quod asserentes pertinaciter, *Papam in beneficiis non posse & officiis ecclesiasticis simoniam committere*, peccant mortaliter, & censentur hæretici. Quia, dato, quod sit Dominus & caput in tota ecclesia, & habeat distribuere beneficia, quæ Jesu Christi sunt, *non* tamen propter hoc *est Dominus bonorum universalis ecclesiæ*, realiter & hæreditario jure, sed solum est *villicus*, & *Vicarius*, & *dispensator* Jesu Christi & suorum benefi-

ciorum, dicente Apostolo: *Sic nos existimet* &c. Et si Papa secundum istos committat simoniam, quæ censetur hæresis, in istis beneficiis & officiis ecclesiasticis, multo magis sunt simoniaci, & videtur asserendum de Prælatis, abbatibus, episcopis, & aliis, qui *conferunt* beneficia & *officia ecclesiastica* aliquando *pecuniis*, aliquando precibus, aliquando favoribus, aliquando idiotis ac ignaris & perversis & impiis, ac suis consanguineis.

Ad reformandum ergo hanc *quorumdam canonistarum impiam opinionem* & perversam, asserentium, quod Papa non committat simoniam in beneficiis, *necessarium est celebrare generalia concilia*, & *determinare*: Spiritum sanctum esse in ecclesia, à quo sunt omnia officia ecclesiastica, qui dat omnibus affluenter, & nulli improperat. *Et quod* quicunq; superiores in ecclesia distribuunt & signant, aut sigillant talia beneficia pro pecunia, vel favore, aut pretio, seu quocunque pacto interveniente, aut prece, tales committant simoniacam hæresin, & teneantur restituere & renunciare, & incurrant pœnas hæreticorum, ipso jure & facto, contentas in jure canonico: *Et quod* pro talibus eô ipso eos declaret sancta synodus universalis, nisi pœniteant & resipiscant, mandans fieri executionem contra tales per inquisitores hæreticæ pravitatis, monendo seculares principes, ac eis præcipiendo, quod contra tales debeant resistere, & si oportuerit, punire, & inquisitores juvare.

Et sunt alii *clerici & seculares*, negantes spiritum sanctum, & asserentes, spiritum sanctum non esse in universalibus conciliis, ritè & legitimè congregatis per illos, ad quos pertinet: *Dicentes*; multos esse ibidem congregatos in odium multorum, & in favorem, amorem & affectum, & sub titulo ac sub nomine reformationis in capite & in membris multos viros ecclesiasticos sua dignitate privare, alios invitos transferre, alios non vocatos nec citatos à suis beneficiis, pensionibus & commendis, ac officiis ecclesiasticis revocare, cassare, & vindictas inimicorum suorum in multis exercere: Quæ sunt de directo contra spiritum sanctum, qui spiritus sanctus si esset in conciliis, non permitteret talia fieri aut definiri.

Sed isti errant permaximè. Quia dato, quod in conciliis generalibus sint multi mali & peccatores, & supra dicta facientes aut exercentes, nihilominus in eisdem conciliis est sacrosancta mater ecclesia universalis congregata, quam universalis synodus repræsentat, quæ peccare aut errare non potest, neo malefacere, cùm sit Dei sponsa pulchra, sine macula, 24. q. 1. c. *Omnibus*, quæ unius cubiculi sanctitatem casto pudore custodit, 24. q. 1. c. *Loquitur*. Et ideò quantumcunque in conciliis sunt multi malevoli, tamen ibi spiritus sanctus est, non in eis, scilicet personis malis, sed in sola universali Ecclesia, quam etiam potest repræsentare una & sancta ac bona ibidem existens persona. Et ideò ad condemnandum istum pessimum errorem hæreticorum, necessarium est nunc, congregare generale concilium.

Cap. III.

De tertio concilio, Ephesino, & majori ob parem causam nova concilia celebrandi necessitate.

Tertia synodus fuit Ephesina prima, CC episcoporum. Sub Juniore Theodosio Augusto edita est, quæ Nestorium duas personas asserentem in Christo Jesu anathemate condemnavit, ostendens, manere in duabus naturis unam Domini nostri Jesu Christi personam, 15. *dist. Canones*.

Ecce ex illo sacrosancto concilio evidenter elicitur, quod *in ista synodo, & in aliis duabus prædictis, nulla* fit *mentio, quod in eis aliquis Papa fuisset*, aut interfuisset, nisi solum episcopi & viri ecclesiastici. Et tamen ista sunt per universalem ecclesiam approbata, sicut quatuor Christi evangelia.

Etiam ex illo arguitur, quod, sicut tunc sancta synodus condemnavit illum hæreticum, asserentem in Christo duas personas, & determinavit, unam esse

esse personam Domini nostri Jesu Christi manentem in duabus naturis: Ita & nunc sunt generalia concilia necessaria frequenter celebrari ad condemnandum pestifera *schismata duorum vel trium contendentium de Papatu* in Dei ecclesia, si forsan imposterum & alio modo oriantur in Dei ecclesia, & ad delendum opiniones diversorum, fortassis asserentium, duos esse Papas, unum ultramontanum, alium citramontanum, in Dei ecclesia. Et ideo *capitulum* istud est *sanctissimum, statutum perpetuum*, de schismatibus imposterum delendis, & *de conciliis de decennio in decennium* tenendis, factum *in Concilio Constantiensi, & & juratum & promissum*, & per omnes nationes de novo in hac sacra generali synodo Basileensi ratificandum, approbandum, & canonizandum.

Addendo expresse ad ipsum hoc statutum, pro majori firmitate & cautela, scilicet, quod quandocunque erunt duo vel tres electi ad Papatum, vel contendentes de Papatu, quousque veritas Papatus alicujus ipsorum non fuerit determinata per generalem sanctam synodum, tunc convocandam, si opus erit, per Dominos Cardinales, aut duas partes ipsorum, quibus negligentibus per nationes, Episcoporum, seu Principes seculares regnorum, communitatum & dominiorum, quod nulli ipsorum obediatur, nec aliquis ipsorum pro Papa teneatur, nec aliquid per eos gestum, seu alterum, firmum, justum, legitimum aut ratum habeatur, & quod omnis obedientia Christianitatis eis subtrahatur, censuras ecclesiasticas inferendo contra eos, qui oppositum fecerint, procuraverint aut praeceperint. Et sic cessabunt schismata duorum de Papatu & de una sancta matre ecclesia *contendentium propter proprias utilitates*, non quaerentes pacem Ecclesiae, & quae Jesu Christi sunt, sed affectantes propria commoda, & seminantes guerras & discordias in Dei Ecclesia.

Et hoc sit dictum de tertia synodo.

Cap. IV.

De quarto concilio, Chalcedonensi, collato cum novis Conciliis celebrandis.

Quarta synodus fuit Chalcedonensis, CCXXV. sacerdotum, & sub Martiano Principe habita est. In qua Eutychen Constantinopolitanum Abbatem, verbi Dei & carnis unam naturam pronunciantem, & ejusdem *Dioscorum* defensorem, quondam episcopum Alexandrinum, & ipsum rursum *Nestorium* episcopum, cum reliquis, *una Patrum sententia condemnavit*, praedicans eadem synodus Christum Deum sic de virgine natum esse, ut in eo substantiam divinae & humanae confiteamur naturae.

Ex isto generali concilio evidenter elicitur, quod ad condemnandum illam haeresin, quae ponebat, in Christo fuisse eandem naturam, divinam & humanam, necessarium fuit, quod non solum episcopi, imo sacerdotes & episcopi ipsum celebrarent. Quia textus dicit, quod fuit CCXXV. sacerdotum, & non facit mentionem, si illi sacerdotes fuerunt episcopi, vel non. Etiam non facit mentionem, si Papa, qui erat pro tunc, convocavit hoc concilium, vel illi soli CCXXV. sacerdotes convocarunt ipsum. Et tamen textus dicit: quod sancta synodus congregata ex illis sacerdotibus condemnavit illam haeresin.

Ergo, si fuit pro tunc necessarium convocare hoc sacrum concilium *multo magis* est *necessarium* convocare propter similes causas generalia concilia, & celebrare.

Probatur primo: Quia multi dicunt & asserunt, *his temporibus*, & sit de facto, quod *una & eadem natura & ratio & conditio* debet esse in electionibus, postulationibus, in beneficiorum collationibus, ac confirmationibus, ordinationibus, & sanctorum administrationibus, ac aliis apostolicae Ecclesiae beneficiis, dignitatibus, regiminibus, & administrationibus, *quoad Viros literatos & sapientes, & quoad idiotas, inscios & ignorantes*, dum tamen alias sint in mundanis experti & in temporalibus discreti & pru-

dentes, & in agibilibus activi, laboriosi, & ferventes. Dicunt enim, quod *his temporibus*, ex quo spiritualia diu subsistere non possunt sine temporalibus, & quia hæc temporalia sunt modo pro manutentione & exaltatione ecclesiæ apostolicæ valde necessaria, ideo quoad viros literatos & virtuosos & quoad ignaros & malitiosos una debet esse collationis beneficiorum natura, una promotio, una conditio.

Sed quam erronea sit hæc conditio, videant primo: Quod antequam apostoli prædicarent in orbe & essent Episcopi vel Vicarii Jesu Christi apostolicæ ecclesiæ, primo fuerunt literati & illuminati dono sapientiæ & scientiæ, & loquebantur variis linguis, prout spiritus sanctus dabat eloqui illis. Ecce, ipse Deus Jesus non promisit Petro unam clavem duntaxat, sed *duas*, scilicet clavem *scientiæ*, & post clavem *potentiæ*, dicens ei: *Et tibi dabo claves regni cælorum.* Quia *ignorantia* sacerdotibus maximè vitanda est, & præsertim in Pontificibus Romanis, Cardinalibus, Episcopis, & Prælatis, ac aliis ecclesiarum rectoribus, qui officium docendi in populo susceperunt, quorum opus in vita & prædicationibus debet consistere, ut ponitur *dist.* 38. *per totum*: Et qui secundum apostolum debent attendere lectioni & exhortationi, doctrinæ; & esse parati reddere omni poscenti rationem de ea, quæ in se est fide.

Ad tollendum ergo & extirpandum hanc *pravam & iniquam consuetudinem* & erroneam, quæ à temporibus schismatis, qvod incepit post mortem Gregorii XI. fere inolevit, quod *pauci viri literati & graduati eliguntur*, postulantur, aut promoventur ad abbatiales, seu episcopales, Cardinalatus vel papales dignitates, & ad alias rectorias beneficiales, necessarium est concilia generalia celebrari, in quibus fiant *reformationes electionum*, postulationum & promotionum quarumcunque dignitatum & beneficiorum, & præsertim Curatorum. Et quod nullus ad tales dignitates magnas curatas eligatur, postuletur, seu promoveatur, etiamsi sint Papales, Cardinalatus, Archiepiscopatus, seu Episcopales, nisi sit literatus, scientificus, & in jure Canonico seu in Theologia graduatus, cujus doctrina fulgeat ecclesia, ut sol & luna, & defensetur contra hæreticos & infideles ipsa fides Catholica. Et ita tunc promovebuntur Universitates & Studia, & crescet prædicatio & scientia, quæ nunc propter *promotiones idiotarum* & insciorum fere quasi evanuit.

Et hoc sit dictum de isto quarto concilio, quod, quantum ad istius imitationem, est necessarium celebrare generale concilium.

Et sequitur in decreto, *dist.* 15. *Canones. Hæ sunt quatuor synodi principales, fidei naturam principalissime continentes. Sed si qua sunt alia concilia, quæ patres sancto spiritu Dei pleni sanxerunt, post istorum quatuor auctoritates, omni manent stabilita vigore.* Hæc ibi. Et *in c. Sancta Romana*, dicitur: *Si qua sunt concilia à sanctis patribus hactenus instituta, post ipsorum quatuor arctoritatem, & observanda, & custodienda decernimus.*

Et notetur, quod per hoc sanctum decretum concluditur & mandatur, quod omnia generalia concilia manent stabilita vigore, & custodienda ac observanda sunt, dum tamen sanciantur, & celebrentur per Patres, qui spiritu Dei pleni sunt, & in quibus spiritus sanctus habitat. Et merito hoc concluditur, quod si concilia sunt generalia à spiritu sancto vel in spiritu sancto legitime congregata, necessarium est, quod eorum reformationes & statuta sint à spiritu sancto legitime decreta, & per spiritum sanctum, qui est Dux & gubernator conciliorum, facta & ordinata.

Et ideo oportet, quod omnia fiant in eis conciliis in charitate, in concordia, in dilectione, in mutua pace, & cum sancta & optima intentione, & quod non fiant propter rancorem, propter odium, propter vindictam, & propter aliquorum in ecclesia privationem & expulsionem. Quoniã, qui talia agunt, aut talibus consentiunt, concilium legitime per spiritum sanctum congregatum non faciunt, imo ipsum turbant & confundunt. Cùm enim *in conciliis genera-*

neralibus oporteat *reformationes tam in capite quàm in membris* facere, & peccata multorum arguere & accusare, ac alios quosque perversè viventes judicare, & peccata dimittere aliorum & retinere, competet, quòd illi, qui talia opera facere debent, quæ sunt à spiritu sancto, ipsi primò recipiant spiritum sanctum. Quia Christus primò dixit apostolis: *Accipite spiritum sanctum*, & pòst dixit: *Quorum remiseritis peccata, &c. Joh. XX.* Et ideò necessarium est & debitum, quòd illi, qui alios judicare volunt, alios corripere, alios arguere, & condemnare, debeant primò & ante omnia se ipsos arguere, accusare, se ipsos purgare & decenter reformare. Quia, ut ait noster *Hispanus Isidorus*, *impium est, in alio arguere, quod adhuc reprehenditur in se ipso:* Prophetâ talibus, qui alios volunt reformare, & non se ipsos, maledicente: *Væ, væ, qui prædicas, non furandum, & furaris; & non mœchandum, & mœcharis.*

CAP. V.

De Quinto Concilio, comparato cum recentioribus Conciliis frequentandis.

Quintum quoque concilium, ut dicitur *in c. Sicut sancti evangelii, 15. dist.* revereor. In quo epistola, quæ ibi dicitur erroris plena, reprobatur, & Theodorus, personam mediatoris Dei & hominum in duabus substantiis separans, ad impietatis perfidiam cecidisse convincitur.

Sicut ergò pro *tunc* fuit necessarium, illud generale concilium celebrare contra illum Theodorum, qui asserebat, in Christo esse duas substantias, & duas personas: Sic à simili *nunc* est necessarium generale concilium celebrare *contra multos ecclesiasticos & literatos viros,* quorum *aliqui dicunt,* quòd potestas data à Christo S. Petro, est major, quàm potestas data omnibus apostolis seu universali ecclesiæ, aut sacris conciliis. *Alii dicunt,* ut dictum est, quòd potestas generalis concilii est major, quàm potestas sancti Petri, seu alicujus Pontificis Romani. Quia, *dicunt* isti, potestas sacri generalis concilii est immediatè à Domino Deo Jesu Christo, &, quòd Papa non habet dispensare in statutis sacri generalis concilii.

Et quia opiniones diversæ sunt, & nulla est determinatio facta, tàm propter Papam, quàm propter sacrum generale concilium Basileense; Papa absente ab ipso, & non scio si approbante: Ideò est necessarium, quòd celebretur generale concilium, & propter hoc, quod non credatur, nec asseratur, quod sint duæ potestates distinctæ in universali ecclesia Dei, scilicet Papæ & generalis concilii, *determinetur* ad perpetuam rei memoriam, propter Papam, qui est, vel erit pro tempore, & propter sacrum generale concilium, conjunctim, *quæ istarum potestatum sit major in auctoritate & in jurisdictione, & in executione, quam alia.* Quia, si hæc determinatio non fuerit facta, videtur mihi quod frustra sint concilia generalia, & eorum informationes ac statuta. Ex quo Romani Pontifices disputant cum eis, & revocant ipsorum conciliorum decreta & statuta, dantes intelligere, quod major est eorum Pontificum potestas, quàm sit sacrorum conciliorum. Et sic oportet concilia congregare, ut determinetur, tanquam catholica, hæc opinio diversa.

CAP. VI.

De Sexto Concilio, & similis argumenti novis Conciliis instituendis.

Sextam etiam *synodum*, dicit *Decretum dist. 16.* recipio, cum canonibus suis. Sciunt enim, quoniam sancta sexta synodus sub Constantino congregata est *contra eos, qui dicebant, unam operationem esse & unam voluntatem in Christo.* In qua sancti patres utpote hæreticos anathematizarunt, & orthodoxam fidem explanarunt. Soluta autem est hæc synodus anno decimo quarto Constantini. Post quatuor verò aut quinque annos iidem sancti patres congregati sunt sub

 Justi-

Justiniano, filio Constantini, & eosdem canones promulgarunt, de quibus nullus dubitat.

Et *sexta synodus bis congregata est*, ut tolleretur error illorum, qui dicebant, unam operationem & unam voluntatem esse in Christo.

Multo magis nunc necessarium esset congregare sacrum concilium generale, & definire, ne sint in ecclesia duæ potestates æquales, ac reformare & determinare, quod quandocunque celebratur generale concilium, vivente Papa ecclesiæ Romanæ, quod tunc vel papa sit personaliter in concilio, & sit una voluntas Papæ & concilii, & una operatio, & una & eadem regularum & statutorum ordinatio, & una ac eadem beneficiorum & dignitatum collatio & promotio, & clavium ecclesiæ dispositio, ac in capite & in membris una ac eadem reformatio, & una Romana curia cum suis officialibus, ac una congregatio: Vel, quod si Papa præsens in concilio non fuerit, nisi per procuratorem, quòd tunc ordinetur, quod nihil pro tunc nec Papa, nec concilium sacrum, quamdiu duraverit, exequantur, nec exequi procurent, aut mandent, officia aut promotiones Romanæ Curiæ, utpote sunt Audientia causarum, Cancellaria literarum, Officium pœnitentiariæ, Auditoriatus Cameræ: Et breviter, quod nullum officium, fieri consvetum in Romana curia, fiat in generali Concilio, nec attendatur in eo ad aliquid, præterquam ad id, ad quod fuit convocatum, ut *ad reformationem ecclesiæ in membris & in capite*: Et sic eodem modo de Papa: Vel etiam ordinetur per Papam & per sacra generalia concilia, quod durante sacro Concilio generali, ne sint duæ operationes clavium in ecclesia, & duæ potestates in una & eadem sancta Ecclesia, quod pro tunc cessent omnia Romanæ curiæ officia, & non conferantur dignitates per Papam, seu beneficia, nec expediantur per Papam aliquæ scriptiones, aut literæ apostolicæ, de gratia seu justitia, sed maneat potestas papalis, durante sacro Concilio quasi suspensa. Sed tota plenitudo potestatis papalis & ejus executio remaneat apud sacra generalia concilia dum celebrabuntur. Quod si contrarium fiat, sicut fit modò in Basileensi Concilio, eò quod ibi Domini de Concilio Basileensi tenent Audientiam causarum, & Cancellariam aliquarum literarum, & Officia minorum pœnitentiariorum, & exercent multa officia Papæ & Romanæ Curiæ, & dant literas & bullas desuper, & tenent unam curiam, & Papa Dominus noster Eugenius IV. tenet aliam Curiam, vel Romæ, vel Florentiæ, aut alibi, & confert beneficia & episcopatus & expectantias, & tenet Audientiam causarum, & Cancellariam & Cameram, & Pœnitentiariam, ac omnia consveta Romanæ Curiæ officia: Et aliquando, si datur una sententia definitiva in concilio, annullatur & revocatur in curia Papæ: Et e contrario: Et sic accusatur odium & malevolentia, & quasi *schisma inter Cortisanos*, existentes *in curia Papa*, Et *quidam vocant se Papalistas, & quidam Concilialistas*. Et propter istas duas curias ecclesiæ venit divisio & discordia, & impeditur reformatio Ecclesiastica. Quia, si aliquid de reformatione in concilio statuitur, hoc in curia Papæ annullatur, & fit etiam è converso. Et venit modò istud schisma, de quo loquebatur Apostolus, quod quidam de discipulis Christi Jesu, qui audierant verbum Dei ab Apollo, dicebant: *Ego sum Apollo*: Alii, qui audiebant à Petro, dicebant: *Ego sum Cephæ*. Alii, qui à Paulo, dicebant: *Ego sum Pauli*. Et subjungit Paulus: *Numquid divisus est Christus? Numquid Christus non est omnium?*

Et sic est modo, nisi provideatur de remedio: *Quidam dicunt, se esse de concilio, quidam de Papa*. Numquid divisa est ecclesia? Numquid non omnium Christianorum una est ecclesia catholica? Numquid non episcopatus ecclesiæ unus est, & Eccl. una est, quæ latius incremento fœcunditatis extenditur, 24. q. 1. *in c. Loquitur*. Et quicunque se ipsos ab hac unitate segregant, tales nec à vinculis peccatorum absolvi, nec januam regni cœlestis possunt ingredi, 24. q. 1. *Quicunq.*

Ad servandum ergo hanc unitatem ecclesiæ & fidei Catholicæ, necessarium est

eſt, quandocunque celebratur generale concilium, quod una ſit Romana Curia, unus Deus, una fides, unum baptisma, una poteſtas exequendi claves in eccleſia, & quod non ſit duplex curia, duplex poteſtas eccleſiaſtica, duplex executio beneficiorum & cauſarum, & aliorum officiorum in Dei Jeſu Chriſti eccleſia. Ad determinandum ergo hanc unicam operationem, hanc unicam curiam, hanc unicam poteſtatem, ad exequendum Romanæ Curiæ officia & beneficia, & penes quam debeat reſidere hæc poteſtatis Papalis plenitudo, dum celebratur ſacra ſynodus, neceſſarium eſt, quod fiant generalia concilia, quæ determinent, quod Concilii cum Papa habeat unitatem executionis clavium eccleſiæ.

Et hoc ſufficit dicere de iſto concilio.

Sed tamen eſt notandum, quod dicitur, quod ſoluta eſt hæc ſynodus anno decimo quarto Conſtantini, & poſt quatuor aut quinque annos iidem Patres ſancti congregati ſunt ſub Juſtiniano filio Conſtantini, & prædictos canones promulgarunt, de quibus nullus dubitat. Et ſic *ſexta ſynodus bis congregata eſt.* Primo enim Canones fecerunt ſub Conſtantino, & poſt ipſos declaraverunt ſub Juſtiniano. Et ſic videtur, qvod ultra qvinqve annos fuit continuata iſta ſynodus. Ex quo concluditur, quod ſacri canones conciliorum, qvi ſunt *reformationes eccleſiæ, poſſunt in uno concilio ſtatui & ordinari, & poſt in alio concilio poſſunt publicari*, & qvod, quod determinatum non fuit in uno concilio, determinetur in alio.

Et ſic concluditur: Quod poteſtas concilii generalis eſt major, quam poteſtas Papæ: Quod in illo caſu unum concilium legitime congregatum poteſt convocare aliud concilium ſine Papæ alicujus auctoritate, & hoc in perpetuum, & aſſignare locum.

Et, ſi allegatur, quod ſolus Papa convocat concilia, ut ponitur *diſt.* 17. hoc intelligitur ſemper *excepta auctoritate & poteſtate generalium conciliorum*, qvibus ſecundum opinionem iſtorum, ſubjicitur poteſtas, auctoritas & jurisdictio ac executio Romanorum Pontificum.

CAP. VII.

De ſeptimo & octavo conciliis in Orientalibus celebratis, ac paribus reſuſcitandis.

TAntus fuit *zelus* illorum ſanctorum Patrum antiquorum ad exaltandam fidem Chriſtianam, *& reformandum Eccleſiam in moribus virtuoſis*, ac actibus clariſſimis, & ad deprimendum hæreſes, ac exſtirpandum vitia de medio populi Chriſtiani, & perverſas leges & conſuetudines & abuſiones, quæ nequaquam poterant tolli, niſi per generalia concilia, quod ſtatim poſt illa ſex concilia generalia infra modicum tempus convocaverunt in partibus orientalibus alia duo generalia concilia, per quæ poſſent priſtina ſtatuta, facta in generalibus conciliis ſex, & acta ac geſta roborare, definire, ſancire & authenticare.

Et fuerunt *octo concilia generalia*, de quibus loquitur *Decretum, diſt. 16. in c. Sancta.* Ubi dicitur: *Sancta octo concilia univerſalia, primum Nicenum, ſecundum Conſtantinopolitanum, tertium Epheſinum, quartum Chalcedonenſe, quintum, ſextum, & ſeptimum Conſtantinopolitanum, usq; ad unum apicem immutilata ſervare, & pari honore ac veneratione digna habere, & quæ prædicaverunt ac ſtatuerunt, omnibus modis & ſequi & prædicare, & quæcunq; condemnaverunt ore & corde condemnare confiteor.* Hæc ibi.

Et *dicuntur iſta concilia aliquando octo*, quia *octo vicibus* erant tenta. Et dicuntur *aliquando quatuor* concilia, quia fuerunt *in quatuor locis* tenta, ut ibidem habetur *in gloſſa*.

Ex quibus ſequuntur *duæ concluſiones* notabiles. Prima, quod *ad reformationem Eccleſiæ in membris & in capite*, & ad exſtirpationem ſchiſmatis & ſectæ hereticæ, ſeu ad converſionem ſeu reductionem infidelitatis Saracenicæ ſeu paganicæ, & ad pacificationem plebis Chri-

Christicolæ, *non sufficit semel* generale concilium celebrare ac congregare, sed oportet sæpius ac *sæpius* hæc universalia concilia celebrare & convocare ac continuare.

Et videtur multis zelatoribus fidei Christianæ, quod præsentibus temporibus, in qvibus multa sunt schismata, & quamplures hæreses, de anno Domini MCCCCXXXV. in quibus *ecclesiasticorum* in Dei Ecclesia maximæ *abusiones*, maximæ *tyranniæ*, maximæ *cupiditates*, maximæ *simoniæ*, maxima scandala, in qvibus etiam crescit & crevit super Christianitatem paganorum infidelium & Turcorum ac Saracenorum dominiũ, & non cessat crescere & Christianos subjugare, ac nomen Jesu Christi blasphemare. Uti patet *de regno Cypri* Christianissimo, nunc Saracenis & Sultano Babyloniæ subjugato temporibus istis. Uti patet de Græcia, qvæ qvamvis schismatica, tamen nunc est qvasi tota Imperatori Turcorum subjecta. Imo ipsa *Armenia*, ipsa *Albania provincia*, ipsa pro magna parte *Dalmatia*, *ipsa* etiam *Sclavonia* pars maxima, quæ Turcis dicuntur esse subdita. Etiam his temporibus, in quibus inter seculares Reges & Principes Christianos sunt multæ discordiæ, guerræ maximæ, interfectiones & mortes Christianorum quamplurimæ. Uti patet de Regibus Franciæ & Angliæ, de Regibus Castellæ & Arragoniæ, de dominio Ordinis Prutenorum & Regis Poloniæ, & de guerris Ducis Mediolani & communitatum Venetiarum & Florentiæ. Et timetur de guerra Regis Neapolitani permaxime. In quibus etiam partibus regnant tyranniæ, furta, latrocinia, & rapinæ, tam in mari quam in terra, multorum Principum, & Dominorum nobilium, & regnorum, bellantium & armigerorum. Et præsertim in Italia, in qua his temporibus bona ecclesiæ Romanæ sunt perdita & occupata pro majori parte per tyrannos armigeros, Sacmannos nobiles & Dominos Italiæ. Ut patet de tota *Marchia Anconitana*, & de civitate Castelli, & de civitate Tiburtica, & quasi de toto patrimonio ecclesiæ, & de terrá Campaniæ, in quibus provinciis civitates & castra & bona Romanæ Ecclesiæ sunt his temporibus de anno Dni. MCCCCXXXV. occupata & capta contra voluntatem Dni nostri Papæ Eugenii IV. & Dominorum Cardinalium. Et multæ ecclesiæ & monasteria destructa, & suis bonis spoliata. Hanc etiam occupationem terrarum & honorum ac jurisdictionum ecclesiarum ac monasteriorum per violentiam & tyranniam, ac dissipationem multorum monasteriorum, & ecclesiarum, ostendunt manifestè aliæ nationes & provinciæ ac regna Christianorum, sicut fuit *Hungaria*, *Francia*, *Anglia*, *Hispania*, in quibus omni die per Reges, Duces, Comites, Barones & milites ac communitates *libertas Ecclesiastica non curatur*, clerus servituti subjicitur, bona ecclesiarum & monasteriorum temporalia capiuntur, & ipsa monasteria & ecclesiæ dilapidantur.

Attentis igitur causis illorum conciliorum generalium, quæ sunt celebrata per sanctos patres in parvo numero, infra breve tempus, quia *quasi in sedecim annis fuerunt omnia illa octo concilia celebrata*, & non propter alias causas, quam propter causas tollendi hæreses & schismata, quæ tunc insurgebant in Dei Ecclesia: Multo magis debent *nunc* generalia concilia frequentius & frequentius celebrari & teneri ac continuari, quousque illa *sex* supradicta finiantur, compleantur & exequantur totaliter in Dei ecclesia, videlicet: Quod *primò* ante omnia *reformetur in capite & in membris* ipsa apostolica & Romana *ecclesia*. Quô factô, fiat *secundum*, quod ipsa secta pestis hæreticæ evellatur ubique terrarum de medio Christianitatis Catholicæ. *Tertio*, quod hoc facto, ad gremium ecclesiæ & obedientiam Romani Papæ perfidia schismaticorum Græcorum & Armenorum, reducatur, & quod uniantur ecclesiæ. *Quarto*, quod, hoc facto, procuretur per generalia concilia, si inter quoscunque Reges & Principes, Comites, Barones, Communitates, nobiles ac Dominos Christianitatis fuerit aliqua guerra vel discordia, quod illa omnibus modis tollatur, & fiat plena pax & concordia in tota

tota plebe Chriſticola. *Quinto*, quod hoc facto, procurent generalia concilia arma ſpiritualia & temporalia: Spiritualia quidem, mittendo prædicatores ad terras, quæ ſint Chriſtianorum, ut eſt Africa, Ægyptus, Æthiopia, & tota Barbaria, ac Turcia & Tartaria, ad prædicandum evangelium ſanctum Chriſti, & ejus fidem exaltandam. Etiam arma temporalia procurent, invocando & rogando Principes Chriſtianos & Dominos, & quoſcunque fideles, ut cum ſuis armis & laboribus debeant terram ſanctam & civitates ac provincias occupatas per Saracenos & infideles recuperare, quæ aliquando fuerunt Chriſtianorum, & de manibus ipſorum infidelium liberare. *Sexto* debent procurari & continuari concilia generalia, ut ad priſtinam libertatem & jurisdictionem & ſtatum ubique terrarum reducatur eccleſia Romana & Apoſtolica, & extinguatur per concilia omnis violentia & tyrannia, ac rapina tam in mari, quam in terra, ne unquam fiat in plebe Chriſticola, & coerceantur tyranni, & deprædatores bonorum temporalium Romanæ eccleſiæ, & aliarum eccleſiarum omnium & monaſteriorum ac locorum ſacrorum & Deo dedicatorum, per Chriſtianitatem exiſtentium, per cenſuras eccleſiaſticas & cruciatus, ſicut contra infideles, ac alia quæcunque juris remedia, invocato etiam ad hoc brachii ſecularis auxilio, ſi opus fuerit.

Et hæ *ſex* ſunt *principales cauſæ*, propter quas debent *his temporibus* ſacra concilia celebrari & continuari, & tam diu durare, ſecundum opiniones multorum, quousque ſunt finita.

Secunda concluſio notabilis, quæ ſequitur ex ſuperius dictis octo conciliis, & conciliis infra ſcriptis, eſt, quod *in ſacris conciliis generalibus non requiritur vocatio* & multominus *aſſiſtentia & præſentia omnium epiſcoporum & Abbatum ſeu Principum & Regum*, Ambaſſiatorum ſeu Dominorum aut communitatum: Sed *ſufficit præſentia aliquorum eccleſiaſticorum & Chriſtianorum*, in quibus & per quos repræſentetur univerſalis eccleſia.

Hoc probatur per præterita concilia octo, in quibus ſoli Prælati Orientales extiterunt, etiam in parvo numero, & aliqui viri eccleſiaſtici, ut poſt dicetur. Unde *in c. Sexta ſynodus 16. diſt.* recitat *Gratianus* ſecundum [illegible] alia concilia octo prima, in quibus ſancti patres multos canones, multas reformationes & decreta ſtatuerunt, licet eſſent pauciſſimi in illis conciliis. Quæ decreta deinde approbavit tota eccleſia, & fuerunt quaſi omnes ibidem exiſtentes orientales, & pauci viri eccleſiaſtici occidentales.

Verum eſt, quod in aliquibus conciliis, tentis in oriente tunc vel poſt, legi in multis Chronicis, in eis aliquando interfuiſſe Presbyteros & Diaconos Romanos, & etiam ſub titulis, quos nunc tenent Domini Cardinales.

Primum igitur *concilium ex illis* fuit *Aquitanica ſynodus*, quæ *ante Nicenam* fertur fuiſſe, ſed propter auctoritatem majorem, quam habuit Nicena ſynodus, poſtponitur, in qua Patres octodecim ſtatuerunt canones.

Secunda ſynodus fuit *Neocæſarienſis*, quæ poſt Aquitanam & Antiochenam legitur fuiſſe, in qua patres ſeptendecim ſtatuerunt canones octodecim.

Tertia ſynodus fuit *Gangrenſis*, quæ poſt Nicenam legitur fuiſſe, in qua patres ſeptendecim fecerunt canones viginti, propter quasdam neceſſitates eccleſiaſticas, & contra Euſtachium maxime, qui dicebat, quod nullus in conjugali gradu poſitus, vel nullus fidelis, qui non omnibus renunciaret, quæ poſſideret, ſpem ullam ad Deum haberet, & multa alia veneneoſa, quæ longum eſſet enarrare.

Quarta fuit *ſynodus Sardicenſis*, in qua patres ſexaginta ſtatuerunt canones ſedecim, quorum *autor maxime* fuit *Hoſius, Cordubenſis epiſcopus, & Vincentius* Capuanus epiſcopus & *Januarius Beneventanus, & Calepodius Neapolitanus*, ſanctæ *Romanæ eccleſiæ extiterunt legati.*

Quinta ſynodus fuit *Antiochena*, in qua patres triginta ſtatuerunt canones viginti quinque, quorum *autor maxime* extitit *Euſebius* Palæſtinus epiſcopus.

Sexta ſynodus fuit *Laodicenſis*, in qua Patres duo & viginti ſtatuerunt canones

nes quinquaginta octo, quorum *auctor Theodosius* extitit.

Septima synodus fuit *Carthaginensis*, in qua patres ducenti & octodecim statuerunt canones viginti tres, *quorum auctor* maxime *Aurelius Carthaginensis* episcopus extitit & Augustinus Hipponensis episcopus.

Octava synodus fuit *Africana*, sub Theodosio Juniore Augusto, in qua patres ducenti & viginti octo recitaverunt & firmaverunt canones centum & quinque, qui per diversa concilia Africanæ provinciæ suasu Aurelii episcopi Carthaginensis leguntur esse conscripta.

Et hæc sunt alia *octo concilia generalia in oriente celebrata* per modicum temp' post ista octo concilia prima superius dicta.

Et notandum, quod post ista sedecim concilia tenta in partibus orientis, per modicum tempus post fuerunt tenta *concilia generalia sedecim* in partibus occidentis, quæ *enumerat venerabilis Beda in suo libro*, quem intitulat *de partibus conciliorum*, & transsumtivè ponitur in decretis, *dist.* 16. *c. Sexta synodus*.

Cap. VIII.

De XVI. Synodis veterum in partibus Occidentalibus. Et quam sollicite recentiora Concilia generalia ad normam veterum sint instruenda.

P*Rima synodus* fuit *Arelatensis*, in qua patres sexcenti statuerunt canones: Quorum auctor Sylvester, orbis Romanæ Episcopus, & S. Mauritius, Arelatensis episcopus, fuerunt.

Secunda synodus etiam fuit Arelatensis. In qua patres novendecim statuerunt canones, quorum auctor Cæsarius, Arelatensis episcopus extitit.

Tertia synodus etiam fuit *Arelatensis*, in qua patres novendecim statuerunt canones.

Quarta synodus etiam fuit Arelatensis in vico Hortensi, in qua patres octodecim statuerunt canones, quorum auctor Cæsarius extitit.

Quinta synodus *etiam fuit Arelatensis*, in qua patres novendecim statuerunt canones, quorum auctor Sarpidius Arelatensis episcopus extitit.

Sexta synodus fuit *Aurelianensis*, in qua patres septendecim statuerunt canones, quorum autor Cæsarius episcopus fuit.

Septima synodus fuit *Empanensis*, in qua patres XXVI. statuerunt canones XL quorum autor Cæsarius Episcopus extitit.

Octava synodus extitit *Agathensis*, in qua patres XXXIV. statuerunt canones, quorum autor Cæsarius Episcopus fuit.

Nona synodus Aurelianensis fuit, in qua patres septuaginta statuerunt canones, quorum autor Aurelianus Melatensis episcopus fuit.

Decima synodus fuit *Arelatensis*, in qua patres triginta sex statuerunt canones, quarum auctor Melianus Nodonensis Episcopus extitit.

Undecima synodus fuit *Aurelianensis*, in qua patres viginti sex statuerunt canones, quarum auctor sanctus Albinus, Andegavensis episcopus extitit.

Duodecima synodus fuit *Alvernensis*, in qua patres quindecim statuerunt canones, quorum auctor Honoratus Bremensis episcopus extitit.

Decima tertia synodus fuit *Maticensis*, in qua patres unus & viginti statuerunt canones, quarum auctor priscus Lugdunensis episcopus fuit.

Decima quarta synodus fuit *etiam Maticensis*, in qua patres septuaginta statuerunt canones, quorum auctor idem Lugdunensis episcopus fuit.

Decima quinta synodus fuit *Lugdunensis*, in qua patres octodecim statuerunt canones, quorum autor Firmianus Episcopus fuit.

Decima sexta synodus fuit *Lugdunensis*, in qua patres viginti statuerunt canones, quorum auctor idem Episcopus Lugdunensis fuit.

Hæc sunt alia *sedecim concilia*, quæ annumerat *Beda*, tenta in partibus occidentalibus; *in quibus pauci vel nulli fuerunt Prælati, seu viri ecclesiastici Orientales*, & tamen sunt solennizata & approbata tanquam generalia concilia in spiritu sancto congregata ab universali ecclesia. Quia, ut de primis quatuor conciliis loquitur *Gregorius, in decretis, dist.* 15. *c. Sicut sancti*, illa, quæ fuerunt in sancta

cti conciliis ordinata sive circa ea quæ sunt & pertinent ad actiones, ordinationes & regulas ecclesiasticas, tenenda sunt omnimodè in suis terminis, sicut sancti Evangeliorum quatuor libri. Et constat, Evangelium à Deo datum per hominem non posse immutari, sicut nec facta, & acta ac modus agendi in dictis conciliis possunt immutari, quia sunt quatuor synodi principales, fidei naturam plenissimè continentes.

Et de prædictis aliis conciliis contentis in decreto, dicit *c. canones, dist.* 15. in hæc verba, scilicet: *Si qua sunt alia concilia, quæ sancti patres Spiritu Dei pleni sanxerunt, post istorum quatuor auctoritatem, omni maneant stabilita vigore, quorum g. sta etiam in hoc opere continentur.* Ecce qualiter omnia concilia supra dicta sunt ab universali ecclesia approbata.

Cùm ergo sint approbata per universalem ecclesiam hæc *triginta duo concilia generalia* & superius dicta, ergò ab eis & per ea debemus sumere documenta & exempla, qualiter *nunc his temporibus*, & quibus modis, & propter quas causas generalia concilia celebranda, tenenda & continuanda sint. Et ideò ex prædictis conciliis seqvuntur multa notanda.

Primum notabile est, quod concilia generalia debent frequentius in ecclesia Dei celebrari, convocari & teneri.

Probatur per præfata concilia. Quia à tempore baptismatis Constantini *infra sexaginta annos*, post quos floruit in ecclesia Dei venerabilis Beda, qui & scripsit præsidente in sancta Ecclesia Damaso Papa, Hispano, circa annum CCCXXIV. sunt præfata *duo & triginta concilia* in Dei ecclesia celebrata.

Ex quo colligimus, quantus fuerit *zelus patrum* nostrorum ad domum Dei, quæ est ecclesia sancta, & ad fidei catholicæ & divini cultus augmentum, & ad honestatis ac morum conservationem, ac ipsius ecclesiæ in membris & in capite reformationem: Et quanta desidia, *tepiditas, neglectus*, nostra & nostrorum *Prælatorum* ac Patrum *his temporibus ad reformationem status & ruinæ Ecclesiæ*, fuit diebus istis, & præsertim apud summos Pontifices, apud quos secundum decreta antiqua manet autoritas regulariter convocandi concilia, & sine quorum auctoritate nisi in certis & paucis casibus non possunt concilia generalia congregari, ut habetur *d. 17. per totum*: Et etiam quanta fuit *negligentia* eis *assistentium*, quorum reguntur consilio, à multis retrò actis temporibus. Quoniam à tempore *Clementis V.* qui præfuit ecclesiæ anno Domini M CCC V, & tenuit concilium in Vienna generale, circa annum Domini M CCC XII. usq; ad *concilium generale Pisanum* ultimò tentum, in quo spatio fluxerunt ferè centum anni, nullum fuit tentum in Ecclesia Dei generale concilium. Et tamen in illo centenario fuerunt multæ hæreses, multa schismata, multa peccata, multæ abusiones, multæ tyranniæ Romanæ ecclesiæ, multæ reservationes, multæ usurpationes factæ contra jura scripta, multæ simoniæ, multa mala, & quasi infinita. Propter quæ fuissent multum necessaria generalia concilia in Dei ecclesia, ut ipsa Romana ecclesia & apostolica reduceretur ad primitivum statum, & honorem & propriam naturam, & ad debitam in capite & in membris reformationem.

Secundum notabile, quod nos ad perpetuam rei memoriam secundum exemplar ac formam & normam prædictorum duorum triginta conciliorum debemus omnino generalia concilia frequentius & frequentius celebrare, & celebrari facere. Sicut enim triginta duo *tunc* generalia concilia fuerunt celebrata in spatio sexaginta annorum, & tamen propter causas modicas, in comparatione causarum & malorum, quæ nunc sunt: Quia tunc solùm propter hæreses tollendas & propter ecclesiam in actibus & moribus virtuosis ædificandam fuerunt illa concilia celebrata, uti patet per ipsa: Quia multæ hæreses fuerunt condemnatæ, & multi canones decreta & regulæ institutæ: Multo magis *nunc* obligatur Rom. ecclesia & apostolica generalia congregare concilia propter illas *causas* superius dictas *sex*, scilicet: *Propter reformationem fiendam in membris & in capite* ipsius apostolicæ Romanæ ecclesiæ: Item propter tollendos erro-

res pravitatis hæreticæ: Item propter pacificationem omnium Principum fidei Catholicæ: Item propter recuperationem terrarum infidelium, & præsertim terræ sanctæ: Item propter exterminationem tyrannorum & raptorum, ac piratarum & occupantium bona temporalia ecclesiarum & monasteriorum, & præcipuè Romanæ ecclesiæ. Ergò multò magis debent generalia concilia hic temporibus continuari propter causas sex dictas *ad instar illorum duorum & triginta conciliorum* venerandorum, quorum actio & modus à nobis servandus proponitur per omnia. Scribitur enim *in c. Sicut sancti, 15. dist.* expressè tenor & modus in eis observatus.

Unde nobis innotescit qualiter aliquo modo circa celebrationem conciliorum generalium nos habere debeamus. Unde Dominus ad Mosen dixit, ut habetur expressè *Exodi XXV. Fac secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est.* Iste modus est servatus per apostolos & sanctos patres in celebratione conciliorum. Super quem montem sive modum celebrandi concilia generalia, veluti super firmam & excelsam petram, fundata est & fundatur Ecclesia in sanctis reformationibus & virtuosis decretis & constitutionibus. Quæ decreta & constitutiones vocat Propheta David montes sanctos, cùm dicit: *Fundamenta ejus, scilicet ecclesiæ, in montibus sanctis*, scilicet in canonibus, decretis, statutis conciliorum, & constitutionibus, præceptis, doctrinis & modis ea agendi, regendi & convocandi, continuandi, & ad executionem perducendi. Et hos *montes* vocat etiam *Decretalis, Extra, De electione, & fundamenta* Prædicatores. Et qui proprius dici possunt *Pratores* ecclesiæ, quàm *Prælati & Patres* ac viri ecclesiastici, qui concilia procurant, qui concilia gubernant, qui decreta & canones statuunt, & *Dei ecclesiam in membris & in capite reformant*, in quibus fidei nostræ fundamenta ponuntur, & hæreticorum lucide errores tolluntur? Et quid ac qualiter in hac vita incedere, qualiter vivere, qualiter de peccatis pœnitere, qualiter ecclesiam & oves commissas regere, & quid agere debeamus certis regulis demonstratur.

Tertium notabile, quod sequitur ex prædictis triginta duobus conciliis generalibus, est: *Quod sicut* ipsa generalia concilia fuerunt sancta, justa, & ab universali ecclesiâ quæcunque in eis gesta, decreta, statuta, recepta, & tamen *in ipsis sacris conciliis fuerunt pauci viri ecclesiastici, & pauci patres & Prælati*, & fuerunt continuata per multa tempora; *Sic amodo* potest & deberet fieri. Quia dato, quod *multi vocentur* ad concilia generalia, & *pauci* viri ecclesiastici ad ea *veniant*, & in eis existant ac definiant, ordinent decreta, & statuant pro bono reformationis ecclesiæ in capite & in membris, non obstante dictâ paucitate patrum & virorum ecclesiasticorum; Tamen quæcunque in ipsis decreta, manifestata atque statuta fuerunt per eos, cum sint à spiritu sancto inspirata, & ab universali ecclesia, quam repræsentat illa parva generalis synodus, determinata, tenenda sunt à toto clero, & à populo Christiano, tanquam si divinitus essent nobis omnibus fidelibus transmissa.

Probatur ista propositio seu conclusio per concilia superius dicta. Et *primo* per quatuor concilia apostolorum, in quibus *pauci numero* fuerunt apostoli, & alii credentes in Christo, & tamen fuerunt justa & approbata concilia tam à Deo Domino Jesu Christo, quam ab universali ecclesia, & à fide Catholica.

Item probatur per illa triginta duo concilia, de quibus, ut dictum est, scripsit *Beda*, & facit *Gratianus* mentionem *in c. Sexta synodus, 16. dist.*

Ex quorum recitatione potest colligi, quod *concilium generale* qualecunque sicut nunc Basileense, vel fiat imposterum, *non requirit omnium episcoporum vocationem* & minus *præsentiam*, seu aliorum Prælatorum, aut virorum ecclesiasticorum, seu Regum, Principum, Dominorum & communitatum secularium, seu ipsorum Ambassiatorum vel procuratorum. *Nec est necesse* quod *omnes* vocentur aut intersint, sed *sufficit, aliquos esse*;

eſſe, qui alios repræſentent, ſeu per alios omnes, qui in concilio non interfuerunt, recipiantur & approbentur acta & geſta, ſtatuta & ordinata in eodem concilio, & auctoritatem præſtent eisdem; ſive utendo inſtitutis ibidem per approbationem, ſive expreſſe approbando. Sicut dicimus in lege, quod poſt ejus promulgationem firmatur, cum utentium more recipitur, ut ponitur *in diſt. c. Leges inſtituuntur.* Quia *non vocatur generale concilium reſpectu perſonarum*, ut omnes in illo interſint; *ſed reſpectu regionum*, quia de omni parte debent in eo eſſe aliqui, verè vel repræſentative vel approbativè, ſicut dictum eſt. Quia ſi probatur à majori parte, videntur in eo extitiſſe. Quia qui per alium facit, per ſe ipſum facere videtur, quamvis approbantes in ipſo concilio non fuerint.

Item dicitur *generalis* ſancta ſynodus reſpectu cauſarum, quia in generalibus conciliis *omnes admittuntur ad quæcunque proponenda*, pro juſtitia conſequenda, vel ad dandum *Aviſamenta* ad *agenda in conciliis.* Quia ipſa ſacra univerſalis eccleſia, quam repræſentant ſacra generalia concilia, eſt quædam vinea univerſalis, de qua bibere ſpiritualiter debet quilibet fidelis, ne non ſitiat in æternum, dicente Chriſto: *Simile eſt regnum cœlorum homini patrifamilias, qui exiit primo mane conducere operarios in vineam ſuam.*

Quæ vinea ſecundum homiliam eſt univerſalis eccleſia, quæ tot palmites protulit, quot ſanctos fideles ad nos miſit. O bone Jeſu, cuſtos illius vineæ, ut quid deſtruis maceriam illius vineæ, & vindemiant eam, ſpoliant eam omnes qui exaltantur in ea, omnes etiam, qui ſunt dati ad ejus cuſtodiam, exterminant eam: *Aper de ſilva*, heu proh dolor, heu doleo, heu fleo, *ſingularis ferus*, depaſcit eam! Domine Deus Jeſu, tu noſti, *qui ſint*, & à toto orbe non poſſunt abſcondi. Reſpice ergo de cœlos, & veni ac viſita vineam iſtam, & reforma eam, & perfice eam, quam plantavit dextera tua: Quia, ut clarè videmus, non eſt alius, qui eam reformet, qui eam decoret, qui eam ad primitivum ſtatum reducat, niſi tu Deus Jeſus Chriſtus, Dominus noſter.

Item concilium dicitur *generale*, *ad differentiam provincialium & epiſcopalium.* In quibus non agitur, niſi de negotiis unius provinciæ vel diœceſeos: In hoc autem de negotiis omnium provinciarum & totius orbis agitur, & agi debet, ex quo eſt univerſale concilium.

Item hæc concluſio, quod *in generalibus conciliis non eſt neceſſe habere multos Epiſcopos*, vel viros eccleſiaſticos, ſed quod *etiam pauci ſufficiant* ad manutenendum & continuandum concilium & ad totam apoſtolicam & Romanam eccleſiam reformandam, *probatur per illa triginta duo concilia* ſuperius dicta, quæ ſunt ab univerſali eccleſia canonizata. In quibus fuerunt aliqui *pauci* patres & Prælati, & *pauciſſimi* viri laici & eccleſiaſtici. Nam ut dictum eſt, in ſedecim conciliis tentis in Oriente pauci vel nulli quaſi interfuerunt de Oriente, & tamen in utriſque conciliis fuerunt ordinati & facti multi canones, multa decreta, multæ reformationes & ſtatuta, quæ hodie tenet univerſalis eccleſia.

Item probatur, quod etiam *paucitas Prælatorum & virorum eccleſiaſticorum ſufficit in conciliis generalibus* ad ea peragenda & continuanda, per prædicta generalia concilia. Quoniam in prima ſynodo Nicena fuerunt ducenti & octodecim Epiſcopi. In *ſecundo* concilio fuerunt centum & quinquaginta patres, de quibus decretum non determinat, ſi erant epiſcopi, Abbates vel ſacerdotes. In *tertia* ſynodo fuerunt ducenti Epiſcopi. In *quarta* ſynodo fuerunt ducenti unus & triginta ſacerdotes ſeu presbyteri. Sed de *quinta, ſexta, ſeptima & octava* non ponitur aliquis numerus: Etiamſi poſt quatuor annos iidem patres congregati fuerunt ſub Juſtiniano. In *nona* ſynodo fuerunt octodecim patres. In *decima* ſynodo fuerunt ſeptendecim patres & non plures. In *undecima* ſynodo fuerunt ſedecim patres & non plures. In *duodecima* ſynodo fuerunt ſexaginta patres. In *decima tertia* fuerunt patres triginta. In *decima quarta* ſynodo fuerunt patres viginti duo. In *decima quinta* ſynodo fuerunt patres ducenti & octodecim. In

decima sexta synodo fuerunt patres ducenti & viginto octo. Fuerunt & hæc sedecim generalia concilia in partibus orientalibus celebrata, in quibus aliquando pauci, aliquando multi interfuerunt patres.

Et sic *his temporibus* pro reformatione ecclesiæ & pro aliis quinque negotiis supradictis explendis pauci patres & pauci viri ecclesiastici aliquando celebrare sufficiunt generalia concilia.

Utrum autem illi patres fuerint episcopi vel Prælati, aut si in dictis conciliis interfuerint Pontifices Romani, aut per quos fuerint convocata illa concilia, & textus decreti non dicit, nec memini me legisse.

Etiam, qvod *sufficiant pauci* patres & viri ecclesiastici ad celebrandum concilia generalia, probatur per alia sedecim concilia in partibus occidentalibus celebrata: Quorum exempla, norma & forma nobis occidentalibus ecclesiasticis esse debent, cum tota intentione, qvod unanimi voluntate celebremus concilia generalia. Et primo in *primo* concilio *occidentali* non fuerunt patres, nisi sex, & in eodem fuit Papa Romanus. In *secundo* concilio fuerunt patres novendecim. In *tertio* fuerunt patres novendecim. In *quarto* fuerunt Patres octodecim. In *quinto* fuerunt patres novendecim. In *sexto* fuerunt patres septendecim. In *septimo* fuerunt patres viginti sex. In *octavo* fuerunt patres septuaginta. In *nono* fuerunt patres septuaginta. In *decimo* fuerunt patres unus & triginta. In *undecimo* fuerunt patres viginti qvinqve. In *duodecimo* fuerunt patres qvindecim. In *decimo tertio* fuerunt patres unus & viginti. In *decimo quarto* fuerunt patres septuaginta septem. In *decimo quinto* fuerunt patres octodecim. In *decimo sexto* fuerunt patres viginti.

Ecce, qvod in majori parte istorum conciliorum generalium Occidentalium fuerunt pauci de tota Christianitate præsentes, & celebraverunt generalia concilia, & instituerunt in eis multos canones, multas reformationes & multa decreta, qvæ hodie approbat universalis ecclesia. Ergo *his temporibus* ad instar illorum conciliorum possunt celebrari generalia concilia omnino cum paucis patribus & viris ecclesiasticis.

Etiam 63. *dist. c. Hadrianus*, dicitur, qvod in concilio generali, tento Romæ per Hadrianum I. præsente Carolo M. celebrata fuit synodus à centum & qvinqvaginta tribus, & non pluribus.

Etiam per scripturam sacram potest persvaderi & teneri, qvod paucitas virorum ecclesiasticorum, etiamsi non sint in numero ultra centum, aut ultra triginta, vel ultra duodecim patrum, possunt sufficienter concilia generalia celebrare, & canones & reformationes statuere. Quia exemplo apostolorum hoc potest fieri, qui erant in numero undecim, aliquando duodecim, cum celebrarunt quatuor generalia concilia, ut supra dictum est.

Et probatur per verbum Christi, dicentis, *Si duo ex vobis consenserint super terra de omni re, quam petierunt à patre meo, fiet vobis.* Ergo si duo fuerint in concilio generali unanimi consensu & voluntate *pro bono reformationis* Catholicæ ecclesiæ, poterunt generale concilium celebrare & continuare. Quia, si verum est, quod in unico supposito Christianitatis totius, existente in gratia gratum faciente, potest salvari illa sancta mater ecclesia universalis, quam repræsentat generale concilium, & quæ semper fuit & est sine ruga & macula, nec potest habitare in corpore subdito peccatis, quia nulla est conventio lucis ad tenebras, secundum apostolum: Etiam, sicut fuit *de B. Virgine, in cujus corde, passione Christi durante, cum discipuli ab eo fugissent, remansit tota fides catholica*, sicut credit & est fides catholica: Sic etiam, si non sint nisi duo in generali concilio in charitate Dei & gratia existentes in spiritu sancto congregati in nomine Salvatoris Jesu, ad salvandum populum Christianum, & reformandum à vitiis ad virtutes, & ad corrigendum de peccatis, illi poterunt non solum convocare concilium, sed etiam celebrare, definire, judicare & continuare. Quia spiritualis homo omnia judicat, secundum Apostolum, & à ne-

à nemine judicatur. Quia justo non est lex posita, sed propter transgressores est posita lex. Ergo illi duo boni & justi poterunt alios judicare & reformare, qui sunt in ecclesia mali & perversi.

Et si dicatur & ponatur casus, quod omnes illi, qui sunt in concilio, sint mali & in peccato mortali, ergo spiritus sanctus non est in illo concilio, nec est legitime congregatum in spiritu sancto: Quia spiritus sanctus secundum Salomonem disciplinæ effugiet fictum, & elongat se, nec est participatio lucis ad tenebras, secundum apostolum: Dicitur & respondetur, secundum fidem catholicam, & stante lege Christi, casus iste est impossibilis & non est admittendus ullo modo. Quia sicut filius Dei Jesus Christus naturam humanam, quam semel assumsit, nunquam dimisit, sic ecclesiam sanctam Catholicam, quam supra petram ædificavit, & in suam sponsam sumsit nunquam dimisit, nec divortiavit, quinimo semper cum ea fuit, & suam sanctitatem casto pudore custodivit, 24. q. 1. *in c. Loquitur*, ipso dicente: *Ecce ego vobiscum sum &c.* Quod verbum evangelii si non esset verum, omnes Christiani essent in peccato mortali collective. Et ita ille casus nullo modò est admittendus.

Concluditur ergò evidenter ex præmissis, quod *non requiritur* assistentia vel *præsentia Romani Pontificis*, seu *aliorum Prælatorum*, in omnibus, in generalibus conciliis. Quia non dicit decretum in præteritis conciliis, quod interfuerit in multis ex eis Romanus Papa vel alii Prælati, sed sufficit, ut dictum est, quod sint in eis *aliqui* Patres & Doctores, & *aliqui* viri ecclesiastici & seculares, qui alios repræsentent universaliter Christianos, & approbent & reforment, ut dictum est.

Quartum notabile ex prædictis conciliis sequitur, & est, quod, nisi in statuendis decretis Concilii generalis esset inter patres & assistentes concilii aliqua discordia seu differentia, quòd tunc concilium potest etiam unum patrem, unum Episcopum, & unum Doctorem seu bonum virum eligere, qui illa decreta statuenda valeat ordinare, facere, & disponere & auctorizare. De quo consensu concilii generalis patet hoc notabile. Quia dicitur in præteritis conciliis, fuit talis synodus sexaginta patrum, qui tot canones instituerunt, quorum fuit episcopus talis vel talis. Igitur &c.

Concluditur ergò *quinta pars hujus tractatus*, qui vocatur *Gubernaculum conciliorum*, quod maxima est *his temporibus* necessitas convocandi, & congregandi, ac continuandi generalia concilia, & præsertim *propter reformationem ecclesiæ in capite & in membris*, & propter illa sex superius dicta finienda & perficienda.

PARS VI.

Qui habeant in conciliis præsidere & definire.

CAP. I.

Sententia illorum, qui solis Episcopis tribuunt jus suffragii in Conciliis.

SExta pars hujus tractatus quærit & investigat, *qui* sint illi patres, qui ad Concilium venientes *debent in eo præsidere, definire* & *determinare* & vocem habere in eo.

Ista quæstio à me paupere Doctore quærebatur. Cui interrogationi cum timore & tremore respondendo dixi: Quod *triplicem* considerationem & *opinionem* secundum diversos Doctores in eorum libris inveni.

Prima opinio dicit, quòd soli Episcopi, Archiepiscopi, Patriarchæ, cum ipso Romano Papa debent voces definitivas in conciliis habere, & decreta statuere & determinare.

Alii dicunt de secunda opinione, quod solus Papa cum Cardinalibus suis debent in

in conciliis definire, statuere & ordinare.

Alii de tertia opinione, quæ communior est, dicunt, quòd non solum Papa cum Cardinalibus, Patriarchis, ArchiEpiscopis, Episcopis, sed etiam Abbates, & in dignitatibus constituti & quicunq; Curati & presbyteri & clerici ac laici quicunque, debent in sacris conciliis definire, determinare, statuere, ordinare, voces suas dare, ecclesiam catholicam & apostolicam in membris & in capite seu capitibus ejusdem reformare, & omnia necessaria disponere.

Primi de *prima opinione* probant suam intentionem multipliciter ex scripturis, & ex canonibus sanctis, & ex consvetudine, & ratione, ac generalibus conciliis præteritis. *Dicunt* enim primò, opinionem ipsorum esse legitimam & justam.

Et ex *scripturis* probant, primò exemplo legis antiquæ, in qua Deus mandavit Mosi & Aaroni fratri suo, dicens: *Provide tibi ex omni populo tuo viros prudentes & sapientes, in quibus Dei spiritus inhabitet, qui populum debeant judicare & regere. Et electi sunt septuaginta duo viri ad judicandum populum.* Per quos quidem significantur duntaxat Episcopi & eorum superiores, qui super alios debent intendere, & eos arguere & obsecrare & increpare, ut scribit apostolus ad Timotheum.

Etiam in N.T. videtur Christus Deus, Jesus noster hoc voluisse, quod in sacris generalibus conciliis Episcopi & eorum superiores alios debeant reformare, judicare, definire & determinare. Unde ipse, quærente Petro ab eo: *Domine, ecce nos reliquimus omnia &c.* Respondit Jesus Deus noster, & dixit: *Amen, dico vobis, quòd vos, qui reliquistis omnia &c.* Ergò, si in generali concilio debent apostoli judicare cum Christo totum mundum, Episcopi, qui succedunt apostolis, debent judicare & definire in concilio generali. Et quod ipsi episcopi succedant in loco apostolorum in universali ecclesia, patet per *Anacletum, 21. dist. c. In novo testamento.* Et sic de Apostolis cantatur in Dei ecclesia: *Vos secli justi judices, & vera mundi lumina.* Ita hi asserunt, quod soli episcopi præsidere debent in conciliis & definire conciliorum statuta.

Item illi soli debent in conciliis præsidere, voces habere & definire, qui possunt ligare & solvere. Sed solis apostolis, quorum loco surrexerunt episcopi, dictum est *Matth. IX. Quæcunq; ligaveris super terram, erunt ligata & in cælis, & quæcunque solveris &c.* Ergò soli episcopi debent in generalibus conciliis determinare, reformare, statuere, ordinare ecclesiam in capite & in membris.

Item probatur ex canonibus & sanctis Doctoribus hæc opinio. Quia Innocentius *in c. Grave, Extra. De prabendis*, quærens qui sunt illi, qui sunt VOCALES *in conciliis generalibus*, dicit, quòd soli *Episcopi* habeant *vocem definitivam* in conciliis generalibus, & quicunque alii ibidem existentes habeant vocem expositivam, uti querelas suas ibi proponant, & justitiam suam prosequantur. Unde secundum eum & Doctores præcipuos Juris Canonici in generali concilio est *vox* quædam *definitiva*, quæ habet votum & vocalitatem definiendi & statuendi: Et est ibi *vox consultiva*, quam habent Doctores & literati viri, præsertim instructi in jure divino & Canonico, & in institutis ecclesiasticis. Et illos audire in conciliis opportunissimum est. Tamen eorum sequi consilium illi, qui vocem habent definitivam, non tenentur. Quia iste, qui habet agere cum aliorum consilio, illud non tenetur sequi, *Extra. De Electione. Cum in veteri, & De Archiep. Cum olim.* Et est ibidem vox *expositiva*, quæ est omnium ibidem existentium indistinctè, qui querelas & causas litigiosas habent, vel exponunt aliqua, aut dicunt *Advisamenta* nonnulla, super quibus petunt per concilium provideri. Isti autem nec habent vocem in definiendo, nec in consulendo, sed factis eorum expositis, verbis vel scriptis, habent à concilio discedere, & soli definitores & consultores remanere. Non enim vocatur generale concilium respectu personarum, ut omnes in illo intersint, ut dictum est, sed respectu regionum & nationum: Quia de

omni

omni parte debent aliqui ibi esse, verè, vel repræsentativè, vel approbativè. Etiam dicitur generale ad differentiam provincialium & episcopalium, in quibus non agitur nisi de negotiis unius provinciæ vel diœceseos, in hoc autem de negotiis omnium provinciarum ipsius orbis. Restat ergo concludendum, solos episcopos & eis superiores, habere vocem definitivam in generalibus conciliis, & superiores intellige patriarchas, Primates, Archiepiscopos, ac summum Pontificem. Quia omnes tales sunt Episcopi consecrati. Et papa se etiam vocat episcopum in suis literis apostolicis. Ergo omnes tales in quantum episcopi, habent vocem definitivam & constitutivam in sacris conciliis.

Et sic dico de Dominis *Cardinalibus*, qui sunt *Episcopi*, ex quo pares sunt in ordine & in aliis, quod Episcopi in conciliis, inspecto tempore eorum consecrationis, & attentis ipsorum dignitatibus & prærogativis, habent voces definitivas & determinativas tam quoad sedem, quam quoad votorum emissionem, quam etiam ad quamcunque subscriptionem.

Dominos autem *Cardinales Presbyteros & Diaconos*, cum protestatione fateor ex antiquo usu esse ad voces & vota & subscriptiones ac loca & deputationes admittendos, & recipiendos, licet inferiores sint ipsis *Episcopis dignitate & ordine*, ut dicit *textus* & *glossa* 2.q.6. *Quanquam*.

Vel potest dici, quod debent admitti in conciliis *Cardinales*, qui *non* sunt *episcopi*, ad assistentiam & accessum, seu ad consilium tantùm, ut infrà dicetur de Abbatibus, Quia jus divinum, naturale & incommutabile corrumpi non potest, nisi de facto, seu usurpatione, seu tolerantia.

Et quod ista *vox definitiva & constitutiva ad solos Episcopos* pertineat, probat *textus* expresse *de consecr. dist. c. Placuit ergo* Ubi habetur in ipso decreto, condito per Episcopos in concilio, quod, quicunque asserit, quod Adam, si non peccasset, etiam fuisset morti abnoxius, anathema sit. *Hoc* enim *decreverunt*, inquit textus, & *constituerunt & determinaverunt Episcopi.* Ergo tunc aut ad eos solos Episcopos pertinebat, (habeo propositum) aut non. Et tunc aliis non constituentibus & decernentibus decretum nullum fuit. Sed tamen ibi ponitur pro validissimis decreto & facultate juris.

Etiam, quod *soli Episcopi* debeant voces habere definitivas in sacris conciliis generalibus, *tertio probatur*, ex *antiqua consuetudine*, quæ est legum & jurium optima interpres. *Usq;* enim *ad tempora generalis concilii Pisani*, quod fuit *anno Domini MCCCCIX.* vel quasi, in quo fuit *electus*, illa splendens in scientia lucerna, *Petrus de Candia* de ordine minorum, *sacræ Theologiæ profundissimus Magister*, pro tunc *Cardinalis*, *vocatus Alexander* Papa V., semper in conciliis generalibus fuit consuetum, quod soli episcopi & eorum superiores haberent voces definitivas. De alio autem quocunque nullus intererat, nec miscebatur, saltem quoad definiendum, & statuendum. Quod luce clarius patet primò de quatuor conciliis apostolorum primo dictis, per quæ clarissime patet, quod Apostoli, qui soli erant episcopi, convocabant multitudinem credentium, qui convenerant in unum, & non petebatur decisio à multitudine, sed solum ab apostolis & senioribus. Quod manifestius etiam patet *Actor. XV.* Ubi etiam discussionem votorum & constitutionem decretorum soli apostoli & seniores habebant & loquebantur & definiebant, ut patet ibidem per epistolam missam Antiochiam, in qua dicitur: *Apostoli & seniores fratres his, qui sunt Antiochiæ* &c. Ipsi autem apostoli, qui erant episcopi, auctoritatem præstabant suis conciliis, & non inferiores, nec multitudo credentium, quæ ibidem convenerat.

Quoad inferiores nullo modo pertinuit suas voces dare in conciliis, nisi ut dictum est, per modum consultationis seu assistentiæ, vel alia de causa. Qui autem fuerunt episcopi & sacerdotes, qui in hoc apostolis admixti narrantur, constat illos esse & fuisse episcopos & non alios.

Probatur. Nomina enim, Episcopi, Presbyteri, Seniores, & majores, nota sunt, & erant tunc synonyma. De hoc habes expressum textum, *Tit. 1.* Ubi Paulus scribens Tito, inquit: *Reliqui te Cretæ, ut ea, quæ desunt, corrigas, & constituas per civitates presbyteros, sicut ego tibi disposui.*

Constat ergo, quod per civitates non constituantur simplices sacerdotes, sed in *particularibus Parochiis.* *In civitatibus* autem Archiepiscopi, episcopi, primatesque per apostolos & eorum successores positi sunt, secundum urbium & civitatum excellentiam auctoritatem & magnitudinem. *In castellis* verò & locis *particularibus* nunquam fuerunt positi Episcopi, neque poni debuerunt, sed Curati inferiores. Ut manifeste habetur hoc 80. *distin. c. Urbes, & c. In illis, & Episcopi, & per totam distinctionem.* Unde *Hieronymus ad Evandrum,* & habetur 93. *distinct. c. Legimus, eosdem* esse *Episcopos* quos scriptura *Presbyteros* nominavit. Nomen etiam *seniorum* synonymum est cum illis. Quod satis probat textus primò allegatus Actor. XV. Quia cum iste primo dixisset, Paulum & Barnabam pro determinatione quæstionis præcedentis venisse ad apostolos & Presbyteros, causa determinationis fiendæ, textus ille vocat eos, scilicet apostolos & presbyteros, Seniores, quantum ad causæ discussionem & sententiæ prolationem. Quos primo vocaverat Presbyteros, & etiam quos hic textus vocat Presbyteros & seniores, Paulus vocat *majores natu ecclesiæ,* ut habetur *Actor. XX.* Et de hoc est textus cum *glossa in Tribue, 23. dist. §. His igitur, ubi textus Isidori, libro de vita clericorum,* docens generaliter inferiores, qualiter se debeant habere ad Episcopos, ubi inquit: *Senioribus quoque præbeant debitam obedientiam, neque jactantiæ studio semet ipsos* attollant: *Et glossa* ibi: *Senioribus, id est Prælatis. Et alia glossa habet: Episcopis,* quod idem est. Quia, licet aliqui gradus sint in ecclesia inferiores, qui Prælatorum nomine nuncupantur, aliquando etiam abusive scribantur, episcopi tamen superiores eis sunt absolute, & proprie *Prælati,* quasi *præ aliis lati.* Cum enim soli Episcopi, & non alii, habeant certum eis decretum terminum, & diœcesin limitatam, infra quam de jure, *tam* ex primaria institutione ecclesiæ subditi constituti sunt, & immediate subjecti sunt ipsis episcopis, in omni jurisdictione spirituali contenti, *quam* ex justitia: Et nullus alius eis inferior habet hoc: Ergo illi & nulli alii sunt vere Prælati, nisi dicam abusive & ex consuetudine. Et ideò Episcopi sunt ordinarii, nedum respectu personarum, sed etiam territorii deputati. Ad quod facit lex *ff de Verborum Signific. L. Populus contra territorium.*

Præterea textus iste *Act. XV.* loquens de senioribus, non potest intelligi de Abbatibus, nec aliis inferioribus ipsis Episcopis. Quia eo tempore non erant aliquæ religiones, quæ post longo tempore supervenerunt. Et ideo dictum textum & glossam oportet intelligi de ipsis episcopis.

Ex quo concluditur, quod in illis conciliis quatuor apostolorum supradictis ipsi *Apostoli,* qui erant *episcopi,* & alii episcopi facti per diversa loca, judicaverunt cum ipsis apostolis, & habuerunt vocem in conciliis.

Item probatur hoc, quod soli episcopi habent voces definitivas in conciliis *ex consuetudine illorum triginta duorum conciliorum,* superius scriptorum, In quibus fuit consuetum, si bene inspiciantur, quod *soli Episcopi præfuerunt, judicaverunt & determinaverunt* in conciliis, & voces & vota habuerunt.

Nam in *primo* concilio Niceno, celebrato tempore Sylvestri Papæ, fuerunt *ducenti & viginti quatuor* episcopi congregati, qui illud sacrum concilium celebraverunt, & hæresin Arrii exstirpaverunt & condemnaverunt. Et prout recitatur *in libro conciliorum,* Papa tunc Sylvester posuit omnes hos Episcopos quasi Coepiscopos & conjudices in sinu suo. Quod intelligendum est infra quendam habitum, quem nulli alteri fas erat esse. Imperator vero Constantinus sedebat ex opposito. Et presbyteri Romani, Diaconi, & ceteri, & etiam clerus Romanus (Quia tunc sic vocabatur

batur clerus, undecunqve eſſet) erant extra ambitum, ſtantes penes & retro epiſcopos, ſedentes ex eis aliqui. Qui autem eſſent illi *presbyteri Romani*, dixerunt mihi aliqui Cardinales, ubi fuit *factus ille tractatus*, qui vocatur *Gubernaculum conciliorum*, quod tunc Presbyteri & Diaconi Romani erant Cardinales, licet tunc illo nomine non vocarentur. Sed ſalvâ reverentia eorum hoc, ut ponitur, non poteſt eſſe verum. Quia ante tempora illa erant Cardinales ut ponit *Chronica Martiniana*. Et ideo Cardinales non erant ante illud concilium, ſaltem per ſex annos.

Sed tamen, ad quid fuerunt illi Cardinales inſtituti? Concordant omnes Chronicæ, quod fuerint inſtituti ad baptizandum noviter venientes ad fidem, & ad ſepeliendum fideles Chriſtianos, qui moriebantur in urbe, vel martyrizabantur pro Chriſto. Nec unquam legi in aliquo libro authentico, aut apud aliquos hiſtoriographos aliam *inſtitutionem* factam *de Cardinalibus* niſi illam.

Quod autem nunc *habent aſſiſtentiam Papæ* & prærogativas, quibus utuntur, non memini me legiſſe niſi *de electione Papæ, 23. diſt. c. In nomine Domini.* Alias tunc prærogativas habent *per modum tolerantiæ, & non per modum inſtitutionis*, ab eccleſia factæ.

Si ergò in illo concilio *erant Cardinales* illi Presbyteri & Diaconi, qui *ſtabant retro Epiſcopos*, conſtat, quod illi non præſidebant, nec erant intra ſinum Papæ ſed ſoli Epiſcopi. Si autem *non erant Cardinales*, dicatur mihi, ſi tunc illi Cardinales, qui tunc erant facti per Marcellum, erant ejusdem prærogativæ & dignitatis ſicut ſunt iſti, qui nunc ſunt, vel diſſimilis prærogativæ & dignitatis? Et ſi diſſimilis, *quis fuit ille Papa, qui ſtatum Cardinalium nunc in Romana curia exiſtentium inſtituit?* Sed de hoc dicam alibi.

Dicam tamen breviter, quod, licet ipſorum prærogativæ ſuper omnes Patriarchas & Prælatos non inveniantur ſcriptæ, tamen rationabiliter ſuper alios debent in Dei eccleſia præeminere. Quia cum ſint in poſſeſſione eligendi Papam, ut patet *de electione, Libet, & eodem titulo, Niſi periculum*, *L. 6.* Per conſequens ad eos ſpectant omnia, quæ ſunt ad electionem conſequentia, ut notatur *De electione, Præſente, & c. Cupientes. & §. Ad hoc, & §. Si non, L. VI. & 65. diſt. c. finali.*

Ergò, ſi ad electionem *Papæ conſequentia* ſunt, *Dei eccleſiam & populum Chriſtianum reformare*, decorare, fidemque Chriſti exaltare & defendere, ac gubernare: Et *talia ſpectant ad Cardinales*: Meritò ergò ſunt honorandi.

Item, quia in his, quæ concernunt electionem Papæ & gubernaculum Eccleſiæ, Collegium Cardinalium repræpræſentat univerſalem eccleſiam, quando non tenetur concilium, & ejus vice funguntur, 97. *diſt. c. Nullus, & in gloſſa*: Ergò meritò ſuper alios paſtores habent ſuas prærogativas.

Item ſedes Apoſtolica cenſetur eſſe eccleſia Romana, quæ Romana eccleſia non cenſetur eſſe ſolus Papa, ſed ipſa eſt ipſe Papa cum Cardinalibus ſuis, qui ſunt pars corporis Papæ, ſeu Eccleſiæ apoſtolicæ, quæ conſtituitur ex Papa, tanquam ex capite, & ex Cardinalibus, tanquam ex membris, *arg. 6. q. 1. Verum ubi quisquis, & De pœnis L. 6. c. Felicis, & Novæ laudis, De celebratione miſſæ. Clem.* 45. Ergò, ſi caput debet honorari, revereri & timeri ac diligi, ſua membra modo conſimili. Sed de hoc dicam alia, ſi vixero.

Conſtat ergò, quod *in* iſto *concilio Niceno nulli alii quam epiſcopi judicarunt*, & per Epiſcopos fuit definitum, ut habetur *in dicto c. Canones, 15. diſt. c. Per hanc.* Ubi dicitur: Contra regulam trecentorum patrum, qui hoc in concilio Niceno ſtatuerunt. Ex quo ſequitur, quod, ſi alii, quam Epiſcopi cum eis ſtatuiſſent hoc decretum, dixiſſent.

Item probatur, quod in aliis ſeptem conciliis ſuperius dictis, & de quibus tractatur *16. diſt. Sancta*, & etiam de aliis octo conciliis, tentis in partibus orientis, quæ recitat *Gratianus, 16. diſt. c. Sexta*, ſoli Epiſcopi præfuerunt & definiverunt.

Tamen eſt verum, quod *in aliquibus conciliis*, tentis in Oriente, tunc poſt legi, aliquando interfuiſſe *Presbyteros & Dia-*

Diaconi Romanos, & *ſub titulis, quos nunc tenent Cardinales.* Et ego aliquos *Epiſcopos* legi fuiſſe *ſub titulis, quos hodie tenent Cardinales* qui ſunt epiſcopi.

Et in illis conciliis generalibus iſte ordo ſedendi & ſubſcribendi ſervabatur, ac tentus fuit. Si Papa erat præſens in eis, ipſe præſidebat. Ipſo verò abſente, ſedebat primus, & præſidebat antiquior epiſcopus, etiamſi non eſſet Cardinalis, & poſt illum Legati Papæ miſſi pro eo ad concilium. Et conſequenter omnes epiſcopi ſedebant, ſecundum prioritatem conſecrationis. Tamen Primatibus & Archiepiſcopis ſemper ſuper epiſcopos datus fuit locus ſuperior. Et ſi ibi erat aliquis Cardinalis, qui eſſet Epiſcopus conſecratus, nullo habito reſpectu ad ſuum Cardinalatum, ſedebat in loco ſuo, & ſubſcribebat ſecundum ordinem ſuæ promotionis, ſeu conſecrationis. Poſt autem omnes Epiſcopos & ad partem ſedebant & ſubſcribebant Domini Presbyteri Romani, & poſt Diaconi Romani, qui erant ſub illis titulis, quos nunc habent Domini Cardinales Presbyteri, & Diaconi. De alio autem ſtatu quocunque nullus intererat, nec miſcebatur, ſaltem quoad definiendum vel ſtatuendum.

Et poſſet etiam dici, quod *Presbyteri & Diaconi Cardinales admittebantur ad quandam aſſiſtentiam*, & non ad definiendum. *Nec* propter hoc *erant vocales*, ſicut dicebatur, quod in electione Papæ clerus & populus ad conſenſum novæ electionis conſidebant, & non ad eligendum, 23. *diſt. c. In nomine Domini.*

Ergo *ille modus* eſt *inviolabiliter obſervandus* in conciliis generalibus, ſicut fuit in illis ſervatus, *quod ſoli Epiſcopi habeant voces in conciliis.* Quia hæc poteſtas ſolis apoſtolis, eorumque ſucceſſoribus jure divino & immutabili collata eſt. Nec in contrarium valet, etiam ſedis apoſtolicæ ſeu generalis concilii auctoritatem immutare ſeu definire. Imo debent ſtare in terminis, quos poſuerunt nobis patres, 21. *q.* 1. *c. Contra ſtatuta, & c. Quod quidam, & c. Ad perpetuam.* & in multis aliis juribus & decretis.

Item probatur articulus iſte, quod ſoli Epiſcopi debent in generalibus conciliis voces habere, de conſuetudine. Quod clarius luce patet in illis aliis 16. conciliis generalibus tentis in occidente, de quibus dictum eſt ſupra. In quibus dicitur per Gratianum: *In tali concilio fuerunt tot patres, qui fecerunt canones tot, & in concilio tali fuerunt tot patres, qui* fecerunt canones tot. Et ſic de aliis conciliis. Conſtat autem, quòd illi patres non erant alii, quàm Epiſcopi & ſuperiores eorum, qui ibidem definiebant & voces habebant, licet in eis fuiſſent pauci epiſcopi; Et quod illa fuerunt generalia concilia, licet per paucos tenta, probatur per principium capituli, ubi proteſtatur, ſe loqui de conciliis generalibus.

Item patet clarius ex alio. Quia ſi *provincialia* fuiſſent, non interfuiſſent niſi ſuffraganei loci vel provinciæ. Nulla autem eccleſia ibidem nominata habet tot ſuffraganeos, quod ibi fuerunt epiſcopi. Et ſi fuiſſent *ſynodalia* concilia, ſolus Epiſcopus illius civitatis ibi fuiſſet.

Etiam hæc opinio, quòd ſoli Epiſcopi habent & habere debent voces in generalibus conciliis, per patres antiquos noſtros tentis, tam in Oriente quam in Occidente, ut prædictum eſt, *usq; ad tempora concilii Piſani*, per Cardinales convocati duntaxat, qui recedebant ab illis, qui ſe gerebant pro Romanis Pontificibus, ſcilicet Domino *Gregorio XII*, & Domino *Benedicto XIII.* ſic in ſuis obedientiis nominati, qui nolebant renunciare juri Papatus, ſi quod habebant, propter faciendam unionem in Dei eccleſia, & *ſcandalizabant populum Chriſtianum* propter eorum ſchiſma. Sed *de hoc ſcripſi alias.*

Sed ultimo probatur ille articulus ex ratione. Ratio enim naturalis, quæ eſt quaſi jus naturale, dictat, quod majores dignitate & ſapientiâ debent aliis præſidere, conſulere & ipſos docere. Conſtat autem, quod nihil eſt honorabilius in Dei Eccleſia, quam *epiſcopatus*, ut dicit Decretum. Interim, quod Papa non vocat ſe Patriarcham, non

Archi-

ArchiEpiscopum, nisi solùm *Episcopum*, servum servorum Dei. Ergò ad solos Episcopos, qui sunt in ecclesia Dei honorabiliores, pertinet in conciliis habere voces.

Et sic Apostoli usi sunt, qui fuerunt patres nostri, & Doctores, ut dictum est, quorum actio nostra est instructio, præsertim, cum ipsi repleti spiritu sancto nil in suis conciliis facere poterant, nisi quod spiritus sanctus inspirabat illis; *2. Petr. I. Spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines.* Ergò rationabiliter videtur, ex quo fuerunt patres nostri, nos eorum filii sequamur eorum actiones & opera, dicente psalmo: *Pro patribus tuis nati sunt tibi filii* &c. Ergo soli episcopi, qui sunt Principes super omnem terram, & succedunt apostolis, *dist. 21. In novo*, debent esse vocales in conciliis.

Etiam Paulus, vas electionis, Doctor gentium præcipuus, rationabiliter nos instruxit, & docuit rationabiliter, sic esse debere, *Actor. XX.* Ubi habetur diffusè, quod Paulus, vocatis quibusdam Episcopis sibi nominatis, qui fuerant de discipulis Christi pro majori parte ad ordinem episcopatus promoti, multo & longo sermone, de fide & moribus ecclesiasticis cum eis contulit, & ipsis adductis Miletum, convocatisque ceteris majoribus natu ecclesiæ, quos Seniores *Actor. IX.* & Presbyteros nominaverat, qui tunc erant Episcopi: Et idem, cum episcopis, ut dictum est, protracto cum eis longo sermone, admonendo eos, qualiter se deberent habere ad plebes eis commissas, pro conclusione dixit eis formaliter hæc verba: *Cavete vobis & universo gregi, in quos vos posuit spiritus sanctus regere ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo &c.* Et si notentur hæc verba, videbitur clarè, quod loquebatur solum *Episcopis*, licet secum erant, qui vocabantur *presbyteri & majores natu*, qui erant iidem cum Episcopis. Licet septem is nominavit episcopos, tamen alios omnes nominavit sub aliis nominibus appellativis; & tamen omnes erant Episcopi. Etiam reddidit eos attentos, & consuluit, ut sibi ipsis & gregi eis commisso prospiciant, quia hoc est officium cujuslibet episcopi, ut habetur *Hebr. V.* Ubi dicitur: *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus &c. Et propterea debet, quemadmodum pro populo, ita etiam pro semetipso offerre pro peccatis.*

Sed attendatur conditio Papæ pro quo debeat exorare: Quia pro grege. Ergò omnes, qui sunt sub isto, grex dicuntur, & ipse est solus pastor. Quanta autem sit differentia inter gregem & pastorem, ad sensum percipitur. Quia ad vocem pastoris singulæ oves gregis ducuntur, pascuntur & reguntur. Sic spiritualiter attribuitur *Episcopo*, ad cujus vocem grex suus & subditi sui reguntur, pascuntur & ducuntur. Ergò vocales in conciliis debent esse episcopi, qui sunt duces & rectores aliorum.

Cum ergò in regiminis Ecclesiæ auctoritate istud videatur esse principium, posse condere statuta ecclesiæ, & promulgare, ac contra, inobedientes mucrone spirituali percutere, quia jus condere propriè ad Principem pertinet: Ergò istud regimen datum est *episcopis* præsentibus in generali concilio, non ut personis singularibus, sed ut cœtui episcoporum pro generali concilio congregato, in quo jura constitui, vel instituta tolli, vel immutari, eis facultas est. Quod non licet facere in conciliis provincialibus vel Episcopalibus, ut habetur *18. dist. c. episcoporum.* Si ergò alii inferiores episcopis haberent vocem definitivam in generalibus conciliis, regerent, & non regerentur, nec essent ibi, ut grex, sed potestate simili cum pastoribus, nec aliquis esset ibi inferior episcopo. Quod videtur negandum. Quia spiritus sanctus, quo reguntur concilia, totius ecclesiæ regimen super ceteros de ecclesia, episcopis, qui succedunt loco apostolorum commisit, dicente Christo Joh. XXI. ipsis Apostolis Episcopis: *Accipite spiritum sanctum &c. Quorum &c.*

Etiam quod ipsi Episcopi debent majori præcellentia in conciliis quam ceteri gaudere, patet ex dicto Christi *Matth. V.* ubi dixit apostolis, quibus succedunt episcopi: *Vos estis sal terræ, & vos estis qui habetis sapientiam, quæ per sal signi-*

ſpecificantur, in paſcendo gregem in doctrina, & in corripiendo in diſciplina. Vos eſtis lux mundi, ſcilicet lux ſcientiæ, quæ alios docetis lumine doctrinæ, quia talem ſcientiam debetis habere. Mal. 2. Labia ſacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem ejus Dominus requirit.

Et ſi dicis: Noſtri Epiſcopi moderni non ſunt vere ſapientes aut ſcientes, imò pro majori parte ignari & idiotæ, Ergò has voces non debent habere: Reſpondeo, quod *indignitas miniſtri non minuit auctoritatem miniſterii*, uti patet per Doctores. Et Chriſtus dixit de eis: *Omnia quæcunq; dixerint vobis, facite, ſecundum vero opera eorum nolite facere, Matth. XXIII.* Et tamen conſtabat, illos notoriè eſſe malos. Ergò dato, quod ipſi epiſcopi ſint mali & ignari, non tamen propter hoc perdunt auctoritatem miniſterii & officii, quin in conciliis poſſint eſſe vocales & fieri; Nec ab interioribus poſſunt accuſari, vel reprehendi, tamen poterunt per concilium reformari, quia à Deo ſolo ſunt judicandi. Et quod oves ſuum paſtorem reprehendere non poſſint, niſi in caſu quô deviaret à fide, patet *2. q. 7. c. 1. & c. oves, & c. accuſatio.* Sed hoc intelligitur quod oves ſingulariter & particulariter non poſſint ſuum paſtorem reprehendere aut accuſare, ſed bene univerſaliter & in univerſali concilio congregatæ. Quia vox populi, vox Dei. Ergò rationabiliter in conciliis debent præſidere & eſſe vocales epiſcopi.

Item rationabiliter debent in conciliis præſidere & eſſe vocales: Quia non ſolum ſunt apoſtoli ſed etiam apoſtolorum ſucceſſores. 21. *diſt. In novo, & c. Dominus noſter.* Sicut ergò apoſtoli duntaxat habuerunt voces in ipſis generalibus conciliis, ſic & epiſcopi, qui eis ſuccedunt.

Item meritò ſunt honorandi, ac vocales & definitores debent eſſe in conciliis, quia ſunt Dei Jeſu Chriſti Vicarii, & non ſolum dicuntur gerere, ſed etiam habere, dicit *Ambroſius 33. q. 5. c. mulier.* Ergò qui ipſos ſpernit, Chriſtum ſpernit, qui ipſos audit, Chriſtum audit. Multò ergò magis ſunt audiendi in conciliis, & debent eſſe tantummodo Epiſcopi vocales.

Item ratione probatur, quòd epiſcopi ſolum debent eſſe vocales in conciliis, & Prælati eſſe, exiſtentibus ibidem aliis: Quia ipſi ſunt columnæ ſanctæ Eccleſiæ Dei, & ſunt legati Domini Dei, Jeſu Chriſti, pro quo funguntur ipſi legatione. Et injuria ipſis facta ad Chriſtum pertinet, *2. q. 7. c. accuſatio.*

Etiam *textus Decretorum vocat epiſcopos oculos Dei, qui debent videre & regere eccleſiam ſuam*, ut expreſſe ex auditu proprio refert *B. Clemens ad B. Jacobum Epiſcopum Hieroſolymitanum*, quæ verba recitat *Pius 6. q. 1. c. Quis paſtorem.* Etiam ibi ponitur, quod à ſolo Deo ſint judicandi. Etiam quidam *textus Decretorum, 96. diſt. c. Satis*, vocat quemlibet epiſcopum Deum. *Etiam in Clementina de pœnis*, circa finem, multa dicuntur de epiſcopis & eorum proprietatibus, & denominationibus, & auctoritate eis data etiam tanquam patribus ſuperioribus. Plura etiam habentur jura civilia, & Imperatores etiam orthodoxi in tanta reverentia habuerunt Epiſcopos, ut eos nedum ſanctos, ſed ſanctiſſimos appellent, uti patet *in authentica de ſanctiſſimis Epiſcopis, in rubro & nigro, collectione 9.*

Si ergò epiſcopi ſunt tales, ut dictum, & tot prærogativis gaudent in Dei eccleſia ſuper omnes alios clericos & eccleſiaſticos; Meritò ergò & rationabiliter debent ipſi ſoli Epiſcopi judicare & definire, ac voces habere in conciliis generalibus.

Et ſi aliqui eorum epiſcoporum tales non ſint, quales eſſe debent, attende, quod Chriſtus Judam, quem ſciebat eſſe furem pro tunc, etiam ipſum proditorem, nedum officio Apoſtolatus & prædicationis uti permiſit, ſed etiam ad prædicandum cum aliis miſit, & ei ſeipſum in ſacramento euchariſtiæ dedit, ut habetur *7. q. 1. c. Adverſitas, §. Cum autem.*

Nec ſit mirum, quòd ſoli Epiſcopi debent voces habere in concilio & definire. Quia, ut dictum eſt, nedum ſucceſſerunt in loco apoſtolorum, juxta *c. In novo, diſt. 21.* Imò *textus decreti vocat eos apoſtolos, 93. diſt. Dominus noſter.* Si ergò abſolutè vocantur apoſtoli, & ſucce-

succedunt apostolis, & apostoli judicabant Ecclesiam, ergò soli episcopi, qui sunt apostoli, habent regere & judicare gregem Domini, cui præsunt, & definire, quæ in conciliis tractanda sunt, etiam cum *pares* sint, *quantum ad clavium potestatem cum ipso Papa*, ut expressè duo textus evangelici videntur dicere, *Matth. XVI. & XVIII. dist. 21. In novo.* Concluditur ergò pro ista *prima opinione*, quod soli Episcopi in generalibus conciliis debent definire, statuere & voces habere.

Sed numquid *Abbates, & Prælati*, ac in dignitatibus aliis constituti, possunt *in sacris conciliis voces habere*, & simul cum episcopis definire? Et facit expressè *textus* ad hoc 1. *q. 7. c. Convenientibus. 2. dist. c. Ad majus*, ubi dicitur, quòd in synodo celebrata Romæ à centum quinquaginta tribus episcopis cum eis interfuerunt *Abbates & religiosi!* Respondetur pro ista opinione, ut dictum est, quod definitio & potestas in conciliis data est à Deo Jesu solis Apostolis, & episcopis in eorum locum succedentibus, quia Christus, qui promiserat nobiscum esse usque ad consummationem seculi, *Matth. ultimo!* hoc de Episcoporum ministerio necesse est intelligendum esse, cum sciret, apostolos citò morituros. Quia, ut prædictum est, David loquens in spiritu militanti ecclesiæ prophetavit, dicens *Psalm. XLIV. Pro patribus tuis nati &c.* scilicet pro Apostolicis patribus nati sunt tibi filii & nascentur, scilicet episcopi, eorum successores, ad quos solos pertinet potestas definiendi & statuendi jura ecclesiastica. Quod non intelligo singulariter, sed eis congregatis in generali concilio, in quo sunt principes cum Papa & coëpiscopi & conjudices; Qui enim non alibi, sed solum in concilio possint condere legem, eos esse principes ostendit. Nulli enim licet legem condere post translatum Imperium, nisi soli Principi. *C. de legib. L. f.*

Et est tanta potestas episcoporum in generali concilio, quod statuta & decreta ac jura per summos Pontifices constituta possunt revocare, *glossa* est *mirabilis*, ut dictum, 93. *distinct. Legimus, super verb., Major.* Et etiam est *glossa*, *q. 1. c. Aresta*. Et ideo, si Abbates & alii Prælati, & in dignitatibus constituti haberent vocem in conciliis, ad illud certè essent vocandi. Quia contemt⁹ vocandum actum faceret nullum, & etiam essent cogendi venire ad ipsum. Et tamen textus dicit, quod *Abbates* non debent cogi venire ad concilium, nec sunt vocandi, nisi ex aliqua magna & speciali causa. Sed *Archiepiscopus* vel *Episcopus* infra sex menses à tempore finiti concilii tenetur Abbatibus provinciæ vel diœceseos nunciare ea, quæ ibi facta sunt, ut ea servent, ita sunt textus, 18. *dist. c. Episcopus, & c. Decernimus.* Et quanquàm loquantur de conciliis provinciali & episcopali, multo magis est intentio textus de generali. Ergò si necesse haberent, vocandi essent & cogendi venire saltem plures ex eis. Et si haberent vocem definitivam in generali concilio, sequeretur, quod *non vocatio* eorum redderet actum nullum. Et hoc probatur *c. Ego N. Extra, De jurejurando*, ubi episcopi tenentur jurare Domino Papæ, quod vocati ad concilium ibi veniant legitimo impedimento cessante. Et hoc est, quod venire tenentur: Quia sunt conjudices & vocales. Et si Abbates essent vocales in concilio, utique textus eos jurare debere decrevisset.

Nec obstat *c. Convenientibus*, allegatum. Quia in ejus principio ille Abbas qui cum Episcopis considebat & conjudicans, erat ibi nomine Papæ, & per eum missus, ut ipsius Papæ in hoc locum tenens, ut textus expressè dicit.

Nec obstat, quod *infra in eodem c.* habetur, scilicet *religiosi monachi*. Quia ipsi ibi nil decernebant, sed quod in synodis præcedentibus factum fuerat, se servasse, ut obedientiæ filii, professi sunt, & ita ibi [illegible] de prædicta facti observatione, non juris, vel autoritatis ministerii.

Nec obstat *c. Hadrianus*, quod intelligendum est secundum præmissam distinctionem. *Quia celebrata* ibi fuit *synodus ab Episcopis definitive, & ab Abbatibus consultative*, vel secundum quod eis competebat, videlicet, quoad suas quere-

querelas, vel ea, quæ eorum tangebant regulas, vel eorum negotia [illegible] exponendo, vel circa ista providendo, supplicando vel inquirendo. Nec verbum *celebrata* ibi positum hunc tollit intellectum. Quia sæpe in jure verbum prolatum, ad diversa relatum, intelligitur proprie & improprie, secundum naturam eorum, ad quæ refertur, sicut habetur *in lege civili*, ubi dicitur: *Apud Proconsules manu mitti possunt liberi & servi.* Et tamen liberi manumitti non possunt proprie loquendo, cum in servitute non sint. Et ideò ibi *manumitti* propriè quoad servos tenetur ibidem, quia tunc à servitute per manumissionem liberantur. Sed quoad liberos, qui sunt in patris potestate, manumitti stat impropriè pro emancipari, *L. II. ff. de Offic. ProConsul. Sic* in proposito verbum *celebrata* propriè stat pro Episcopis, impropriè pro Abbatibus. Et quòd hoc sit verum, probat idem textus. Quia idem ponit de Abbatibus, & religiosis & monachis, inferioribus Abbatibus. Et tamen nulli est dubium, quod religiosi inferiores cum administrationem non habeant, nulla ratione ad definiendum & conjudicandum admitterentur. Imò nec hoc officium eis potest competere.

Probabiliter tamen dici potest, quod Domini *Abbates haberent in generalibus conciliis nedum vocem expositivam, sed etiam consultivam*, sicut aliqui Magistri in Theologia vel Doctores, in jure præsertim, haberent his diebus, quibus status eorum & administrationes sunt majores & potiores auctoritate, quam essent in ecclesia primitiva & tempore horum conditorum jurium. Et ideò, cum, ex eo, quod dictum est, potestate administrationis prælati sunt ipsi *Abbates*, de eorum scientia, conscientia & circumspectione, providentia & factorum experientia, ex quibus bene posse consulere æstimandum est.

Et ita si *in generali concilio* inveniantur sponte venisse, *admittendi* sunt, & *eorum consilium recipiendum.* Quod tamen necessario sequendum non est; quod sufficit petere, & si videatur bonum, sequi, aliàs non. Quia hoc est in potestate eorum, qui soli habent voces definitivas, ut sunt Episcopi.

Et ista est mens, imò expressa *determinatio glossæ in c. Obeuntibus*, pro contrario allegatæ. Ipsi enim ad hoc admittuntur, ut accedant ad ordinata per episcopos, non quod ista statuant, ut etiam de ipsis loquitur textus in Electione Papæ in §. *In nomine Domini, dist. 23.*

Restat ergò concludendum, *solos episcopos & eis superiores habere vocem definitivam in generalibus conciliis*: Superiores, videlicet Patriarchas, Primates, Archi-Episcopos & summum Pontificem. *Quantum verò est de Dominis Cardinalibus, qui sunt Episcopi*, pares sunt, & in ordine, & in aliis, & quoad sedem & voti emissionem & subscriptionem, cujuslibet inspecto tempore. *Dominos autem Cardinales Presbyteros & Diaconos* fateor *ex antiquo usu ecclesiæ esse admittendos*, ut dictum est, licet illi inferiores dignitate & ordine ipsis Episcopis, *textus & glossa 2. q. 6. c. Quamquam.*

Et hoc sit dictum de ista *prima opinione*, quæ vult, quod soli episcopi habeant voces definitivas in conciliis.

Cap. II.

Sententia illorum, qui soli Papæ cum Cardinalibus tribuunt jus in conciliis definiendi.

SEcunda opinio dicit, *quod solus Papa cum collegio Cardinalium* suorum debet *in sacris conciliis definire*, statuere, & præcipere, præsidere, & vocem definitivam habere, & quod jusserit, statuerit, & approbaverit, illud nunquam catholicum est tenendum [illegible] bendum & approbandum, & asserens contrarium, hæreticus esse censetur, ut probatur lucidè, 24. q. 1. c. *Hæc est fides.* Ubi dicit *Hieronymus*: *Hæc est fides, Papa beatissime, quam in ecclesia tua didici, & a te, qui vicem Petri tenes & sedem, cupio emendari, [illegible] si tu approbare volueris, & aliquis me incul-*

increpare voluerit, non se catholicum, sed hæreticum comprobat. Ergò si ipse in conciliis non haberet vocem solus, tunc certè solus non posset eam comprobare. Sed hoc est falsum, quia ipse dat auctoritatem conciliis. Non enim concilia legem Ecclesiæ Romanæ præfigunt, sed concilia per auctoritatem Papæ & ecclesiæ Romanæ facta sunt, & robur acceperunt, ut dicitur *De Electioni, c. Significasti. Et facit quod notatur de Capellis Monachorum c. Si ergò.* Sicut solus dat auctoritatem conciliis, ita ipse solus cum suis Cardinalibus potest uti voce definitiva & constitutiva in conciliis, cùm voluerit.

Item probatur, quòd solus Papa, & quos ipse voluerit, habent voces in conciliis; Quia ipse est universalis Pontifex Ecclesiæ, *cui omnes debent obedire, ut ponitur de Majoritate & Obedientia, c. Solitæ.* Et *de Translatione c. 1. & in c.* sequenti. Ergò si solus voluerit habere vocem in conciliis, & dixerit *Fiat*, obediendum est ei.

Item ad solum Papam pertinet & spectat congregare & convocare concilia, 2. *q. 7. Idem, & 5. dist. c. 1. ut* pòst dicetur inferius. Ergò ad ipsum solùm spectat vocem definitivam habere & determinativam in conciliis.

Item dist. 40. dicitur, quòd solus Papa ceteros judicat & à nemine judicatur, & nullus est, qui dicat sibi, *Cur hoc facis*; Et ipse solus ceteros Christianos, qui repræsentant universale concilium, judicat, Ergò solus definit in conciliis, vel debet definire & solus habere vocem.

Item, potestas Papæ est de jure divino, & non de jure positivo, ut notatur *De translatione, c. 1. 2. 3. & 4.* Ergò sicut in creatione mundi Deus de sua potentia dixit, & facta sunt, mandavit & creata sunt omnia corruptibilia de nihilo; Sic potest Papa in sacris conciliis definire & statuere solus, vel cum aliis, sicut sibi placuerit. Ergò Papa habet plenitudinem potestatis, *De Trans. Quantum*, Et gerit vicem Dei, *De appell. Rom. Lib. VI.* & judicando & solvendo valet, quicquid agit, 24. *dist. Quodcunque.* Ergò potest in conciliis, si vult, solus vocem habere, & solus judicare & solvere.

Item, ut dictum est superius, *Papa non recipit potestatem suam ab homine, sed a Deo*, 22. *dist. Sacrosancta*, Et est successor Petri & Vicarius veri Dei, *De Transl. c. 1. 2. 3.* Et nulla regula vel constitutio ipsum ligat, cùm non habeat imperium par in parem, & omnes causæ ad ipsum referendæ, *De Elect. Innotuit.* Sed nulla concilia ligant ipsum, sed potius ipse est super concilia, *De Elect. Significasti*, cum ibidem notatis.

Et multa talia possent allegari, quæ causa brevitatis omitto, per quæ evidenter potest patere, quod solus Papa in conciliis per se vel procuratorem suum habere debet vocem, definire & judicare.

Et quia *ista opinio* multis *Doctoribus juris canonici*, *qui Romano Pontifici placere student*, placet, ideò probationes & persuasiones ejusdem opinionis, secundæ eis relinquo, & ad tertiam opinionem venio.

Cap. III.

Sententia illorum, qui Doctoribus & Magistris & aliis quibuscunque tribuunt jus suffragii in conciliis.

Tertia opinio dicit, quod non solùm Papa & Cardinales ac eorum superiores, debent vocem habere in conciliis, imò quicunque alii, seniores & presbyteri, Doctores & Magistri, clerici, & Cappellani, Principes & nobiles, ac alii, cùm opus erit, quicunque fideles laici Christiani.

Probatur ista opinio: Quia *regula juris est, Quia illud, quod omnes tangit, ab omnibus comprobari debet.* Sed ea, quæ constituuntur in generalibus conciliis, omnes fideles generaliter tangunt, & præsertim Ecclesiasticos, Ergò ab omnibus sunt approbanda & definienda. Sed approbare & definire non possunt, nisi in conciliis voces habeant. Ergò *omnes ecclesiastici*, & quando erit necesse, *etiam ipsi laici*, habere debent voces in conciliis definitivas.

Item negotia, quæ tractantur in conciliis generalibus, tangunt totum statum ecclesiæ militantis per modum universitatis principaliter, & singulos ex consequenti, Ergò *aut* tangitur status solummodò clericalis: Et in reformatione ejusdem requiritur vox omnium ecclesiasticorum, in concilio existentium: *Aut* tangitur solùm Laicalis: Et simili modò requiritur vox omnium laicorum, seu majoris partis ipsorum, in concilio congregatorum: *Aut* tangitur status omnium Christianorúm indifferentèr: Et tunc requiritur vox omnium in concilio existentium; universaliter, tàm clericorum quàm laicorum.

Item nomen debet rei convenire, juxta illud psalmi: *Secundum nomen tuum sic et laus tua in fines terræ.* Sed concilium vocatur generale, quia de omni parte orbis debent aliqui ad ipsum convenire, ut videtur persuadere *C. Canones*, Ubi dicitur, quod de omni orbe terrarum convenerunt ad Nicenum Concilium, *dist. XV.* Ergò, cùm vocetur generale concilium, quod generaliter in eo existant de quacunque parte mundi, sic debent saltem quoad clericos habere definitivas voces.

Item ecclesia sancta catholica est ista, quæ est congregatio omnium fidelium Christianorùm sub uno Deo Jesu Christo, sub una fide, sub uno baptismo, 24. q. 1. c. *Loquitur.* Et secundum apostolum, *Omnes unum corpus sumus in Christo, singuli autem alterius membra.* Si ergò *omnes* sumus congregati in una ecclesia, & sumus invicem membra, & alter alterius debemus onera portare, secundum Apostolum, adimplendo legem Christi: Ergò nos *omnes* debemus coadunare & protegere in una sancta ecclesia catholica, Sed illam repræsentat sacrum concilium, Ergò in sacro concilio nobis ipsis consulere, nos ipsos reformare, fidem exaltare debemus; Sed hoc non possumus facere, si vocem omnes ibidem existentes non habuerimus, Ergò sequitur, quod *omnes fideles* ibidem existentes debent habere voces.

Item, qui aliqui sunt ad sacra concilia convocandi, tales debent in eis voces habere; Sed non solum viri Ecclesiastici sunt ad concilia convocandi, imò alii seculares & fideles laici: Ergò ipsi in eis debent voces habere. Patet consequentia. Et probatur antecedens per Decretum 35. q. 5. c. *Ad sedem*, post principium cum ibi annotatis. Ubi colligitur, quod vocandi sunt episcopi, & clerici ac judices: Et licet referatur ibi factum, tamen cum mysterio. Sicut ergò tunc factum est, ita nunc fieri debet. Et succedit ratio. Quia in generali concilio determinantur dubia juris, ut ibi, *& de Consanguinitate, Non debet*, Ergò debent esse jurisperiti. Et est ille textus singularis.

Etiam tres casus, in quibus etiam laici debent interesse conciliis, notantur *In his, quæ fiunt à Prælatis, c. fin. in glossa fin.* scilicet quando specialiter invitantur, vel tractantur causæ fidei vel matrimonii. Quia tales causæ eos ligant. Et per illa videtur, quod ubicunque in concilio tractantur causæ, quæ eos tangunt, debent interesse, & voces habere. *Quia* ut dictum est, *quod omnes tangit, & c. dicto c. fin.* ubi de hoc *in glossa dicta fin.* in princ. *Quod omnes, L. 6.* Et hæc congregatio appellatur concilium.

Sic enim legitur *in Actibus Apostolorum*, ut dictum est, *c. 15.* Quod cum esset seditio, sive discordia, an oporteret conversos ad fidem Christi circumcidi, quibusdam asserentibus, quod sic, aliis è contrario: Missum est ad Apostolos & presbyteros in Jerusalem, & sic convenerunt in Jerusalem Apostoli & Seniores, & facta est magna conquestio. Et illud, quod placuit apostolis & senioribus, cum omni ecclesia, fuit sancitum, & sic fuit responsum his, qui dissidebant. Ex quo exemplo colligitur, quid hodie agendum sit. Quicquid enim tunc gestum est per illos, qui spiritum sanctum miraculosè susceperant, debemus credere, quod Deo inspirante factum est, Quod etiam patet ibidem in epistola sequenti, ut dictum est superius.

Sed in hoc etiam apparet, quod licet Petrus fuerat Princeps Apostolorum, tamen plenitudo potestatis non fuit in eo solo pro tunc in omni loco. Quia, licet *Petrus* primus dixisset vo-

tum

tum suum, attamen *Jacobus Minor* nedum parilitate cum Petro in definiendo usus est, sed quadam præcipua usus est auctoritate, dicens: *Et ego judico*, quod sibi auctoritativè præripuit, quia ipse erat Archiepiscopus Ordinarius, ut habetur 66. *dist. c. Porro*. Et licet ipse *Jacobus Minor* fuisset per *Petrum & Jacobum Majorem & Johannem* in dicta ecclesia ordinatus, ut habetur *in dict. c. Porro*: Attamen detulit sibi Petrus. Quia responsio non fuit data sub persona Petri, sed congregationis concilii. Unde dictũ est in epistolâ responsionis, quæ incipit sic: *Apostoli & seniores fratres his, qui sunt Antiochiæ*. Et infra: *Visum est spiritui sancto & nobis*.

Et hinc mos antiquus habuit, quod *omnia difficilia terminabantur per sacra concilia*: Ex quorum omissione prodierunt multa mala. Quæ si congregata fuissent, ut quondam fiebat, credendum est, quod provisum esset contra pestiferam & hæreticam *simoniam* in beneficialibus, & contra *schismata & vitia, quæ sunt nunc in viris & Episcopis ac Prælatis spiritualibus & clericis*. Postea verò quidam summi *Romani Pontifices*, qui *magis ad modum terrenorum Principum, quam Apostolorum, Ecclesiam rexerunt*, non curarunt facere concilia. Ergò videtur ex superioribus, quod in sacris conciliis possunt & debent interesse clerici & laici fideles, & habere in eis voces.

Confirmatur hæc congregatio concilii *de sui natura*, sic, *ut ibi* principaliter *agatur de his, quæ spectant ad fidem catholicam, vel ad reformationem morum & virtutum in clero & in populo Christiano*. Ut si reperiantur ex catholicis errare in fide, per concilium corrigantur. Si qui verò contra jura vel decreta sanctorum Apostolorum, & sanctorum Patrum videntur facere, vel statum ecclesiasticum perturbare, & perversâ vitâ deturpare, quod tales per sacra concilia reformentur & arguantur. Sicut enim in prima Nicena synodo damnatus est Arrius, in secunda Macedonius, in tertia Nestorius, in quarta Eutychius, 15. *dist. c. 1. Sic in aliis conciliis* generalibus fuerunt multa *statuta* ordinata *pro reformatione ecclesiæ*: Fuerunt etiam multa vitia condemnata, utpote *simonia, pompæ, fornicatio, luxuria*, & alia vitia. Sed cum agitur de *fide & reformatione* ac universali *pace* universalis ecclesiæ, hoc videtur totum populum Christianum tangere. Ergò omnes saltem repræsentative debent vocari, & voces in conciliis in prædictis tribus habere.

Dicitur enim 96. *distinct.* quod *Imperator*, qui est laicus, cum agitur de fide *potest interesse* concilio, non ad pompam ostendendam, sed ad fidem confirmandam, ut ibidem dicitur, quod Principes seculi nonnunquam intra ecclesiam potestatis culmina tenent, 23. *q. 5. c. Principes*. Et sic etiam aliquando clerici & seculares; Ergò in conciliis possunt & debent habere voces.

Item Apostoli, qui sanctum symbolum composuerunt in duodecim articulis fidei, unum ex eis ediderunt, qui dicit: *Credo in unam sanctam ecclesiam Catholicam; sanctorum communionem*. Sed constat secundum fidem, quod ipsa Catholica ecclesia est fidelium congregatio, *De Consecrat. dist. 1. Ecclesia, & De bigamia, Debitum, & De Electione, Fundamenta, L. VI.* Et ipsam catholicam ecclesiam repræsentat generalis synodus, quæ est in spiritu sancto legitime congregata: Ergò ipsam synodum facient rationabiliter omnes viri catholici, vere, vel interpretativè aut repræsentative.

Cum ergò potestas universalis ecclesiæ videatur residere in ipsa tota Ecclesia, sicut dicunt Philosophi, quod regimen civitatis consistat penes congregationem civium, vel ipsius congregationis partem valentiorem, quæ sententia colligitur ab *Arist. III. Politic. c. VIII.* Et conformiter dicendum est, quod regimen orbis penes congregationem hominum totius orbis, vel ipsius partem valentiorem consistit.

Item, *regimen* universalis ecclesiæ penes universalem ecclesiam, secundum primam opinionem illorum, qui dicunt, quod potestas Papæ, quia ecclesia repræsentatur per generale concilium, consistit aliter penes concilii partem potiorem, 50. *dist. domino sancto, ad fin.* Nam si ad ipsum concilium non conveniunt omnes Catholici, tamen conveniunt ve-

vere vel repræsentative multi fideles, utpote episcopi vel Prælati, seculares & ecclesiastici. Quia ut dicit *Innocentius De Majoritate & obedientia, c. fin. In rebus & negotiis universis requiruntur rectores, vel pars idonea*, §. *De columna L. 5. & De procurator, c. f.* Ergò in ipso concilio possunt habere voces omnes viri catholici, seculares & ecclesiastici.

Item ecclesia non potest extingui, dicente Domino ad Petrum: *Ego pro te rogavi, Petre, ut non deficiat fides tua*; Et etiam non potest errare, 24. *q. 1. A recta.* Cum ergò major vel potior pars Catholicorum verè vel repræsentativè convenit ad concilium, tota ecclesia dicitur convenire. Quia quod pars major universitatis facit, tota universitas fecisse dicitur, ut notatur *De his, quæ fiunt a majori parte capituli c. 1.* Sed tota universalis ecclesia habet vocem in conciliis, aut major pars ejus: Ergò quod fit à majori parte ejusdem, seu potenti, videtur fuisse factum à tota ecclesia. Ergò hæc opinio est vera.

Item potestas ipsius ecclesiæ, secundum opinionem illorum, qui dicunt, quod omnes viri ecclesiastici sunt admittendi ad voces in generalibus conciliis, est major, ut prædictum est in tertia opinione, quàm sit potestas Papæ. Ergò potest immutare decreta & statuta, quæ dicunt, quod soli episcopi habent voces in conciliis, & definire, quod omnes clerici & laici habeant ibi voces, prout sibi placuerit. Unde licet dicatur, quod Papa habuerit plenitudinem potestatis, habet, secundum istos, sed non solus, sed tanquam caput universitatis, ita, quod ipsa potestas est in ipsa universitate, tanquam in fundamento, primariò, sed in Papa, tanquam in principali ministro, secundariò, per quem hæc potestas explicatur & exercetur, ita tamen, quod præcedat clavis discretionis, ut dicit *Innocentius De jurejurando, c. . Quanto. Et idem Innocentius De voto* exponens istud, Quodcunque ligaveris &c. *dicit: quod Papa super omnes Prælatos ecclesiæ potestatem & jurisdictionem habet de jure non de facto.* Ad idem facit, quod docat Ostiensis, *De translatione C. Quanto*, ubi dicit, quod Papa gerit vicem Dei; Et *De appellatione c. Romani, L. VI,* & judicando, solvendo, valet quicquid agit, clave non errante, 24. *q. 1. Quodcunq.* Et iste textus semper sic debet intelligi. Unde omnia de jure potest, quæ nec sunt peccata, nec descendentia à peccatis, sicut Deus omnia potest, excepto peccato; Unde *Libr. 1. Sentent. dist. 24.* dicitur: *Deum omnia posse præter ea, quibus ejus dignitas læderetur, ejusq; excellentia derogaretur.* In quo tamen non est impotens, hoc enim non esset posse, sed esset non posse, cum ipse Deus non posset facere indecens, per quod læderetur ejus excellentia, quia ex hoc peccaret, Ergo nec Papa, cum potestas est divina, *De Translat. c. 1. per totum*, potest ea, quæ sunt peccata & mala, jubere & tacere, *De pœnit. dist. 2. charitas.*

Et quod potestas sit in ipsa Ecclesia, dictum est suprà sufficienter. Quia *orbis major est urbe*, 93. *dist. Legimus.* Et ibi colligit glossa unum argumentum, quod *statutum concilii præjudicat statuto Papæ.* Et idem notatur 9. *q. 3. Nemo.* Et facit pro hoc 19. *dist. Ita dominus.* ubi dicitur, quod *Christus commisit salutem universitatis omnibus apostolis; ita tamen, quod in Petro eam principaliter collocaret.* Et nota quod *non* dicit *totaliter, sed principaliter*, ut alii non excludantur, ut sit plenitudo potestatis sic in universitate ipsorum, ut per singulos exerceatur, sed principaliter per Petrum, non tamen ita per Petrum, ut eo errante, vel publicè peccante, in simonia vel collatione beneficiorum ecclesiæ & dignitatum, vel in exercitio justitiæ aut in consimilibus, standū sit aut parendum. Unde legitur *Gal. II.* quòd *Paulus ad faciem restitit Petro, quia reprehensibilis erat, 2. q. 7c. Paulo.*

Ex his inferunt aliqui Doctores, quod plenitudo potestatis est in Papa, ita tamen, quod non erret, nec peccet publicè in dispensatione & regimine universalis Ecclesiæ, & scandalizet ecclesiam notoriè. Quia si non erret publicè, de potestatis plenitudine solus in conciliis posset judicare, & malefacta in Dei ecclesia corrigere & reformare; Sed cùm errat, hunc habet corrigere *concilium, apud quod*, ut tenetur, & dixi,

est

est plenitudo potestatis, tanquam in fundamento. Nec in hoc Papa per suas constitutiones, vel alio modo præcipere contrarium, vel contra concilium facere aliquam resistentiam potest. Quia hoc esset subvertere ecclesiam. Pro hoc est *q.* 37. Quia, ut ibi innuitur, Papa non potest immutare universalem statum ecclesiæ, 24. 1. *Memor. nota in glossa. De concessione Præbendar. c. proposuit.* Sed potius debet usque ad animam & sanguinem confirmare, 25. *q.* 1. *Sunt quidam;* Quod ibi exposuit Laurentius, scilicet usque ad omnes conatus. Et facit *dictum c. memor, & 24. q. 1. c. quæ ad perpetuam,* Quia neque potest dispensare in eo, per quod decoloratur status Ecclesiæ universalis, 2. *q.* 7. *Et si illa.* Nam ex hoc convincitur errare, *per C. Sunt quidam, prædictum, in fine.* Quæ jam notanda sunt, quia male considerata sunt per multos *adulatores*, qui, *volentes placere Pontificibus* Romanis per multa retrò acta tempora usque in hodiernum, *suaserunt & suadent* eis, *quod omnia potuerunt & possunt, sicut Deus.* Ex quo sunt secuti infiniti errores, quia Papa occupavit omnia jura inferiorum ecclesiarum, ita, quòd *inferiores Prælati* sunt *quasi Chimeræ & pro nihilo habentur* in suis diœcesibus. Et ideò nisi tantæ usurpationi & occupationi celeriter per concilia sacra succurratur, timendum est de periculo & S. Petri tribulatione naviculæ & universalis ecclesiæ. Et oportebit in conciliis tàm in præsenti Basileensi quàm in futuris limitari & determinari ita universaliter hanc potestatem Papæ secundum decreta sanctorum Patrum antiquorum, ut non subvertantur inferiores potestates, & ut Papa deinceps possit, non quod libebit, sed quod licebit. Quia B. Petrus etiam sic non administravit, ut occuparet aliorum potestatem, imò tanquam unus ex apostolis accepit partem administrationis, primùm in ecclesia Antiochena, deinde in Romana, ut ejus narrat historia, & sic benè fuit Princeps apostolorum, non tamen sibi usurpavit aliorum administrationem, nec habuit in conciliis definitivam vocem, ut dictum est in quatuor conciliis apostolorum suprà, in quo solus Jacobus minor definitivam vocem habuit & definivit.

Sicut enim *non debet excedi modus in honorando Papam vel ad*[illegible]*rando ips*[illegible]*m*; Ita *non debet modus excedi per Papam, in exercendo Papatus officium.* Ita enim Papa adorandus est, ut non adoretur tanquam Deus, nec præsumat se in terris habere æqualem potestatem cum Domino Jesu Christo. Sanctus enim Petrus non passus est à Cornelio se adorari, imò levavit Cornelium se flectentem ad pedes ejus, & dixit: *Surge, ego ipse homo sum &c. Act. X.* Et facit, De *Majorit. & obedient. His quæ, q.* 3. *& De jurejurando, c. Et si Christus, in principio.* Nusquam enim legitur, quod Christus dixerit Petro: *Do tibi omnem potestatem quæ data est mihi in cœlo & in terra.* Ergò si sua potestas est limitata ad ædificationem, & non ad destructionem, ut dicit Apostolus, sequitur ergò, quod *concilia*, quæ sunt in potestate majora, ut dictum est, *possunt pro reformatione ecclesiæ universalis admittere & recipere ad voces conciliorum definitivas tàm clericos quàm laicos*, ubi opus erit, ut factum fuit temporibus meis *in conciliis, Pisano; Constantiensi*, & nunc *Basileensi.* Quod *summè laudo*, ne sit in fide personarum acceptio, & omnium Christianorum sit unica & inviolabilis approbatio.

Et si dicis, quod limitare potestatem Papæ, est ponere legem Principi, qui est solutus lege, dico, quod *solutus est suis legibus, quas ipse fecit, non qualês sunt leges conciliorum*, quæ spiritu sancto statuuntur, & promulgantur, *sp. di. Si quis dia in princip.* Et facit, *De offic. ord.* [illegible] *cetera, Et* 25. *q.* 1. *Sunt quidam,* [illegible]dicitur: *Quod si Papa* [illegible] *illud, quod apostoli docuerunt &* [illegible] *Prophetæ, non sententiam dare, sed* [illegible] *errare* [illegible]*tur.* Et *eadem* [illegible] dicitur: *Contra statuta patrum* [illegible] *immutare non licet, etiam sedi apostolicæ propter hoc, quia jus naturale & di*[illegible]*, 5. dist. In princ.* Et *De Consuetud. c.* [illegible]. Ergò decreta destruere & decretales, & ea revocare omni die quæ fecerunt & statuerunt sancti Patres, non licet Papæ, nec curiæ Romanæ. Quia non est ei potestas data in destructionem

nem, sed in ædificationem duntaxat.

Videtur ergò, quod *omnes Christicolæ & præsertim personæ ecclesiasticæ* possint esse *vocales in generalibus conciliis* & definire.

Item omnes hi, qui sunt ejusdem professionis, debent esse sub eisdem legibus, *De statu monachorum, c. Recolentes.* Sed omnes Christiani sunt sub eisdem legibus, quia sub eadem fide, sub eodem baptismate, & sub eisdem sacramentis. Æquè benè obligatur Papa ad tenendum fidem & recipiendum sacramenta ecclesiæ, sicut minimus rusticus, qui sit Christianus. Ergò omnes debemus eandem fidem voce profiteri. Quia dicit Apostolus: *Corde creditur ad justitiam* &c. Omnes eadem voce, eodem ore debemus fidem defendere, & universalem ecclesiam militantem, in qua est ipsa fides, in membris & in capite reformare, ad unitatem & charitatem, ad pacem reducere. Ergò omnes Christiani, & præsertim clerici, in conciliis possunt rationabiliter voces habere & definire.

Item omnes Christiani sunt fratres spirituales ratione ejusdem Patris & matris regenerantis, *XI. q.3. Ad mensam, & De judiciis, c. Novit.* Et ideò debent esse tanquam fratres carnales, 8. *q.1. Olim, &* 12. *q.2. Quod autem*, quia sunt filii Dei, *Joh.1.* Ergò si filii Dei, sunt hæredes, secundum Apostolum. Sed cùm eorum hæreditas in hac vita sit universalis ecclesia, extra quam nullus salvatur, 24, *q.1. Quoniam vetus*, quam repræsentat universale concilium, Ergò æqualem in ea habent portionem; Ergò ad ipsius salvationem & gubernationem æqualem omnes Christicolæ debent habere in ea æqualem vocem.

Item hæc fraternitas inter Christicolas est ratione charitatis. Quia debent esse Christiani unius voluntatis. Et quia charitas facit omnia esse communia, & communia propriis & non propria communibus anteponit, ut dicit *Augustinus in regula Clericorum*, Ergò etiam una esse debet charitas, una voluntas, una intentio in concilio. Quia, ut dictum est, virtus unita fortior est seipsa dispersâ, *De treuga & pace, c.1. in f.* Ergò æqualis debet esse vox omnium existentium in concilio sacro, ex quo eadem debet esse voluntas & intentio.

Item omnia concilia generalia sunt in Spiritu sancto legitimè congregata. Cùm ergò Spiritus sanctus sit infusus super apostolos in unum congregatos, quia *Actor. I. Erant omnes pariter* &c. Si ergò in conciliis esset vocum disparitas, jam pro tunc concilium esset in intentionibus & voluntatibus dispersum, *De appellat. c. Constitutus*, Ergò non esset tunc in Spiritu sancto legitimè congregatum, quod est hæreticum asserere. Ergò firmum est tenere, quod omnes Christiani possunt in eo voces habere.

Item potestas universalis ecclesiæ videtur residere in ipsa tota ecclesia, ut dictum est, quæ ecclesia est fidelium congregatio, *De Consecr. dist.1. Ecclesia, & De bigam. Debitum, & De elect. Fundamenta, L. VI.* Quæ in plura dividi non potest, 24. *q.1. c. Loquitur, & c. Schisma*, Quia duobus per casum existentibus in Papatu, vel gerentibus se pro Papis, & non curantibus in effectu, quod perveniatur ad unionem, licitum est catholicis, tanquam à deviantibus à lege Dei & à recta vita discedere ab eis, & obedientiam cuilibet ipsorum subtrahere, & omni cura pro unione ecclesiæ talibus resistere: Quia non potest dici ecclesia, in qua est schisma, 24. *q. 1. Pudenda, & Archid. 79. dist. Fidus*, Et si contingeret, quod isti duo tuerentur se per potentiam temporalem, poterunt de facto coërceri etiam per secularem potentiam, *Archidiac. De Judic. Cum non ab homine.* Sequitur ergò ex prædictis, quod si aliqui Christiani in Concilio, quod repræsentat unam sanctam ecclesinm Catholicam, haberent voces, & alii non, quod tunc in ecclesia esset schisma, vel verius, divisio & conturbatio ac discordia, quæ est contra rationem charitatis, & spiritum sanctum. Et jam tunc etiam non esset fidelium congregatio, quod esset contra prædicta.

Item ipsum concilium non subjicitur juri positivo, cum habeat plenitudinem potestatis, & sit à jure divino immediatè, ut dictum est: Quæ potestas ligandi

gandi & solvendi est in ipsa universitate universalis ecclesiæ, ut dictum est: Quæ ecclesia superiorem non habet nisi Deum, nec subjicitur legi positivæ: Quia secundum apostolum justo non est lex posita. Sed ecclesia est justa, sancta & pudica, 24. q. 1. *Omnium*, Quæ ecclesia etiam non potuit transferre suam potestatem in ipsum Papam totam, in tantum, quod desineret esse penes eam: Quia hoc esset contra jus divinum & contra exempla apostolorum, sicut dixi in superioribus, ubi dictum est, quod congregatio seu universitas synodi generalis habet judicare difficilia, quæ emergant in plebe Christicola, sicut dictum est: Quæ judicavit in quatuor synodis tempore apostolorum, præsente Petro, ecclesiæ Principe & Christi Vicario, & tamen non transtulit totam suam potestatem in Petrum, sicut populus Romanus transferendo jurisdictionem in Principem, etiam in se eam retinuit, quia non potuit à se totam abdicare, statuendo etiam legem, à qua non posset recedere, *ff. L. 3. Si quis in princ. De Legib.* & quod notatur *X. collatione De investitura Inter Dominum & Vasallum, c. 1. in glossa*. Ex quo colligitur per aliquos, quod major est potestas populi, quam magistratus ipsius. Et *de hoc* dicit *Guilielmus ff. De lege, Non ambigitur, populum Romanum posse revocare potestatem datam Principi*. Ex quibus verbis concludunt illi de tertia opinione, ex quo major est potestas concilii, quam Papæ, saltem in his, quæ sunt juris positivi, quod potest concilium potestatem Papæ revocare, suspendere, moderare, ex quo concilium habet plenitudinem potestatis, & dominium in toto orbe, quia major est orbis urbe, 93. *dist. Legimus.* Si ergo dominium per Principem potest alicui auferri ex causa, ut notatur *De jurejurand. c. tertio Nostra, & De Constitutione, Quæ in ecclesiarum.* Quantò ergò fortius potest auferri titulus administrationis seu Prælaturæ, quæ est de jure positivo, per notata in dictis juribus & præcipuè in ecclesiasticis, per istud, quod eleganter notavit *Innocentius, de his quæ fiunt à majore parte capit. c. f.* Ubi dicit, majorem partem capituli posse aliquid statuere de rebus ecclesiasticis, singulariter & specialiter ad quemlibet canonicorum pertinentibus, secus si non essent illæ res Ecclesiæ, sed essent res propriæ Canonicorum. Quia ibi potior esset conditio possidentis. Ergò sacrum concilium, quod repræsentat universalem ecclesiam, potest statuere, ordinare & reformare, & perpetuò definire de rebus ecclesiæ quibuscunque, pertinentibus cuicunque Prælato, etiam in Papali dignitate constituto.

Cum ergò *voces episcoporum in conciliis* sint de jure positivo introductæ, & *per ipsos Romanos Pontifices procuratæ, qui ut haberent pro se in conciliis multas voces Episcoporum, fecerunt in diversis mundi partibus multas ecclesias parochiales, & monasteria & episcopatus, in tantum, quod sunt multi episcopatus in Italia, quorum quilibet non valet centum florenis in pecunia.* Ad tollendum ergò hanc fallaciam & deceptionem, sacra concilia generalia, scilicet *Pisanum, Constantiense, & Basileense*, in spiritu sancto legitime congregata, *statuerunt, omnes admitti ecclesiasticos*, etiam voce definitiva. Quod apparet, quia *ipsorum vota petebantur, & computabantur*, & scribebantur. Et cum ipsa generalia concilia ducta fuerunt spiritu sancto, prout de præsenti ducitur sacrum Basileense concilium: Contra ergo hæc statuta dicere, quod non fuerint justa, nec juri consona, & quod sic fieri non debuisset, est quædam blasphemia in spiritum sanctum.

Et supposito, diceret aliquis, & non concesso, quod in aliis conciliis non fuerunt admissi antiquitus, Ergo hoc nunc non debet fieri. Respondetur, quod hoc non sequitur. Nec repugnat, quando non fuerint in prædictis conciliis admissi, etiam in sequentibus admittendi. Quia spiritus sanctus potest uno tempore unum inspirare, & alio tempore aliud, secundum temporum qualitatem & diversitatem. Quia non debet reprehensibile judicari, si secundum varietatem temporum statuta varientur humana, *De consanguinitate & affinitate, c. non debet.*

Et quod aliquo modo sit ita faciendum

dum, patet per *capitulum auctorizatum in generali concilio Constantiensi*, quod incipit: *Frequens*. Attento maximè, quod jam ecclesia universalis est in possessione hac *in tribus generalibus conciliis* supradictis.

Etiam probatur auctoritate & ratione. Ratione primò, quia negotia, quæ tractantur in conciliis, tangunt totum statum ecclesiæ militantis per modum universitatis principaliter, & ex consequenti singulos specialiter. Et ideò ad omnes pertinet habere vocem in eis, vel realiter vel repræsentative. Patet ex *auctoritate* & exemplo, *per textum decreti 1. q. 7. Convenientibus*. Etiam alibi habetur in Chronicis, ubi dicitur, quod in concilio tento Romæ per Hadrianum I. præsente Carolo M. celebrata fuit synodus à centum quinquaginta tribus episcopis, religiosis, & Abbatibus. Et iste textus etiam est in *c. Hadrianus 63. dist.* Ad illud facit *c. Abbatibus 64. dist.* Ad quod etiam *c. 1. & 79. dist.* In quorum aliquibus nedum de Abbatibus, sed de inferioribus religiosis mentio fit. Sed constat, quod illi *religiosi habuerunt ibidem voces*, Ergo consimiliter omnes clerici possunt habere voces definitivas in conciliis.

Et *hæc tertia opinio* videtur esse *securior & sanctior*, ac magis sine suspicione pro ecclesia Dei in ipsis conciliis generalibus.

Et sic patent hæ tres opiniones de vocalibus generalium conciliorum. Quæ autem illarum sit verior, relinquo determinationi sanctæ matris ecclesiæ universalis, & Domini nostri Romani Pontificis Papæ.

PARS VII.

Quis habeat convocare Concilia.

SEptima *pars* hujus tractatus quærit & scrutatur unam *quæstionem* satis *necessariam pro generalibus conciliis*. Quæ quæstio peperit sæpius multas discordias & opiniones diversas in Dei Ecclesia inter Romanos Pontifices & sacra generalia concilia, & alios Prælatos ac Dn. Cardinales. Quæ quæstio seu interrogatio est illa, scilicet, *Per quem seu per quos debet fieri legitimè convocatio generalis concilii seu universalis synodi sacræ?*

Cui quæstioni respondendo ac nihil determinando, dico primò unam distinctionem, quam ponit *glossa Magistralis* in hac materia, *quæ est 17. dist. in Summa.* Quæ glossa fuit fundata *in c. Porrò, 3. dist.* licet glossa non alleget. Et dicitur, quod *conciliorum* in Dei ecclesia *triplex est species: Una generalium* sive universalium conciliorum, *alia Provincialium, tertia Episcopalium.*

Generale sine universale est istud, *quod à Papa, seu ejus Legato*, habente ad hoc speciale mandatum substituendi, quia alias non posset, *vel ab aliquo sacro generali concilio* legitime congregato *statuitur*, & cum omnibus Episcopis, & aliis, qui de jure interesse debent, tenetur.

Provinciale est, quod primas vel Metropolitanus cum Episcopis suis & clericis ac religiosis celebrat.

Episcopale verò est, quod tenet Episcopus cum suis Curatis, clericis ac religiosis.

Et de secundo concilio, Provinciali, 18. *dist.* loquitur *decretum c. 1. & 92. c. Si quis.*

De tertio autem concilio, Episcopali, etiam illa *distinctio* loquitur aliquando, modo de uno modo de alio, ut in c. *Propter ecclesiasticos*, & *in c. Pervenit.*

Et nunquam in illa *distinctione* de generali agitur; præterquam *in c. Si episcopus metropolitanum*. In quo & de provinciali & de generali vicissim fit mentio.

Et ideo decipiuntur illi, qui textus positos in illa 18. *dist.* allegant ad materiam generalium conciliorum. Quia ibi non de illis, sed de specialibus tantum loquitur, nisi quantum tangitur scilicet in *c. Si Episcopus* allegato.

Secundum ergo concilium, scilicet Metropolitanum, non fit sine auctoritate metropolitani. Et ideo ad eum pertinet ipsum convocare.

Tertium concilium, scilicet *Episcopale*, non debet fieri sine auctoritate Primatis

tis ſeu metropolitani, ut tangit *c. Si quis epiſcopus, 92. diſt. & 38. diſt. Quando, & 12. q. 2. Placuit.*

Primum ergo *concilium*, ſcilicet *Generale, cujus vel quorum auctoritate debeat fieri*, vel per quem, vel per quos convocari, mallem alios audire, quam aliquid temerè ſcribere & definire.

Verum tamen dicam, quid temporibus iſtis, videlicet de anno Domini MCCCC XXXV. dicant & ſentiant multi valentes Doctores, quibus temporibus *concilium Baſileenſe nititur eccleſiam Romanam & clerum in membris & capite reformare*, hæreſes ac ſchiſmata de tota Chriſtianitate tollere, Reges & Principes ac communitates Chriſtianorum pacificare, tyrannos & occupatores bonorum temporalium & jurisdictionum eccleſiaſticarum extirpare, infideles Mauros & paganos ad fidem Chriſti reducere, & terram ſanctam Jeruſalem & alias terras, quæ aliquando fuerunt Chriſtianorum, recuperare, & Græcos ſchismaticos & Armenos, & quantum erit poſſibile etiam Indos ipſos, qui habent fidem S. Thomæ apoſtoli, ad unum ovile Chriſtianitatis & ſub uno paſtore Romano Pontifice univerſalis eccleſiæ reducere & reportare, ut fiat unum ovile & unus paſtor in toto orbe, ſub unius veri Dei, qui eſt Jeſus, nominatione & obedientia.

Dicunt ergo multi Doctores, quod *convocatio conciliorum* poteſt fieri per *multos*, ſecundum caſus occurrentes diverſos.

Prima ergò *opinio* Doctorum aliquorum, quæ eſſe ſolebat *communior*, eſt, quod generalia concilia ſine auctoritate ſedis apoſtolicæ & ſine convocatione Romani Papæ non ſunt celebranda, nec habent auctoritatem, nec ſunt valida, nec merentur dici concilia, ſed conciliabula. Et hæc opinio habetur clarè determinata *per* totam *diſt. 17.* Ubi dicitur per gloſſam, quod ſolius Papæ eſt propriũ poſſe congregare generale concilium, & concilium factum ſine auctoritate Papæ nullum habet firmamentum, *De electione, Significaſti, & per c. Multorum.* Et *in c. Synodum Epiſcoporum* dicitur ſic per Marcellum Papam: *Synodum Epiſcoporum absque hujus ſedis auctoritate quanquam quidam Epiſcopi poſſint congregare, non tamen poſſunt regulariter facere.* Et vide, quod dixi ſuperius, quod *regulariter*, dicunt quidam, Papa ſolus debet & tenetur concilium convocare. Sed tamen non tollitur propter hoc, quin aliquando *aliqui epiſcopi* poſſint *propter neceſſitatem & reformationem eccleſiæ, & aliqui fideles* cum eis, ne eccleſia patiatur ruinam & ſcandalum, convocare generale concilium. Et ideò textus dicit *regulariter*, ſcilicet pro majori parte Papa debet convocare.

Item quod *regulariter* Papa debeat convocare concilium, probatur per Pelagium, dicentem: *Multis denique apoſtolicis & canonicis atque eccleſiaſticis inſtruimur regulis, non debere abſque ſententia Romani Pontificis concilia celebrari. Quapropter ut jam dictum eſt recte, non concilium, ſed potius conventiculum vel conciliabulum cenſebitur, & quicquid in eo actum eſt, irritum cenſebitur & vacuum.* Et JULIUS Papa Orientalibus dicit Epiſcopis: *Nec ullum ratum eſt aut erit unquam concilium, quod Romanæ eccleſiæ non fuerit auctoritate fultum. Regula veſtra nullas habet vires, nec habere poterit. Quoniam nec ab orthodoxis Epiſcopis hoc concilium actum eſt, nec Romanæ eccleſiæ legatio interfuit canonibus: Præcipimus ſine ejus auctoritate concilia fieri non debere.*

Alii verò dicunt, ut ſunt *multi moderni*, quod, quando Papa eſt unicus & indubitatus, ad ipſum ſolum pertinet generaliter convocare concilium, ut jura prædicta dicunt. Sed *ubi de factis Papæ ageretur*, in aliquibus caſibus, ſcilicet, quia *vult concilium facere reformationem univerſalem tam in membris quam in capite, ſimoniam* & cetera vitia ac *abuſiones Romanæ curiæ exſtirpare*, vult *Papam* ſcandalizantem univerſalem ſtatum eccleſiæ *corrigere* & emendare, aut ſi remiſſus, negligens vel inutilis reperitur in Papatu, vult ſacrum concilium ipſum amovere, vel ſibi coadjutorem dare, aut ſi notorie eſt criminoſus, hæreticus vel ſchismaticus, vel fovet ſchiſmata, vult ipſum condemnare, aut ſi ſunt duo contendentes de Papatu, vult eos judicare, quis in iſtis caſibus & conſimilibus debeat

debeat concilium congregare & auctorizare? Dicunt isti, quod simpliciter *in his casibus & similibus*, etiam *in quibuscunque aliis*, utpote pro regnorum *pacificatione*, *pro infidelium extirpatione*, pro *terræ sanctæ recuperatione*, & breviter *in omnibus casibus*, in quibus ipsum concilium uti voluerit, quod simpliciter & principaliter *convocatio concilii pertinet & debet fieri per generalia concilia*, ita & taliter, quod unum concilium convocet aliud, & illud aliud, & sic in perpetuum.

Et hoc probatur ex potestate universalis ecclesiæ, ex sancta & optima constitutione, & ex Romanorum Pontificum negligentia aut malignitate. Et primo ex potestate universalis Ecclesiæ.

Quia, ut dictum est, *potestas concilii est major, quàm potestas Papæ*. Si ergò inferior potest convocare, qui est Papa, ipsa concilia, multò magis potest ipsum sacrum concilium convocare. Major patet. Quia, ut dictum est, potestas universalis ecclesiæ videtur residere in tota Ecclesia, quæ est fidelium congregatio, quam repræsentat sacrum concilium, ut satis probatum est supra. Ergò, si quod minus videtur inesse, inest, Ergò illud, quod magis, per regulam Philosophi. Sed minus videtur esse auctoritas Papæ, secundum primam opinionem, ut dictum est, & tamen convocat generale concilium: Ergò istud, quod magis. Sic ergò, cum major sit auctoritas concilii quam Papæ, sequitur, quod justius & rationabilius debet convocare concilium, quam quod solus Papa debeat convocare concilium.

Omnes ergo illi textus allegati 17. *dist. Decretorum*, & alibi per totum, intelliguntur, *excepta auctoritate sacrorum conciliorum*, quæ concilia non subjiciuntur juri positivo, ut dictum est. Etiam intelliguntur *in casu, in quo de factis Papæ*, seu tangentibus Papam, *non ageretur*, aut suam ecclesiam Romanam.

Probatur etiam hæc opinio ex constitutione sanctissima, à spiritu sancto ordinata *in concilio Constantiensi, Ad perpetuam rei memoriam*. In qua & per quam convocantur concilia generalia in perpetuum *de decennio in decennium* celebranda. Cum ergò in statutis concilii, præsupposito, quod sit majus quam sit potestas Papæ, ipse Papa non possit dispensare nec immutare, 25. *q.* 1. *Quæ ad partem*. Ubi textus & glossa dicunt, quod Papa non potest immutare vel impedire, quæ ad perpetuam utilitatem ordinata sunt. Ad idem est, quod dicitur *II. q. c. Sunt quidam*, Ubi dicitur: *Quod si Papa vult destruere istud, quod apostoli docuerunt, convincitur errare*. Debet enim omnes conatus impendere, ne universalis ecclesiæ salus infestetur, 24. *q.* 1. *Memor*. Constat autem quod concilia ordinata à Deo JesuChristo & ab apostolis ad conservationem fidei Catholicæ. Unde & apostoli dicuntur fecisse concilia, & convocaverunt pariter ipsa, uti patet ex actis apostolorum in quatuor supradictis conciliis, in quibus canones & reformationes fecerunt, de quibus habetur 16. *dist. Placuit*. Et quanta sit utilitas conciliorum, & necessitas in Dei ecclesia ipsorum, dictum est superius per me, qui *scribo & prædico illis modernis nostri temporis clericis & Prælatis, ac Dominis Ecclesiasticis, qui habent aures, & non audiunt verba Dei, habent oculos, & non vident vias Dei, habent os & loqui nolunt, nec loquuntur evangelium Dei, habent manus, & non palpant sacramenta Dei, habent pedes & non ambulant in mandatis Dei, & ecclesiæ sanctæ catholicæ, sed tam evanuerunt in cogitationibus suis, & obduratum est insipiens cor eorum, sicut aspidis surdæ & obdurantis aures suas.*

Nam si radicem omnium intervenientium & præteritorum malorum, & præsentium, quæ sunt & fuerunt in Dei ecclesia, & quæ temporibus Arrii & Mahometis & aliorum hæreticorum passa est ecclesia, quæ scilicet ferè perdita est usque ad medietatem in fide Christi Evangelica, consideremus diligenter, tota surrexit *ex omissione conciliorum*, quæ si congregata fuissent post illa triginta duo concilia superius dicta, & præsertim tempore Heraclii Imperatoris, quò tempore surrexit & invaluit ista tam gravis pestis & secta hæretica Saracenica, anno Domini Jesu DCL quæ secum traxit tertiam partem stella-

stellarum, orbis & totam Africam, & totam Æthiopiam, & totam Judæam, ac Syriam, Mesopotamiam, totamque Ægyptum, Turciam & partem Hispaniarum aliquam, scilicet regnum Granatæ, & nunc temporibus meis, de anno Jesu MCCCLXXX. occupat & occupare non desistit totam fere Græciam, & Armeniam, Cappadociam, Sclavoniam, Albaniam: Certè credendum est, *Si tunc illi Romani Pontifices providissent de conciliis*, quod nunc esset jam provisum contra illam sectam, & contra omnia alia mala praterita, præsentia & futura, ac hæreses & schismata, quæ postea insurrexerunt in Dei ecclesia, & insurgunt omni die.

Nec aliud remedium *ego pauper Hispanus* citra Dei mandatum video in Dei ecclesia ad ecclesiæ reformationem, ad sanctæ fidei catholicæ exaltationem, ac hæresium & schismatum exstirpationem, ad omnium fidelium Christianorum pacificationem, ac terrarum infidelium recuperationem, & ad tyrannorum & occupantium bona ecclesiastica extinctionem, quam *continuare concilia*, & statuta ipsorum ac mandata exequi, etiam si necesse fuerit brachio seculari & manu armata.

Dicunt ergò illi de tertia opinione, qui dicunt, potestatem universalis ecclesiæ esse majorem in auctoritate, in jurisdictione, in executione, quam sit potestas Papæ, quod in casu quocunque, cum sua voluerit uti auctoritate & potestate sacrum generale concilium, *convocatio generalis concilii pertinet ad ipsum sacrum generale concilium*, in quo residet plenitudo potestatis ecclesiasticæ, sibi à Deo Jesu tanquam suæ sponsæ attributæ.

Etiam potest teneri, quod, ubi totum concilium non concordaret in convocatione, quod ad convocandum aliud concilium, & ad definiendum & statuendum, *duæ partes* ipsius *concilii*, quod aliquando collegium dicitur, quomodocunque convenirent, ipsæ *possunt vocare alios*, qui commodè vocari possunt, & si non venerint ipsi, procedent ad faciendum, quod instat, ut de collegio notanter dicit *Innocentius De novi operis* *nunciatione c. 1.* Et ideò dicitur in ista 5. dist. quod concilia sunt supra Papam, regulariter. Ad dandum intelligi, quod hoc est regulare in Papa, non tamen simpliciter necessarium, nec verum absolutè. Quia *ubi de reformatione ecclesia in generali agitur*, in qua concluduntur ista *sex* superius dicta, scilicet *reformatio in membris & in capite*, exstirpatio sectæ hæreticæ, reductio perfidiæ schismaticæ, pacificatio plebis Christianæ, recuperatio terrarum infidelitatis paganicæ, & exterminatio persecutionis tyrannicæ, & etiam ubi specialiter agitur de factis Papæ, præsertim in altero trium casuum, videlicet hæreseos ac schismatis universalis, aut status ecclesiastici perturbationis, grandis seu notoriæ ipsius hæreseos Papæ, sceleris & criminis, vel ubi ex factis suis ecclesia notoriè scandalizetur, aut si est inutilis ecclesiæ, & remissus ac negligens, & permittit ecclesiam & ejus bona temporalia & spiritualia cadere in ruinam & in servitutem, vel disponit de regimine ecclesiæ contra sanctiones canonicas & decreta sanctorum patrum, & sacrorum conciliorum universaliter: Certè in his casibus & similibus dicunt illi, quod etiam sine eo & contra eum possit & debeat convocari concilium.

De primo est *textus cum glossa in c. Anastasius, 19. dist.* Pro secundo est *glossa* notabilis *in C. Sicut quævis*, super verbo *religionum*, *96. dist.* Et est ratio. Quia causa schismatis æquiparatur causæ fidei, quia non est fides in schismate, *24. q. 1. Advocavit.* etiam *De Liguribus & C. Principes*, & quod ibi *23. q. 5.* Pro tertio est *glossa*, *in c. si Papa*, *40. dist. junctâ glossâ* quæ habetur *9. q. 3. Per principalem, in fine glossæ.* Cum enim de istis possit accusari, uti patet per præmissa, & præsertim *per glossam*, quæ habetur *in c. Si Papa*, Ergo oportet convocari & ibidem accusari, dicit glossa: Sed quid prodest eum accusari, si non possit condemnari? Sed cum condemnari non potest, nisi in concilio generali, quod repræsentat totam ecclesiam, & in quo tanquam in fundamento est totalis ecclesiasticæ potestatis plenitudo, Ergo oportet convocare concilium, ex quo

quo non habet alium superiorem judicem, apud quem posset accusari. Et de hoc *glossa* notabilis *in c. Sicut inquit 2. q. 7.* ubi habetur, quod ubicunque judicatur Papa, à solo generali concilio potest judicari. Ergò ecclesia universalis, quæ est in concilio, & specialiter *Cardinales, Prælati & clerus*, quinimò *& Principes*, possunt illud convocare. Aliàs inutilis esset sua convocatio, *Quia* 9. q. 3. *nemo*, scilicet, *singularis persona*, judicat primam sedem, ut dictum est.

Ex quibus decretis nota *duas conclusiones.*

Quod *in concilio* per concilium convocato *potest à Papa recedi*, & ei fieri obedientiæ subtractio. Quod expresse ponit textus in dicto *c. Anastasius*. Ubi dicitur: *Abierunt ab eo.*

Secunda conclusio, quod *potest convocari concilium contra eum, & per illud condemnari*, ut patet per prædicta. Et ideò *textus in c. synodum, 17. distinct.* notanter dicit, quod tale concilium generale, de quo loquitur tota illa distinctio, uti apparet ex præfatione distinctionis, non potest sine auctoritate sedis apostolicæ regulariter celebrari; Per hoc innuens, quod *aliquando* potest, uti apparet ex præmissis. Quod enim regulariter prohibetur, non semper prohibetur; sed aliquando permittitur. Cum ergò potestas sit data vicario Jesu Dei nostri non in destructionem, secundum apostolum, sed duntaxat in constructionem & non destructionem: Quæ *ratio* sustinere posset, quod Papa in talibus delinquente, & destruente unitatem ecclesiæ, & eam propter mala opera sua scandalizante, deberet in illo Vicariatu manere, contra eum mittentis Domini, & ejus sponsæ ecclesiæ universalis voluntatem? Certè *nulla.*

Probatur illa opinio etiam sic: Quia si persisteremus in eo, quod nonnulli putant, quod indistincte diceremus, quod in nullo casu liceret alicui congregare concilium generale, nisi Papæ, certè tunc posset fides multum periclitari. Fingendo enim, sicut jam accidit, quod Papa esset hæreticus, sicut fuit Liberius Arrius tempore exilii, & post mortem Felicis: Certè illo casu ad concilium spectaret judicare, *17. dist. §. Hinc, & 2. q. 7. §. Item Symmachus. Item sub §. Cum Balaam*, Et notat *Archidiac. De hæret. L. 6. in fine*. Et si tunc Papa non vellet congregare concilium, fugiens judicium de se ferri, & timens ipsum, uti facile contingere posset, & nullus convocaret concilium, staret tunc ecclesia in periculo maximo fidei catholicæ sub hæretico. Congregandum est ergò pro tunc vel *per clerum* vel *Imperatorem* concilium, modo prædicto, scilicet quod concilia semper propter multos casus evenientes convocent alia concilia, & illa alia, & sic in perpetuum; sicut fecit *Constantiense*, ne per indirectum impediatur tale judicium, quod directè Papa non potest impedire, statuendo, quod nullus, nisi ipse solus, debeat & possit convocare concilium, aut quod non possit accusari de hæresi, aut de aliquo alio peccato notorio & manifesto, quô scandalizatur ecclesia universalis. Quia per hoc periclitaretur Romana ecclesia; Ut notat *glossa 40. dist. Si Papa*. Esset enim maximè absurdum, si diceretur, hoc casu Deum dimisisse ecclesiam sine regimine, ut in simili dicit *Innocentius de Re Judicata, Ad apostolica, ad finem L. 6.* Nam si sub regimine Papæ hæretici Deus permitteret ecclesiam suam regi & stare diu, posset contingere, quod ille Papa hæreticus crearet suos complices Cardinales, & illi postea de se ipsis crearent Papam hæreticum. Et sic contingeret, quod scriptum est: *Qualis est rector civitatis, tales sunt habitantes in ea.* Nam, quod dogmatizat princeps, facile amplectuntur subditi, *XI. q. 3. Præcipue, & De voto, c. Magna.*

Posset ergò, nisi aliter occurreret Deus, tota ecclesia perduci ad errorem. Quod tamen non est fatendum, cùm ecclesia non possit esse mala, 24. q. 1. *A recta, & c. Pudenda.* Oravit enim Redemtor noster pro ecclesia, ne fides ejus deficiat, 21. *dist. c. 1. &* ipse Redemtor voluntate labiorum suorum non fraudabitur, *glossa super A recta*, & in psalmo.

Etiam

Etiam *concilia generalia* secundum prædicta *possunt convocare alia generalia concilia*, cùm uti voluerint sua potestate plenissima.

Alii *verò dicunt*, quod in talibus cunctis, quæ occurrere possunt, alii quàm Papa & concilium possunt convocare concilium, ut ecclesia universalis habeat recursum & refugium, ne pereat, & cadat universa. Ergò ponatur casus, quod à longinqvis temporibus non fuit factum concilium generale, sicut dictum est suprà, quod *à tempore Clementis V. non fuit concilium, quasi per centum annos, usque ad tempus concilii sacri Pisani*, quô tempore litigabant, seu erant duo contendentes de Papatu, & uterque habebat suas obedientias & Cardinales suos, scilicet Dominus Gregorius XII, aliàs Angelus Corarii de Venetiis, & Benedictus XIII, aliàs Petrus de Luna Hispanus. Et ponatur casus, quòd constitutio *Frequens, Concilii Constantiensis*, impediatur per Romanos Pontifices, vel alios, qui semper odio habuerunt gravi generalia concilia, ut cernitur clarissima experientia, ne fiant de decennio in decennium generalia concilia secundum ejus tenorem: Et sunt viginti vel triginta anni, quod jam non fuerit generale concilium, vel quadraginta circiter; crescunt tamen omni die in ecclesia Dei hominum flagitia, simonia pestifera, peccata in clero, & vitia publica, hæreses, tyranniæ, & schismata, aut forsan insurgunt duo vel tres contendentes de Papatu & de ecclesia Romana, & Papa, qui tunc est, vel unicus, vel si duo contendentes, sunt remissi in convocando concilium vel negligentes, vel inutiles, aut contradicunt concilium convocare, seu nolunt: Quæritur *in his casibus* & consimilibus, quis debet & tenetur convocare generale concilium, ad subveniendum matri nostræ universali Christianorum ecclesiæ? Certum est enim & præsuppositum, quod *Papa* non vult convocare, vel est negligens & differt convocare, vel est culpatus in illis peccatis propter quæ concilium debet congregari: Ergò *pro tunc non debet, neque potest concilium convocare*, cùm agatur res sua, ut dictum est.

Item *concilium non potest convocare*, quia non est nec fuit per quadraginta annos, & *constitutio* illa *Frequens* jam evanuit, vel quia Romani Pontifices eam revocarunt, vel quia executioni eam dare impediverunt per tantum tempus, quod forsan memoria hominum est contraria, nec recordatur. Quid ergò erit in his casibus & similibus?

Dicunt quidam Doctores, quod attento, quod Cardinales seu collegium Cardinalium in his, quæ concernunt electionem Papæ, repræsentat universalem Ecclesiam, & ejus vice fungitur, 79. *distinct. in c. Nullus, & in glossa:* Cùm ergò sit in possessione eligendi Papam, *De Electione, Licet, & c. tit. Nisi periculum, L. 6.* per consequens ad ipsos Cardinales spectant omnia, quæ sunt ad electionem Papæ concernentia, *De Election. c. Ut prateritæ, & c. Cupientes, §. ad hac, & §. Si verò. L. 6. & per hoc 65. dist. c. fin. & quod ibi notavit in glossa Archidiac.*

Cùm ergò ad Papam pertinebat tunc convocatio concilii, & hoc non fit, nec per eum fieri debet: Sequitur ergò, quod pro tunc *convocatio concilii ad Cardinales pertinebit.* Ex quo, ut dictum est in his, quæ concernunt electionem Papæ, collegium Cardinalium repræsentat universalem ecclesiam, & ejus vice fungitur.

Etiam causa potest subesse talis convocationis concilii fiendæ per Cardinales: Quia forsan in eodem concilio procederetur ad depositionem Papæ, & ad electionem alterius: Et ipsi possunt facere & disponere omnia præparatoria seu consequentia ad electionem Papæ, quæ ad eos solos pertinet, 23. *dist. In nomine Domini.* Nec in hoc resistunt jura. Non enim potest in illis casibus, ut procedatur ad electionem unius sancti & boni Romani Pontificis, limitari collegium Cardinalium, sicut limitantur inferiora collegia, quibus hoc prohibetus *De Supplenda negligentia Prælator. c. fin. L. VI.* Et hoc est quòd *collegium Cardinalium non habet superiorem, ad quem recurratur*, ut ibi est *in hoc c. fin.*

Et dicas, quod videtur contradicere *C. Ne Romani, in Clem. §. Irritum*, ubi irritatur, quicquid facit collegium de his, quæ

quæ ſpectant ad Papam, dum vivit. Convocatio autem generalis concilii ad ſolum Papam pertinet, 2. *q.* 7. *Ideò*, 17. *diſt. c.* 1. *&* §. *Hinc.*

Ad hoc reſpondeo, quod, cùm ille §. *Irritum*, excipiat ea, quæ permittuntur collegio *in præallegato c. ubi*, §. *idem*, ſtandum eſt illi §. *idem*. Ibi enim prohibentur Cardinalibus non ea, quæ contingunt electioni, ſed alia extrinſeca. Præcipitur enim, ut de alio negotio ſe non intromittant, niſi in caſibus, de quibus ibi. Et hoc, ut vacent accelerandæ proviſioni. Cùm ergò *convocatio generalis concilii* ſit hoc caſu *neceſſaria, ut perveniatur ad habendam reformationem Eccleſiæ tàm in membris quàm in capite*, ex qua reformatione poteſt ſequi depoſitio Papæ & electio alterius Romani Pontificis: Meritò ad collegium Cardinalium pertinet, tanquam quid annexum & acceſſorium proviſioni.

Nec dicitur prohibita, imò permiſſa *in dicto* §. *Irritum*. Etiam oſtenditur in dictis caſibus, quod primo loco ſpectat convocatio generalis concilii ad collegium Cardinalium.

Sed ponatur, quod in caſibus ſupradictis & ſimilibus *collegium Cardinalium* ſit *diviſum*, & non concordet in convocando concilium, vel etiam *nolit convocare*, ſeu ex quacunque cauſa non convocaret, vel forſan ſunt ſuo vel tres de Papatu contendentes, & collegium unius vult convocare, & aliud non vult, quis tunc convocabit concilium?

Dicitur per valentes Doctores in jure, & reſpondetur, præmittendo primò, quod *olim Imperator convocabat concilium.*

Sic congregabat Conſtantinus, 16. *diſtinct. Habeo librum.*

Ideò JUSTINIANUS congregavit ſextam ſynodum, *e. diſtinct.* 16.

Item ſynodus Nicena facta eſt mediante Conſtantino, 15. *Sancta* Et *ibi &* 17. *diſt.* legitur de multis conciliis, quæ facta ſunt mediantibus Imperatoribus.

Et alibi legitur, quod Conſtantinus præſedit in concilio Niceno, 6. *q.* 1. *Continua.*

Item Carolus Imperator concilium conſtituit cum Adriano Papa. 63. *diſt. Adrianus.*

Et de pluribus Imperatoribus ſcribitur in decretis, quod generaliter viginti quatuor ſchiſmata, quæ fuerunt in Dei eccleſia, nunquam quaſi & ferè ſunt determinata, niſi per ſacra *generalia concilia, quæ Imperatores convocabant*, & ad ea ſæpius venire compellebant, ut patet in Chronicis.

Et poſt iſta tempora fuit inſtitutum, quod ad ſolum Romanum Pontificem pertineat regulariter convocare concilia. Quod intelligitur, quando eſt unicus Papa & indubitatus, nec agitur, nec agi debet res ſua in illis conciliis, & ſalva ſemper & excepta auctoritate generalis concilii, ut dictum eſt, quod eſt ſupra Papam, quia *Papa, ſecundum gloſſam* 17. *diſt. in c. Concilia ſacerdotum, habet ſuam poteſtatem à Deo in jure divino, & concilia ſunt in jure poſitivo.* Et ad iſtum intellectum loqvuntur iſta jura.

Quando autem de factis Papæ agitur in conciliis, aut de reformatione Romanæ Curiæ, vel agitur cauſa Papæ, vel ſunt plures qui contendunt de Papatu, in prædictis caſibus, tunc dicunt iſti, quod negligentibus vel nolentibus Cardinalibus congregare, tunc certè ſolus *Imperator*, qui pro tunc eſt, vel *Electus Romanus*, debet convocare concilium Chriſtianorum & univerſalis eccleſiæ, 17. *diſt. c.* 1. *&* §. *Hinc etiam, & in c. Concilia ſacerdotum.*

Intereſt enim ipſius Imperatoris, ut ſit pax in Romana civitate, ubi eſt vel eſſe debet ſedes apoſtolica, ut ibi ponitur. Et ſic fortius intereſt, ut ſit pax in toto orbe. Attentò permaximè, quod ipſe Imperator eſt Advocatus & defenſor eccleſiæ, *De Electione, Venerabilem, &* 23. *q.* 5. *Cap. Principes.*

Et præſertim cùm de fide agitur, vel cùm de exaltatione fidei Chriſtianæ & hæreſium exſtirpatione, & de ſchismaticorum reductione & unione tractatur, *Imperator debet & poteſt convocare concilium*, & in eo intereſſe, non ad pompam oſtendendam, ſed ad fidem confirmandam, 96. *diſt. Ubi Imperator* dicit, *intereſſe nolumus.*

Nec mirum, quia tantùm *intereſt Imperatoris*, fidem defendere: Quod ſi Papa eſt de hæreſi ſuſpectus, poteſt ab eo exigere,

gere, ut indicet & dicat, quid sentiat de fide, ut notatur 25. q. 1. *Satagendum*, juncto eo, quod ibi notat *Laurentius & Archidiaconus in verbo Significamus*.

Ex his infertur, quod Imperator est pars concilii. Cùm ergò deficit Papa vel Cardinales, qui surrogantur Papæ in convocatione concilii, ad ipsum Imperatorem, qui post prædictos est pars præcipua concilii, spectat talis congregatio concilii vel convocatio, per hoc quod notavit *Innocentius de Majorit. & Obedient. c. 1.* Ubi dicit, quod, qui majoris est dignitatis in Ecclesia, vel si non est illius dignitatis, ille, qui majoris ordinis, vel si sunt æqualis ordinis, ille, qui est primus ordinatus, debet nominare vel eligere vel vocare capitulum, eò casu, quo deficit is, ad quem de jure vel consvetudine spectat. Pro hoc *L. 1. ff. de fide Instrum.* Quia servandus est ordo in Prælatoris, scilicet in honoribus.

Nec juvat clerum hujus temporis, dicentem, quod Imperator est laicus, nec potest se intromittere de clericis. Quibus respondetur, quod *non simpliciter prohibetur laicis judicare de clericis*, sed tunc prohibetur, quando non subest ratio specialis. Nam *propter rationem specialem permittitur eis judicare*, ut ratione feudi, ut dicit *C. Verum, De foro competente, & De appell. c. Romani. §. debent. L. VI.* cum illo, quod notat ibi glossa. Et si in hoc subest ratio specialis, multò magis subest non dico solùm specialis, imò ratio specialissima, in casu vel casibus dictis superius, ne ecclesia catholica scandalizetur & ruat per simonias, & per alia peccata publica & notoria, ne fides Catholica periclitetur per hæreses & schismata & tyrannos, ne perdatur Christianitas per mala exempla unius Papæ, Prælatorum vel clericorum ecclesiæ, ne destruantur terræ Christianorum per bella & arma infidelium Saracenorum & Turcarum, ne exponantur bona temporalia ecclesiæ Romanæ & aliarum ecclesiarum prædæ tyrannorum & latronum, ne permittantur duo contendere propter privata commoda in offensionem & scandalum omnium Christianorum, & facere in Dei ecclesia divisionem contra illum articulum: *Unam sanctam ecclesiam catholicam*, ut notatur 7. q. 1. *Nunc autem, & in c. Licet, De election. & 24. q. 1. Loquitur.*

Et specialiter cum agitur de Papatu, concessa est potestas laico Principi super clericos, uti patet *in observatione conclavis, De elect. in sin. §. præterea libros, & Clem. Ne Romani, §. Porrò*, ubi etiam permittitur Principi laico, ut compellat Cardinales conclave ingredi. Et quasi compelluntur indirectè, ut expediant electionem, uti patet *in c. Verò §. Ne. Romani*, ubi coguntur per subtractionem victualium. Et ita etiam cogi possunt ut ingrediantur ab initio, vel si omnes fuerunt egressi, ut reingrediantur, ut non sit melior conditio tardè parentium, & illorum non se offerentium ad ingrediendum conclave, *Archidiac. De postulat. c. 1.* Nam permisso consequente, permittitur & antecedens. *De officio delegati c. 1. & c. præterea.* Et sic compelluntur indirectè modo prædicto. Ergò à simili in talibus casibus, & ubi subest ratio specialissima, concernens bonum commune, videtur aliquando expediens, & etiam *ad Principem laicum pertinet de clerico facere judicium.*

Concluditur ergo ex prædictis, quod etiam *in casibus aliquibus supradictis convocatio concilii pertinet ad Imperatorem.*

Confirmatur. Quia ipse *Imperator repræsentat totum populum Christianum*, cum in eo translata sit jurisdictio & potestas universi orbis, *L. II. §. Novissime, ff. De orig. Juris.* Ergo loco ipsorum populorum Christianorum habet congregare concilium. Et sic *[illegible]*. Quia *extremitas* retrahitur *ad principium, 25. dist.* ab exordio. *Quia convocatio conciliorum ab initio [illegible] spectabat per Imperatorem.* Sed postea reservata est Papæ. Deficiente ergo Papa, seu non convocante, vel deficientibus his, qui succedunt loco Papæ, scilicet Cardinalibus, quibus potestas reservata est, vel non convocantibus, revertitur convocatio conciliorum ad jus pristinum.

Sic dicimus in simili, quod, cum quis non potest consequi justitiam à superiori, licitum est sibi auctoritate sua recu-

recuperare. Ut eleganter notatur *prima dist. Jus gentium, in glossa, & per Innocentium De restitut. spol. c. 1.* & pro hoc *X. conclusio de milite & vasallo, qui contumax est.* Ubi permittitur vasallo in defectum justitiæ sibi consulere, & dominum deprædari. Et hoc inde venit, quia in defectu magistratus ad jus pristinum revertuntur, antequam essent constituti magistratus, quo tempore cuique licebat jus sibi dicere.

Ergò videtur ex prædictis, quod *etiam ad Imperatorem pertinet seu Regem Romanorum convocare concilium* in certis casibus, etiamsi sit unicus Papa & indubitatus, quantò magis, si erunt duo de Papatu contendentes.

Dicunt alii Doctores, quod negligentibus supradictis, scilicet Papâ, Cardinalibus, & Imperatore, convocare concilia in casibus supradictis, quod tunc *Prælati majores* nationum vel provinciarum Christianitatis, aut duæ partes ipsorum, & etiam una pars potest facere convocationem concilii, per istud, quod notavit *Innocentius De novi operis nunciatione c. 2.* Ubi dicitur notabiliter, *Si duæ partes collegii quandocunque convenerint, ipsæ possunt vocare alios, qui commode possunt vocari, & si non venerint, ipsi procedent ad faciendum, quod instat.*

Sed ponatur casus, quod prohibentur Prælati isti convocantes concilium accedere ad locum concilii sub pœnis privationis &c. Tenebuntur facere concilium? Respondetur, quod non tenentur parere, maxime quando convocant in supradictis casibus, ut eleganter dicit *Innocentius, de sententia excommunicationis: Præcepto Papæ non est obediendum, quando vehementer præsumitur statum Ecclesiæ perturbari, vel alia mala esse ventura, peccaret enim obediens, cum deberet futura mala reipublicæ & universalis Ecclesiæ præcavere. Non enim potest Papa immutare statum universalem ecclesiæ, vel impedire, quæ ad utilitatem perpetuam ordinata sunt, 2. q. 1. Quæ ad perpetuam.*

Et sic potest teneri, quod, quando isti *Episcopi* vel *Prælati* vel *alii clerici & ecclesiastici convocant per se ipsos generale concilium* ad perpetuam utilitatem Ecclesiæ universalis, & ad exaltationem & defensionem fidei Christianæ, quod non potest eos prohibere, nec ipsi tenentur parere, imò tenentur, ut dictum est, omnes conatus impendere, ne universalis ecclesiæ salus infestetur, *24. q. 1. Memor.* Constat autem, quod semper concilia ordinantur ad conservationem, defensionem & reformationem universalis ecclesiæ, & fidei catholicæ.

Et sic patet etiam quarto loco, quod etiam aliqui Prælati ecclesiæ, vel viri ecclesiastici possunt in casibus aliquibus concilium convocare & proclamare.

Et per hoc de convocatione conciliorum grosso & rudi modo dicta scribo, narrando opiniones aliquorum, & semper cum protestatione, si opus fuerit, sum paratus revocare.

PARS VIII.

Qui teneantur venire ad concilia?

CAP. I.

Sententia illorum, qui solos Episcopos ad Concilia vocandos putant.

O*ctava pars* hujus tractatus *quærit &* scrutatur, *qui sint illi, qui vocandi sunt, & qui teneantur venire ad generalia concilia?*

Cui quæstioni respondeo secundum opiniones aliquorum. Dico *ego pauper Magister Hispanus*, quod sicut secundum quod dictum est, diversæ fuerunt opiniones, qui sint illi, *qui voces debent habere in generali concilio*, Sic duplex opinio est de illis, *qui sunt vocandi* ad generalia concilia, & qui ad ea teneantur venire.

Quidam enim, ut sunt illi, qui dicunt, quod solum Episcopi & eis superiores debeant in conciliis generalibus vocales esse, ut prædictum est, isti tales dicunt, *quod solum Episcopi & eis superio-*

res

res principaliter & primo sint vocandi ad generalia concilia, & ipsi per se vel procuratores suos teneantur ad ea venire, & alii, utpote Præpositi, Decani, Archidiaconi, Abbates, Doctores, Magistri, & alii clerici inferiores, non teneantur ad ea venire, nec ad ipsa vocari.

Patet hæc opinio multipliciter, *primo* ex vocum definitione, *secundo* ex juramenti præstatione, *tertio* ex discretorum subscriptione.

Et *primò ex vocum definitione. Quia*, ut dictum est, *ipsi etiam Episcopi vocantur apostoli*, 93. *dist. in c. Dominus noster*, & successerunt apostolis, *distinct.* 16. *In novo*, quibus fuit data potestas à Christo regere, judicare gregem Domini, cui præsunt, & definire in conciliis, quæ tractanda sunt pro bono statu & totius universalis ecclesiæ reformatione, qui sunt judices seculi & vera mundi lumina. Et ideò definitio in generalibus conciliis, quæ repræsentant sanctam ecclesiam catholicam, & potestas est data à Deo solis apostolis, & episcopis in eorum loco succedentibus. Quia Christum, quando promiserat nobiscum esse usque ad consummationem seculi, Matth. ultimo, hoc de episcoporum ministerio dicere necessariò intelligendum est, cùm sciret, apostolos citò morituros, de quo *David* in spiritu loquens ipsi ecclesiæ militanti dixit: *Pro patribus tuis nati sunt tibi filii &c. Psalm. XLII.* Et notanter dicit *principes* ipsos *Episcopos*, qui succedunt apostolis, ut ad eos solos pertineat definiendi & statuendi ecclesiastica potestas, & reformandi ipsam militantem ecclesiam seu apostolicam, ne patiatur ruinam. Quod tamen non intelligo singulariter, quod hoc possint in suis diœcesibus per se, sed eis congregatis in concilio generali, in quo sunt *Principes ecclesiæ* cum ipso Papa, si est ibidem, cum suo legato, & coëpiscopi & conjudices. In eo enim, quod in concilio generali & non alibi possunt legem, statum totum ecclesiæ universalis concernentem, condere, *Principes* eos esse ostenditur. Nulli enim licet legem condere post translatum imperium in principem, nisi soli principi. *L. fin. Cod. de LL.*

Et est tanta horum *episcoporum in concilio generali potestas*, quod jura & decreta, ac statuta ordinata per summos Pontifices possunt revocare, *glossa est notabilis* 93. *dist. c. Legimus*, *glossa super verbo Major.* Et ad hoc facit, quod narrat *glossa* 24. *q.* 1. *A recta.*

Ergò si soli debent in ecclesiis definire, soli quoque debent decreta totum statum ecclesiæ concernentia statuere: Soli ergò debent ad sacra concilia convocari, & ipsi soli tenentur ad ea venire.

Item patet, quod ipsi soli tenentur ad sacra concilia convenire, *ex juramenti præstatione.* Jurant enim episcopi per literam Papalem, quæ vocatur *forma juramenti*, quod vocati ad synodum generalem ipsi veniant ad ipsam. Unde *c. Placuit*, 18. *dist.* habetur, *quod episcopi debent venire & occurrere ad concilium generale, legitima excusatione cessante.* Et si non faciant, ponitur ibidem pœna.

Ad hoc etiam facit *c. Canones, circa principium*, 15. *distinct.* ubi dicit textus, quod ad Nicenum concilium de omni orbe terrarum episcopi convenerant. Ergò illi episcopi vocati fuerunt, & venire tenebantur ad concilium. Et sicut fuit de illo concilio, eodem modo videtur de aliis conciliis, quod soli episcopi sunt vocandi, & venire tenentur ad sacra concilia.

Item illi soli venire tenentur ad sacra generalia concilia, qui jurant & promittunt venire ad ipsa: Sed tales sunt omnes episcopi, ergò conclusio vera. Sed *Minor* probatur, quod soli episcopi jurant venire ad ipsa concilia sacra generalia per *c. Ego N. De jurejurando*, per quod jurant venire vocati ad synodum. Si ergò jurant ad ipsam synodum venire, ergò venire tenentur ad eam, ex quo ita jurant, ut ibi habetur, vel incurrerent perjurium.

Item in c. Placuit, 18 *dist.* habetur *in decretis*, quod episcopi debent venire & occurrere ad concilium congregandum, legitima excusatione cessante, & si non faciant, ponitur ibi pœna. Sed cùm ibidem non fiat mentio nisi de solis episcopis, videtur ergò, quod soli episcopi debent venire ad concilia generalia principaliter.

Item potest hoc patere: Quia negotia, quæ tractantur in conciliis generalibus, tangunt totum statum ecclesiæ militantis per modum universitatis principaliter, & singulos ex consequenti: Sed negotia ista possunt & debent tractari solùm per Episcopos. Quia ipsi sunt columnæ sanctæ ecclesiæ Dei & Legati Dei, 2.q.1. c. *Accusatio.* Et potestas est eis data in ecclesia à Deo, tanquam patribus superioribus, & ipsi sunt vocales in conciliis tantummodò. Ergò ipsi soli sunt vocandi principaliter, & venire tenentur ad concilia, ibidem definire & subscribere se.

Et ideò facta in concilio generali per episcopos, istam universitatem repræsentantes, vel majorem partem ipsorum, tenent & ligant singulos. Sicut etiam est *in electione episcoporum.* Quia, licet intersit totius cleri, imò totius plebis diœceseos, habere dignum Prælatum, tamen soli Canonici eligunt pro toto clero & plebe. Sic etiam Domini Cardinales eligunt Papam, cùm tamen ejus electio & idoneitas tangat totum populum Christianum. Et aliquando in ipsorum electione activa requiruntur duæ partes solummodò, per c. *Licet de vitanda, De electione.* Sic etiam, dato, quod, ad generalia concilia veniant *Abbates, Præpositi, Decani, Rectores* &c. tanquam *consultores*, tanquam advisatores, tanquam informatores; tamen soli *Episcopi*, ut dictum est, debent ad concilia venire, tanquam *definitores, reformatores & judices.* Ergò ipsi soli sunt vocandi, & ipsi ad ea soli venire tenentur principaliter.

Cap. II.

Sententia illorum, qui reliqvum etiam Clerum, quin & Principes ad Concilia esse vocandos asserunt.

Alii dicunt, *quod ad sacra concilia vocandi sunt non solùm principales ministri fidei, qui sunt Prælati, verùm etiam & alii clerici beneficiati, & Abbates, & religiosi: Quinimò etiam ipsi Principes & Domini, qui sunt defensores ecclesiæ & fidei, quanquam sint seculares, sunt ad ipsa concilia vocandi, & tenentur per se vel suos procuratores venire, præsertim ubi agitur de hæreticorum exstirpatione, de ipsorum Regum, Principum, seu Dominorum vel communitatum pacificatione, de infidelium debellatione, & de totius populi Christiani reformatione.*

Hæc opinio probatur per superius dicta in *septimo Gubernaculo conciliorum*, ubi dicebatur secundum unam opinionem, quod omnes existentes in sacris conciliis generalibus possunt & debent esse vocales in eis: Quia, quod omnes tangit &c. per regulam juris. Sed ea, quæ constituuntur & definiuntur in generalibus conciliis, omnes fideles generaliter, præsertim in casibus suprà dictis, tangunt. Ergò ab omnibus sunt approbanda & definienda. Sed approbari & definiri non possunt ab eis, nisi ipsi sint ibidem in eisdem conciliis præsentes. Ergò omnes fideles ad sacra concilia venire tenentur.

Item ideò vocatur generale concilium, quia generaliter omnes fideles possunt & debent convenire: Aliàs nomen non concordaret cum re: Ergò omnes Christicolæ ad ipsum possunt convenire & tenentur.

Item hoc patet ut dictum est supra c. *Hadrianus 63. distinct.* ubi habetur, quod præsente Carolo M. Romæ per Hadrianum Papam celebrata fuit synodus à CLIII. episcopis, religiosis, & Abbatibus.

Et si dicas: Ergò omnes sunt vocandi, qui sunt fideles Christiani, & omnes tenentur venire, ex quo omnes tangit &c. *Respondetur* secundum modum loquendi aliquorum Jurisperitorum, quod *interdum* aliqua possunt pluribus competere ut singulis. Et in illis habet locum ista regula juris, quæ dicit: *Quod omnes tangit &c.* ut si plures haberent possessionem & hæreditatem quandam communem, major pars ex eis non potest in illa servitutem imponere vel tributum, uno ex eis invito, quia ita competit ista possessio pluribus, quod etiam competit singulis per se, ut lex loquitur & clarè patet, *L. profundum ff. de Serv. rustic. prædior. Interdum* aliqua competunt pluribus ut universis. Et tunc quod facit pars major

jor, non quælibet pars major, sed eorum, qui hanc universitatem repræsentant, valet, & quoad reliquam partem repræsentantem, & etiam quoad singulares in hac universitate comprehensos, & omnes hoc fecisse videntur, *L. Aliud de R. J. Quæ refertur.* Et notat *Bartolus & Innocentius, De constitutione, c. Cum omnes.*

Et ideò, dato, quod non omnes fideles Christiani sint vocati, nec veniant ad sacra generalia concilia, tamen quicquid fit in ipsis generalibus conciliis sacris nomine universalis ecclesiæ, etiamsi fiat per paucos ibi existentes, hoc fecisse videtur tota universalis ecclesia, seu plebs Christiana.

Et si opponas, aut omnes fideles Christiani sunt vocandi, ex quo venire tenentur, aut non sunt vocandi. Si non sunt vocandi, Ergò non vocatio eorum reddit actum nullum concilii ex quo erant vocandi. Si verò sunt vocandi, ergò totus populus Christianus esset vocandus, quod non est dicendum. *Quia* per hanc rationem nullum unquam generale concilium fuit celebratum in Dei ecclesia, quia nunquam ad ipsum convenerunt omnes Episcopi totius mundi, nec omnes fideles Christiani. Quod est falsum & contra canones. *15. dist. C. Sancti,* de illis quatuor generalibus conciliis, quorum gesta sicut sancta Dei evangelia quatuor approbantur, sicut dictum est. Etiam si omnes episcopi totius orbis convenirent ad concilium generale, cum sit evidens, quod major pars eorum sit distans à generali concilio, tunc certè casibus occurrentibus eorum diœcesibus non possent subvenire, imò propter longitudinem maris non possent ad eorum notitiam pervenire. Multa enim sunt, quæ non possunt nisi per episcopos expediri in eorum diœcesibus, ut ordinum celebratio, chrismatum consecratio, & etiam similia, quæ magno tempore omissa magnum animabus parerent detrimentum. Et *dico magno tempore.* Quia communiter propter multitudinem causarum & universitatem provinciarum non possunt generalia concilia nisi in magno tempore expediri & diuturno. Et sic dico de aliis Dominis, Regibus & Principibus & Prælatis beneficiatis & fidelibus Christianis, qui ad concilium venire tenentur.

Qualiter ergò fiat ista vocatio? Respondeo, quod *omnes* sunt *vocandi tripliciter,* scilicet *vere, repræsentative & interpretative. Vere* sunt vocandi majores, qui gerunt curam reipublicæ, ut necessitate cessante, quæ est multiplex, utpote ætatis, infirmitatis, imminentis periculi, viarum discriminis, & guerrarum, paupertatis, senectutis & imbecillitatis, & aliorum quasi innumerabilium casuum, qui provideri & specificari non possunt, debeant per se vel suos procuratores comparere in concilio generali. Et præsertim Episcopi & eis superiores, Abbates & alii Prælati ad sacrum concilium sunt vocandi & venire tenentur ad ipsum, legitimo impedimento cessante, ut dictum est.

Quinimò illi *Episcopi* ac *Abbates* & beneficiati, *qui non tenent feudum à Rege,* sed vivunt solum de his, quæ ratione spiritualitatis obveniunt, si Papa vel concilium mandarent, quod venirent ad Concilium, & Rex illius regni, in quo sunt, mandaret, quod non irent ad Papam vel concilium, certe tunc in illo casu potius deberent venire ad Papæ mandatum vel concilii, quam Regis. Ut fuit nuper factum temporibus illis, de anno Domini *MCCCC XXXIV.* In regno Hispaniarum. Quò tempore concilium convocabat Prælatos *Basileam,* & Reges, ut audivi, prohibebant. Et hoc notat *glossa in C. Reprehensibile 23. q. 3. Et c. Cum parati, Extra. de Electione* dicit, quod semper Prælatus tenetur Papæ obedire & ad istum venire, exemplo Petri & Andreæ Apostolorum qui relictis retibus & navi secuti sunt Jesum Christum, Dominum nostrum, cum *textus in Cap. Salmitana. 63. dist.* videtur velle, quod Prælatus seu clericus habens feudum à Rege, cum simul vocatur à Papa & à Rege, ne perturbet Regem, debet ire ad Regem, ne Rex defraudetur debito feudi, & ne retrahantur principes seculares à dotatione ecclesiarum.

Et sic hi, qui personaliter comparent in

in conciliis, dicuntur *vere vocati.* Et de istis dico, qui vocantur *vere*, qui aut nominatim & specialiter vocantur aut generaliter & generali mandato.

Si *vocanter nominaliter* per Papam vel concilium, certè tunc venire tenentur in propriis personis, legitimo cessante impedimento, ut dictum est.

Si autem *vocantur* in universali & *generaliter*, sine specificatione nominum, tunc sufficit quod *repræsentative compareant.*

Alii sunt, qui *vocantur repræsentative*, & qui debent venire repræsentative, scilicet *per procuratores & ambassiatores* suos, per quos in ipsis conciliis repræsentantur, habendo sufficiens mandatum & plenarium à suis constituentibus, & legitimas excusationes habentes, quare venire in propriis personis non poterunt.

Alii sunt, qui *vocantur interpretative*, quando generale mandatum fit per Papam vel per concilium, quod omnes debentes ad generale concilium venire intersint in tali tempore, in tali concilio. Et veniunt ad ipsum. Verbi gratia, de qualibet regione & natione certus vocabitur & competens numerus, qui totius illius regionis & nationis episcopos abbates & clerum repræsentabit, etiamsi numerus non fieret, nisi decem vel viginti, aut adhuc minus, & Papa convocans vel concilium præfiget numerum, quem voluerit, vel eliget personas certas ex illis quas putaverit magis negotio conciliorum profuturas, aut in parte personas nominabit, & in parte stabit in numero mittendorum sine nominatione personarum: Aut si videbitur, quod concilium est diuturno tempore duraturum propter necessitates ecclesiæ universalis, tunc poterit Papa vel concilium eligere de qualibet natione decem vel duodecim, qui *interpretative repræsentent totam* illam *nationem*, & quibus etiam teneatur providere illa natio, ex quo tendant ad bonum commune.

Et non est necesse, quod ad sacra generalia concilia vocentur omnes episcopi, omnes abbates, omnes Prælati, omnes Principes, omnes fideles Christiani. Quia hoc est impossibile. Et etiam esset turbativum concilii & pacis & tranquillitatis ecclesiæ, propter clamores, objurgationes, accusationes, inimicitias & varias adinventiones & requestas particulares multorum capitum, hominum impedientium bonum commune, & causas, propter quas fuit generale concilium convocatum. Non enim vocatur generale concilium ut dictum est superius, respectu personarum, ut omnes Christiani in illo intersint. Quia nunquam in Dei ecclesia fuit tale concilium celebratum. Sed dicitur *generale respectu regionum & nationum*, quia de omni natione debent ad ipsum venire, & in eo esse aliqui vel verè vel repræsentative vel approbativè seu interpretativè. Etiam vocatur *generale respectu causarum*, quia omnes Christiani in eo admittuntur ad quæcunque proponenda pro justitia, vel pro dandis avisamentis ad agenda in concilio. Etiam dicitur *generale ad differentiam provincialium & Episcopalium*, in quibus agitur de negotiis unius provinciæ vel diœceseos. In hoc autem generali concilio postquam est inceptum, & à spiritu sancto gubernatum, etiam sicut dictum est, si in eo non sint plures personæ ipsum celebrantes quam sedecim vel viginti aut duodecim, sicut fuit tempore apostolorum, in eo tractatur de negotiis omnium nationum & provinciarum totius orbis.

Cap. III.

De pœna eorum, qui ad Concilium vocati non parent.

SEd quæ sit *pœna eorum, qui tenentur ad generalia concilia*, & qui jurant venire ad ea, certe non memini me legisse, nisi quod *tam non jurantes & non venientes incurrunt pœnam perjurii* ut patuit *per C. Placuit, 18. distinct.* Ubi dicitur, quod episcopi tenentur venire & accurrere ad concilium congregandum, legitimâ excusatione cessante, & si non faciunt, ponitur ibi pœna, quæ alia non videtur nisi perjurii solum, *juxta tenorem textus allegati, Ego N. De jurejurando.*

Posset

Possit tamen Papa aliqua rationabili causa motus prout materia requireret, aliam pœnam apponere. Sed hoc facere non debet, nisi ex aliqua speciali & legitima causa, cum aliàs contentus esse debeat pœnis juris, quæ non sunt extendendæ contra episcopos, quibus in pœnalibus jura deferunt, propter communionem & conversationem subditorum, & ut habeantur in majori reverentia, *De sententia excommunicationis, Periculosum, & de elect. c. Si per Commissarios, §. hujus quoq; Lib. VI.* Et hoc de isto.

Cap. IV.

Utrum non venientes ad concilium, per citationem alterius quam Papæ, incurrant perjurium?

De differentia inter Ecclesiam Catholicam & Ecclesiam Romanam.

SEd ubi *alius quam Papa* convocaret concilium generale, quod fieri potest in casibus certis, ut supra dictum est; *utrum non venientes incurrerent pœnam perjurii?*

Hic potest responderi, quia aut *concilium convocat concilium*, sicut factum est *in Concilio Constantiensi*, de anno Domini MCCCCXIV, XV, XVI. celebrato, aut *alius quam concilium convocat concilium*, utpote *Imperator vel Rex aliquis*, vel *fidelis aliquis.* Si concilium convocat concilium, *juxta tenorem constitutionis, quæ incipit, Frequens generalium &c.* tum aut potestas concilii est major & superior quàm potestas Papæ sit, aut non. Si non, tunc perjurium non incurrunt vocati. Si autem est major, & hoc asserit universalis ecclesia, & tenetur & creditur hoc esse verum, sicut esse tenet & credit fides catholica, licitè potest tunc dici, quod tunc non venientes ad sacrum generale concilium, & non habentes causam excusationis legitimam, *incurrant pœnam perjurii.* Quia si propter mandatum minoris, scilicet Papæ, incurrunt pœnam perjurii negligentes venire, multo magis incurrunt pœnam perjurii nolentes venire ad concilium propter mandatum majoris, quam est Papa, universalis ecclesiæ, quàm repræsentat ipsum sacrum concilium, quæ est major quàm Papa. Attento, quod Romana seu apostolica ecclesia, quæ est Papa, vel per se vel cum Cardinalibus & Prælatis ac clericis & ecclesiasticis, includitur in universali ecclesia, quæ est congregatio omnium fidelium Christianorum, secularium & ecclesiasticorum; & conjungitur ex ipsis tanquam ex membris mysticis, cujus caput Christus est, & cujus Christi Papa vicarius est. Et *membrum superius & primum ecclesiæ universalis* ipse Papa est; Licet aliquando dicatur caput ecclesiæ Romanæ seu apostolicæ: Quæ ideò dicitur *apostolica*, quia viri ecclesiastici debent esse apostoli & doctrinam apostolorum sequi, prædicando, docentes gentes, gentes ad fidem Christi convertendo, sicut fecerunt apostoli, quorum in omnem terram exivit sonus, & in fines &c. Vel dicitur *Papa* caput ecclesiæ, quia primus in ecclesia est, & *superior minister*, & executor Christi Jesu, in autoritate, & ipsius ecclesiæ universalis, cujus ipse, ut dictum est secundum opinionem tertiam, minister & executor primus, super omnes alios Prælatos & clericos est, juxta modum loquendi, *dist. 21. In novo*, ubi dicitur: *In N. T. primus Petrus claves à Domino accepit, ceteri verò apostoli pari honore & consortio eandem potestatem acceperunt, tamen ipsi inter se hoc voluerunt, ut Petrus ceteris omnibus præesset, & Cephas, & caput, principium teneret apostolatus, quam formam suis successoribus & reliquis episcopis tenendam tradiderunt.*

Et, ut superius dictum est, *aliud est Romana seu apostolica, & aliud universalis ecclesia* simpliciter & absolutè sumta & prolata. *Quia apostolica seu Romana ecclesia* est ipse Papa cum Cardinalibus vel suis Prælatis, & viris ecclesiasticis. Et facere videtur ad hoc *c. Ecclesia mea, in f. 98. dist. Ecclesia* autem *universalis* absolutè sumta constituitur ex universitate & collectione fidelium Christi, & fidei adhærentium, *De consecr. dist. 1. Ecclesia.* Et hanc ecclesiam repræsentat universale concilium in spiritu sancto legitimè congregatum: Sicut papa cum cle-

ciis suis est repræsentans apostolicam seu Romanam ecclesiam.

Et ecclesia Catholica Apostolica est prima, secundum multos, & superior in potestate, auctoritate, jurisdictione & executione, dictâ apostolicâ seu Romanâ ecclesiâ.

Et ideò dicitur in symbolo majori: *Et unam sanctam catholicam & apostolicam ecclesiam.* Primò dixit: *catholicam*, & pòst *apostolicam.* Et illa scilicet Romana seu apostolica sicut pars in toto concluditur, & continetur in ecclesia catholica. Et tamen sunt unum in essentia & una catholica ecclesia. Sicut enim dicimus ecclesiam Gallicanam, ecclesiam Hispanicam, &c. Sic dicimus ecclesiam Romanam, ecclesiam apostolicam &c. Quia istæ sicut partes sunt ecclesiæ catholicæ secundum majus & minus. Quia major est ecclesia apostolica, quam sit ecclesia Romana, & major Romana, quàm Gallicana vel Hispanica, & sic de ceteris.

Et partes hujus universalis ecclesiæ possunt infirmari, dolere, & errare & deficere. Sicut aliquando probatum est, errasse Papam in fide, & Cardinales; imò clerum quasi totum tempore Arrianorum, exceptis tribus episcopis, Hilario, Athanasio & Eusebio. Sed ecclesia Catholica errare non potest, nec deficere in fide, nec peccare. Quia de ista dictum est, & in illa ipsi S. Petro: *Ego pro te rogavi &c.* scil. fides universalis ecclesiæ, meæ sponsæ, quæ nunc est in te, tanquam in superiori membro ecclesiæ. Quia licet autoritas Petri transierit in successores, non tamen fides vel sanctitas. Quia non omnes S. Petri successores fuerunt æquè sancti vel æquè fideles cum Petro. Sed illa fides & sanctitas, de qua Christus loquebatur Petro, transivit in universalem & simul sumtam universalem ecclesiam, in qua infidelitas, hæresis aut schisma nunquam esse poterunt, nec potest, nec error, nec malitia aut culpa aliqua, quia *tota pulchra est, & macula non est in ea, Cantic. IV.* & *24. q. 1. Omnibus &c. Loquitur,*

Et istam differentiam de ista ecclesia Romana & ista ecclesia universali sonant duæ *glossæ*, scilicet *24. q. 1. c. Quodcunque, & c. A recta*, & in illa melius. Quæ duæ glossæ dant intellectum ad materiam istam.

Sicut ergò tota fides, tota sanctitas, quæ fuit in Petro, transiit jam in Ecclesiam Catholicam, sic tota auctoritas data Petro transivit in universalem ecclesiam, & per consequens in generale concilium. Non quod ex Petro vel per Petrum illa auctoritas ligandi ac solvendi & peccata remittendi sit data universali ecclesiæ: Sed quia, ut dictum est, secundum opinionem tertiam, Christus Jesus dedit immediatè illam plenissimam potestatem universali ecclesiæ & Petro.

Si ergò illa plenissima potestas est in ecclesia, & major quàm sit in Papa, quia, ut dictum est, ipse Papa judicatur à conciliis, quæ sunt ecclesia universalis, & concilia judicari non possunt nec condemnari à Pontificibus Romanis, quia errare non possunt nec peccare: Attentô maximè, quod reguntur à spiritu sancto, qui ea non permittit in fide errare nec deficere: Ergò sequitur, quod sicut non venientes ad Concilium per Papam convocatum, incurrunt pœnam perjurii, multo magis non venientes ad Concilium convocatum per Concilium.

Si autem aliquis alius convocat concilium, utpote *Imperator* vel *Cardinales*, vel *Rex aliquis*, seu *aliquis fidelis Christianus*, probabiliter potest dici, quod cùm juramentum de veniendo ad Concilium non sit præstitum ipsi Imperatori, vel Cardinalibus vel alicui alteri, quando convocatur synodus per tales, quod non venientes ad Concilium non incurrerent pœnam illam perjurii. Quia non fuit intentio ejus, in hoc, cui præstatur juramentum de veniendo, juxta *Cap. Quacunque arte 22. q. 5.* Nec fuit intentio ejus, qui præstat, *juxta §. Si ergo, & §. Ex his omnibus, eadem causa, & c. Humana vires, eadem causa.* Quia cum obligatio sit juris vinculum, non est præsumtio quod quis voluerit se ligare, nisi quam levius potest, præsertim contra vel præter naturam & significationem verborum. Quoniam nec à verbis legis aut hominis est recedendum, & præ-

& præsertim in judicium promittentis.

Sed bene dicerem, quod in tali casu, ubi *Imperator* vel *Cardinales* convocarent concilium propter maximam & evidentem utilitatem universalis ecclesiæ & exaltationem fidei, quod certè, Prælati præsertim, tenentur venire ad concilium, & non venientes licet non incurrant *pœnam perjurii*, incurrunt tamen *pœnam mortalis peccati*. Quia negligunt accurrere evidenti utilitati universalis ecclesiæ, sicut fuit factum *tempore concilii Pisani*, quod fuit de anno Domini MCCCC VIII. & IX. Quod concilium fuit convocatum per Dominos Cardinales utriusque collegii contendentium de Papatu, hac de causa, ut tolleretur schisma & fieret unio sub uno capite & sub uno Papa in Dei ecclesia, & duo contendentes de Papatu amoverentur, quod factum fuit pro parte maxima.

Et hæc sufficiant pro ista parte octava.

PARS IX.

Qui possint concilia dissolvere.

CAP. I.

Confirmata autoritas Concilii generalis supra Papam.

NOna pars hujus tractatus *quærit, quis vel qui possint concilia generalia, postquam semel sunt congregata, dissolvere, annullare & cassare?*

Cui interrogationi simpliciter respondeo & breviter, tamen tangendo *potestatem conciliorum*, quæ potestas est gloria, honor, virtus, excellentia & supremum bonorum ipsorum conciliorum; Et fundamentum ipsorum fundatum est super firmam petram Christum Jesum, quod fundamentum secundum apostolum nemo papa, nemo Imperator, nemo cœtus multitudinis alicujus poterit ponere, nisi solus Christus Jesus. Quia super hoc fundamentum potestatis ecclesiæ sunt & fuerunt omnia fundamenta reformationis ecclesiasticæ, omnia fundamenta exaltationum fidei Christianæ, & tota perfectio universalis ecclesiæ.

Et hac potestate universalis ecclesiæ posità & concessà, quod est major & superior in auctoritate, jurisdictione & in executione, quacunque mortalis hominis, etiamsi sit dignitatis papalis, potestate, & creditâ & assertâ tanquam fides catholica, Certè tunc haberent robur & firmitatem omnia generalia concilia, tunc venirent in plebe Christicola omnia bona pariter cum illa. *Et negatâ hac potestate*, quod non sit tanta, sed minor, quam sit potestas papalis ordinata, revera tunc fiunt frustra concilia, in vanum laboratur pro reformatione ecclesiastica. Quia, quicquid ordinatur in generalibus conciliis totum dissolvitur & dissipatur, cassatur & annullatur à Romanis Pontificibus, & fiunt novissima pejora prioribus. Et ideò hoc decretum de potestate conciliorum, affirmatum & decretatum *in sacris conciliis, Constantiensi & Basileensi*, debet ita per sacra concilia sæpius prædicari, scribi perpetuo & promulgari, quòd præcipiatur cunctis fidelibus Christianis, quod æquè firmissimè & sine dubitatione credatur, sicut creditur aliquis articulus fidei, contentus in symbolo apostolorum, qui verò non crediderit, sed aliud docuerit, seu contrarium asseruerit & prædicaverit, tanquam hæreticus & schismaticus condemnetur pœnis contentis in jure ipsorum hæreticorum, cujuscunque sit conditionis & status, etiamsi existat papalis dignitatis: Addendo semper ad istum, quod *potestas generalis concilii est major quam potestas Papæ*, in auctoritate, in jurisdictione & in executione, ut dictum est. *Primò in auctoritate*: Quia potestas conciliorum est immediatè a Christo, ut asserit sacrum concilium Basileense. Et potestas Papæ, licet sit à Christo, tamen mediantibus conciliis sacris; Ergò non immediatè, sed mediante ecclesia. *Item in jurisdictione: Quia major est orbis urbe, 90 dist. c. Legimus*, Quia ubique

que dominatur universalis ecclesia, actu vel potentia. Quod non est dicendum de Papa. *Item in executione.* Quando sacrum concilium voluerit eâ uti, ex quo habet à Christo sacrum concilium immediatè suam potestatem, cum cœpit eam exercere per se vel alios, exercebit in omnes. Alias frustra haberet illam potestatem, quia *frustra est potentia, quæ non reducitur ad actum, secundum Philosophum.*

Ex quibus sequitur, quod simpliciter & sine additione debet teneri & credi, quod *potestas ecclesiæ in omnibus est major, quam potestas Papæ*, in auctoritate, in jurisdictione, & in executione. Non addendo illa tria, in quibus dixit sacrum *concilium Constantiense* potestatem ecclesiæ esse majorem; quam sit potestas Papæ, scilicet in exstirpatione hæresium, in reformatione morum, & in reductione schismaticorum.

Et dato, quod sacrum concilium *in illis tribus* dicat potestatem ecclesiæ universalis, quam repræsentant sacra concilia, esse majorem quam potestatem Papæ, non tamen dicit, nec definit, quod in illis tribus duntaxat casibus est potestas ecclesiæ major, quam sit potestas Papæ; sed solum ista tria specificat, ut potestatem ecclesiæ esse majorem quam Papæ ostendat, quamvis se ad quæcunque alia extendat.

CAP. II.

Sententia illorum, qui existimant, Papam posse concilium dissolvere.

VEniendo igitur ad *quæsitum* istius *nonæ quæstionis*, scilicet *quis* est *iste, vel qui sunt isti, qui possunt sacra generalia concilia*, postquam sunt semel legitimè congregata, *dissolvere?* Respondeo & dico, quod secundum *tres opiniones* prætactas in principio hujus tractatus *de potestate Papæ & de potestate generalis concilii*, idem est dicendum. Quia *illi de prima opinione, qui dicunt, quod potestas Papæ est major, quam sit universalis ecclesiæ, dicunt, quod, sicut* ad solum Papam pertinet generalia concilia congregare & instituere, quia nunquam fuit ratum neque erit aliquod concilium, si non fuerit auctoritate Romanæ ecclesiæ fultum, *dist.* 17. Quia ipse Papa est caput ecclesiæ, prout ponitur *in decretis* 19. *dist. Ita Dominus*, & 24. *q.* 1. *Rogamus Et* 9. *q.* 3. *Rogamus.* Ad ipsum ergò tanquam ad superiorem pertinet conjungere concilia & ipsa dissolvere. Quia sibi dictum est soli, *Joh.* 1 *Tu vocaberis Cephas*, scilicet caput in Dei ecclesia; & ei sunt traditæ claves regni cœlorum: *Matth. XVI. & Johann. ultimò* sibi dicitur, *Pasce oves meas, & Luc. V.* sibi soli dicitur: *Duc in altum rete.*

Item omnis plenitudo potestatis, quæ est in ecclesia Dei, præter eam, quæ est ordinis, & permaximè coactivæ jurisdictionis, est tota in summo Pontifice, & ab eo originatur in omnia membra ecclesiæ, quia potest eam exercere in omnibus administrationibus inferiorum Prælatorum totius Christianitatis: Sed dissolvere concilia est potestas coactivæ jurisdictionis: Ergò potest eam exercere in Dei ecclesia, in generali concilio simul congregata.

Et multas alias rationes allegant *isti de prima opinione*, quod solus Papa potest generalia concilia dissolvere, quas causa brevitatis dimitto.

CAP. III.

Sententia illorum, qui existimant, Papæ non magis ac Concilio competere Concilium dissolvere.

ALii verò de secunda opinione, qui dicunt, quod æqualis est potestas & eadem universalis ecclesiæ seu generalis concilii, quod repræsentat universalem ecclesiam, & ipsius Papæ, *respondent, quod dissolvere concilium, postquam semel est congregatum, non solùm ad ipsum Papam pertinet, sed etiam ad ipsum sacrum con-*

concilium. Cùm enim hæ duæ potestates in unam & eandem potestatem tendant, & una sit potestas indivisa in Papa & in ipsa universali ecclesia, & quælibet alteram debet fovere, protegere & juvare, ut dictum est, Ergò simul ad eas pertinet concilia dissolvere, quia una & eadem est potestas Papæ & universalis ecclesiæ, nec sunt duo subjecta, in quibus resideat hæc potestatis plenitudo, sed est solùm unicum subjectum, & est una & eadem potestas in numero in Papa & in ceteris fidelibus recollectis in unum in Dei ecclesia, & in utroque est suprema, sed diversimodè, quia in universali Ecclesia est primariò & fundamentaliter, in Papa verò secundariò & ministerialiter, quia minister Christi est secundum Apostolum, dicentem: *Sic nos existimet homo, ut ministros Christi & dispensatores mysteriorum Dei.* Quia ergò Papa est summus & supremus minister ipsius universalis ecclesiæ, & habet exercere primus & ante omnes alios ministros ecclesiæ omnes actiones ad regimen ecclesiæ convenientes: Et ideò in ipsis sacris conciliis, in quibus est Christi assistentia, & spiritus sancti præsentia, est æqualis potestas universalis ecclesiæ & ipsius Papæ, & totam potestatis plenitudinem, quam habet universalis ecclesia à Christo in habitu & potentia, Papa totam eam participat in executione & in actu, ac operatione debita: Et ideò ad hoc, quod dissolvantur concilia, oportet quòd concurrat simul consensus Papæ & ipsius concilii generalis, per quod repræsentatur universalis ecclesia.

Cap. IV.

Soli Concilio competere, Concilium dissolvere.

Alii verò *de tertia opinione*, qui dicunt, quod in omnibus & per omnia potestas generalis concilii est major, in auctoritate, in jurisdictione & executione, quàm sit potestas Papæ seu alicujus potentiæ terrenæ: Isti *respondent* & dicunt simpliciter, quod, *postquam concilium generale est congregatum seu inceptum quoquo modo, etiamsi fuerit convocatum per Papam, etiam Papa in eo existat præsentialiter, quod non est amplius in potestate Papæ seu alicujus terreni viventis hominis, ipsum posse dissolvere juridicè vel justè, sed ejus dissolutio ad ipsum sacrum concilium pertinet propriè.*

Et probant hoc ex tribus:

Primò ex plenitudinis potestatis concilii eminentia. Dicunt enim, quod tanta est plenitudo potestatis ecclesiæ, quam repræsentat sacrum concilium generale, quod in illa hora & in illo puncto, quo incipit generale concilium, etiamsi non sit nisi per duos aut tres, immediatè recipit illam potestatem plenariè, quam universalis ecclesia recepit à Christo immediatè. Constat enim, quod militans ecclesia recepit plenitudinem potestatis à Christo immediatè & sine medio, auctoritate ordinaria & non delegata. Non enim est Papa medium inter ecclesiam & Christum. Quia tunc Papa esset sanctior ecclesiâ, quod est falsum. Nec aliquam auctoritatem sive potestatem habet universalis ecclesia, seu recepit vel recipere potest ab ipso Papa. Quinimò est è contrario: Quia Papa recipit suam potestatem à Christo mediante ecclesia universali, cujus est principale membrum, & habet potestatem delegatam ab ecclesia, per maximè in his, quæ sunt de jure positivo, ut dictum est suprà.

Ergò *propria auctoritate Papa non potest dissolvere concilium*, cùm sit inferior in potestate, in auctoritate, in jurisdictione & in executione, ipso concilio.

Et hanc *potestatis plenitudinis præeminentiam militantis ecclesiæ* probant multa superius dicta, & etiam evidentissimè ostenduntur, si attendantur inferius scribenda.

Et *primò*, quia ipsa *ecclesia est corpus & sponsa Christi*, *Ephes. IV.* Est enim *corpus mysticum Christi Jesu*, cujus caput mysticum est Christus Jesus: Et nullus Papa est caput mysticum universalis ecclesiæ, prout ecclesia est corpus mysticum

Christi Jesu. Et ideò *sacrum concilium*, quod repræsentat universalem ecclesiam, est *corpus mysticum Jesu Christi*, & non habet, quamdiu est concilium, aliquod caput reale proprium & mysticum, nisi Christum Jesum, cujus spiritu sancto regitur, incipit, mediat, finit & gubernatur. Nisi diceretur *largo modo & similitudinariè*, quod Papa est caput concilii seu universalis ecclesiæ, quia est primus in ecclesia & supremus pastor. Et ita intelligunt decreta, quæ dicunt, Papam esse caput ecclesiæ, quia *est caput politicum, civile & ministeriale*, sed *non* est universalis ecclesiæ caput *mysticum, reale, & essentiale*. Et sic, cùm omne totum sit majus sua parte, sequitur, quod corpus ecclesiæ sit majus in sua potestate, quàm ista pars prima, seu membrum ejus, quod dicitur esse Papa.

Item tanta & tàm honorabilis dicitur esse potestas universalis ecclesiæ, quod usque in finem mundi non potest deficere: Sed potestas Papæ deficit omni die, cùm moritur Papa vel deponitur, vel deficere potest. Ergò major est potestas universalis ecclesiæ. Primum patet ex illo *Luc. XXII. Ego pro te rogavi, Petre, &c.* Quæ verba sunt dicta universali Ecclesiæ in persona Petri, aliàs essent falsa, ut dictum est supra. Et *Johann. XIV.* dicitur: *Rogabo patrem meum, & alium paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum.* Item *Matth. XXII.* dicitur: *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi*; Et hoc fuit dictum universali ecclesiæ & non Petro solùm.

Etiam tanta est excellentia potestatis ecclesiæ super potestatem Papæ, quod Apostoli, qui symbolum condiderunt, in sua sacra synodo voluerunt, quod universalis ecclesia æquè sit credenda, tenenda, honoranda & diligenda, sicut fides Catholica. Et ideò inter duodecim fidei articulos collocaverunt illum articulum: *Credo in unam sanctam ecclesiam catholicam, sanctorum communionem, & nullam de papatu fecerunt mentionem.*

Item tanta est virtus & potestas ac Imperium ecclesiæ, quod nullatenus potest mori, peccare, errare, 24. *q.* 1. *A recta*, aut deficere. Habet enim potestatem se conservandi in esse spiritualis vitæ, & habet virtutem intrinsecam perpetuam suæ sanctitatis, suæ innocentiæ à Christo ejus fundatore, qui eam fundavit super firmam petram, *Matth. XVI.* & etiam regit ac conservat in suo esse. Sed non est sic de Papa, qui potest errare, peccare, & habet aliunde suam potestatem præterquam à Christo! Quia à Cardinalium vel conciliorum electione vel institutione. Sed ecclesia solum à Christo immediate, & non ab alio homine vel ab alia electione &c.

Item tanta est & tam terribilis potestas universalis ecclesiæ, quod portæ inferi non possunt adversus eam prævalere, dicente Christo, *Matth. XVI. Et portæ inferi non prævalebunt adversus eam*, scilicet ecclesiam meam, quam ego ædificabo super firmam petram, scilicet me, qui sum Deus verus & homo. Sed *portæ inferi*, ut creditur, *aliquando prævaluerunt adversus summos Pontifices, super quos venit mors, & descenderunt ad infernum viventes, quoniam nequitia in tabernaculis eorum & in medio eorum.* Ergò &c.

Item tanta est excellentia dignitatis & potestatis ecclesiæ, quod *B. Augustinus super Johannem, sermone XVI.* dicat: Cum omnes apostoli essent interrogati à Christo: *Vos autem quem me esse dicitis? Dicit solus Petrus tanquam primus* præ omnibus: *Tu es Christus, filius Dei vivi.* Et quia præ omnibus istud dixit, claves regni cœlorum cum omnibus, tanquam gereret personam unitatis ecclesiæ, recepit. Et ideo Christus *Joh. I.* dixit Petro: *Tu vocaberis Cephas*, scilicet caput, superior vel primus in mea ecclesia, quia in persona tua dabo potestatem meam ligandi & solvendi ipsi universali ecclesiæ. Si ergo Petrus claves accepit auctoritate universalis ecclesiæ, ergò major est potestas ecclesiæ quam Papæ.

Item *idem Augustinus super Johanne, sermon. c. 24.* clarius hoc ostendit, dicens de ecclesia: *Sic hujus ecclesiæ apostolus Petrus propter apostolatus sui primatum gerebat figuratam generalitate personam. Quantum enim ad ipsum propriè pertinet*

[illegible] natura unus homo erat, gratia unus Christianus, abundantiori gratia unus idemque primus Apostolus. Sed quando dictum est ei a Domino: Tibi dabo claves regni cælorum, & Quodcunque ligaveris super terram &c. universam significabat ecclesiam, quæ in hoc sæculo diversis tentationibus quatitur, & tamen non cadit, quia fundata est super firmam petram, unde Petrus nomen accepit. Non enim a Petro petra, sed Petrus a petra nomen accepit, sicut non Christus a Christiano, sed Christianus a Christo nominatur. Petra enim erat ipse Christus, super quod fundamentum & ipse fundatus est Petrus: Fundamentum quippe aliud nemo potest ponere præter id, quod positum est, quod est Christus Jesus. Ecclesia ergo, quæ fundatur in Christo, claves ab eo regni cœlorum accepit in potestate ligandi & solvendi.

Hoc etiam asserit *Augustinus super Johannem, homil.* [illegible]. Ubi dicit: *Ubi enim fit remissio peccatorum, ibi est ecclesia. Quomodo ecclesia? Quia illi data sunt claves regni cœlorum, ut quæ solveret in terris, essent soluta & in cælis, & quæ ligaret in* terris, essent ligata in cælis.

Item *Rabanus in homilia sanctorum Petri & Pauli* dicit: *Quamvis soli Petro potestas clavium data esse [illegible], [illegible] tamen apostolos eum [illegible], Christo teste, qui super omnes [illegible] dicens: Accipite spiritum sanctum. Quorum &c.*

Item *Leo Papa in sermone de Beatis apostolis, super istud, quodcunque ligaveris* &c. dicit: *In Apostolos alios vis istius potestatis, id est ad omnes ecclesiæ Principes hujus decreti constitutio commeavit, sed non frustra uni committitur, quod omnibus intimatur.*

Item *Augustinus L. 1. de doctrina Christiana* dicit: *Et ecclesia corpus Christi, sicut apostolica doctrina commendat, quæ conjux etiam dicitur.* Et sequitur: *Quid liberalius, & misericordius facere potuit, qui pro nobis crucem sustinere voluit, nisi ut omnia donaret peccata conversis. Has ergo claves dedit ecclesiæ suæ, ut quæ solveret in terra, soluta essent in cælo.*

Item *Augustinus de agone Christiano: Non enim sine causa inter omnes apostolos hujusmodi ecclesiæ Catholicæ personam sustinuit Petrus. Huic enim ecclesiæ claves regni cœlorum datæ sunt. Quod cum ei [illegible], ad omnes dicitur. Dic in alium. Amas me? Pasce oves meas.*

Et [illegible] Quodcunque, dicit Augustinus: *Petrus [illegible] claves accepit, ecclesiam sanctam [illegible].*

Item *Augustinus L. 2. quæst. N. & V. T. q. 7[illegible] & in sermone 1[illegible]. de apostolis Petro & Paulo* dicit: *Dominus Jesus Christus discipulos suos ante passionem suam, sicut nostis, elegit, quos apostolos appellavit, inter quos pene & ubique Petrus solus totius ecclesiæ meruit gestare personam, & propterea audire meruit: Tibi dabo claves regni cælorum.*

Item *Augustinus in epistola ad [illegible]* inquit: *Ecce, putemus illos Episcopos, qui Romæ judicaverunt, non bonos judices. Restabat adhuc plenarium universæ [illegible] concilium ecclesiæ, ubi etiam cum ipsis judicibus causa posset agitari, & si male judicasse convicti essent, eorum sententia [illegible] per generale concilium.* Unde patet, quod universale concilium habet auctoritatem retractandi sententiam Episcoporum & Pontificum Romanorum, qui Romæ judicaverunt.

Item *c. Firmiter, de summa Trinitate & fide catholica, hoc dicit expresse: Quod dicitur sacramentum eucharistiæ nemo potest conficere, nisi sacerdos, qui rite fuerit ordinatus secundum claves ecclesiæ, quas concessit Apostolis & eorum successoribus Jesus Christus. Ecce quod non solum Petro, sed etiam ceteris apostolis claves ecclesiæ concessæ sunt,* uti patet *Matth. 1[illegible]. Et d. [illegible]. 2[illegible] c. In novo.*

Et doctor ecclesiæ *S. Hieronymus* hoc clare dicit *in c. Omnibus considerati 24. q. 1. Hæc domus, quæ est ecclesia, potestatem a Domino ligandi & solvendi accepit.* Et sequitur: *Hanc domum scilicet ecclesiam si quis corrigentem & corripientem contempserit, sit tibi ethnicus & publicanus.* Ex qua auctoritate sequitur clare, quod judicium & correctio universalis ecclesiæ est præferenda judicio & correctioni Papæ. Et quod si aliquis homo, etsi Papa, contempserit judicium, correctionem & reformationem ecclesiæ universalis, quam repræsentat sacrum concilium generale, quod talis est habendus pro pagano, & a fide devio ac publicano, scilicet peccatore publico, ecclesiam Dei scandalizante publicè.

Tanta est etiam hæc potestas ecclesiæ super potestate Papæ, quia *hæc potestas ecclesiæ* ligandi & solvendi, corrigendi, reformandi, instituendi & destituendi, *est ecclesiæ universali intrinseca, & necessaria ac indeficiens & plenissima. Intrinseca*, quia à solo Christo ecclesiæ data, & ab ipso recepta, tanquam à capite verô, omnes sensus spirituales, motus & influxus vitæ, & gratiarum dona, cum Christus dixit Apostolis: *Sicut misit me pater, & ego mitto vos. Est necessaria ad salutem:* Quia, qui non fuit in arca Noæ periit regnante diluvio, 24 *q.* 1. Et hæc arca est ecclesia. *Et est indeficiens:* Quia ecclesia nunquam moritur. Et ei Christus dixit: *Ecce ego vobiscum sum usq; in consummationem seculi.* Est *plenissima:* Quia sibi à Christo est plenissima potestas data, dicente Apostolis Jesu; *Quæcunq; alligaveritis super terra, erunt & alligata in cœlis, Matth.* 18. In qua commissione notatur plenitudo potestatis universalis ecclesiæ illimitatè. Patet hoc ex signis universalitatis, *quæcunque* ligaveritis & *quæcunq;* solveritis, *in plurali*, quia *Christus dixit Petro in singulari, quodcunq; solveris* super terra, scilicet istum vel istum in singulari, divisim & non conjunctim, particulariter & non universaliter. Sed *ecclesiæ universali*, quæ repræsentabatur per Apostolos, dixit: *Quæcunq;, in plurali, solveritis* super terra &c. particulariter & universaliter, *soluta erunt & in cœlis*; Ergò majorem potestatem dedit ecclesiæ quàm Papæ.

Sed jam vide, quam potestas data Petro in ecclesia, in suis successoribus non est intrinseca, sicut data fuit Petro. Quia Petrus non habuit eam per electionem hominum vel apostolorum, licet ipsi voluerint inter se, quod caput & principium teneret apostolatus, ut dicitur *dist.* 21. *In novo.* Sed modò sui successores Romani Pontifices habent eam per electionem Cardinalium. Ergò non inest Papæ hæc potestas intrinsece, & aliunde sibi venit hæc potestas.

Item, non est necessaria potestas Papæ ad salutem: *Quia sine Papa, etiamsi nullus Papa esset in mundo, possent homines salvari Christiani.* Quod non est dicendum de ecclesia. Quia sine ecclesia nullus salvatur. Quicunque enim à societate sive ab unitate ecclesiæ quomodolibet se ipsos separant, tales nec vinculis peccatorum absolvi, nec januam regni cœlestis possunt ingredi, 24. *q.* 1. *Quicunq;.*

Item potestas Papæ est deficiens, vana, fragilis, & caduca. Quia aliquando errat Papa, peccat, deficit & moritur, sicut unus alius homo, Ergo deficit ejus potestas continue; Non sic ecclesia, quæ nunquam erravit, nec peccavit, 24. *q.* 1. *A recta.*

Item non est potestas Papæ plenissima, sicut est potestas universalis ecclesiæ. Quia sibi dictum est: *Quodcunque ligaveris super terram* &c. in singulari, divisim super quemlibet hominem singulariter, sed non est sibi data potestas collectivè & pluraliter, scilicet, quod possit totam congregationem fidelium collective, quæ est ecclesia universalis, judicare, corrigere, & arguere, & suo modo submittere.

Ideò prudenter à Doctoribus Theologiæ expositum est illud, quod dicitur 40. *dist. Si Papa, Ceteros judicat & a nemine judicatur, Verum est divisim & singulariter, sed non est verum conjunctim & pluraliter.* Quia judicatur a concilio generali, quod est ecclesia in unum congregata. Et quod dicitur 9. *q.* 3. *Nemo judicat primam sedem*, scilicet *nulla persona singularis*, ut dictum est supra.

Præterea tanta & tam plenissima est potestas ecclesiæ, quod à nullo mortalium judicari potest, nec singulariter nec pluraliter. Sed Papa judicatur ab ecclesia & judicari potest, secundum verbum Christi. Probatur, quia est vel esse potest peccator, & est frater ac proximus in Christi fide, & Christus mandavit dicens: *Si peccaverit in te frater tuus, corrige eum inter te & ipsum solum:* Et hoc dixit Petro; *Quod si te non audierit, adhibe tecum duos testes* &c. *Quod si non audiverit, dic ecclesiæ.* Ecce quod S. Petro mandavit, qui erat Papa, recurrere ad judicium ecclesiæ & non ad judicium suum. *Et si non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus.* Clarè patet, quod Christus Jesus præposuit judicium

unius ecclesiæ judicio Petri, Papæ, & voluit, quod non solum in his, quæ sunt fidei, potestas ecclesiæ sit major, sed etiam in quolibet peccato corrigibili & scandalizante populum Christianum: *Quia dic ecclesiæ*, quam si non audierit, sit paganus, maledictus & excommunicatus, hæreticus.

Item tanta est & tam excellentissima hæc potestas ecclesiæ universalis, quam repræsentant concilia generalia duntaxat, & nullo modo aliquis Papa, quòd tam lex antiqua quam lex nova à Deo data, dant sibi singulares prærogativas, quas nunquam dederunt alicui Papæ, quantumcunque bonus & sanctus esset. Ipsa nempe primo per testimonium antiquum vocatur *mater. Ecclesiast. 24. Ego mater pulchræ dilectionis.* Et ideò vocatur à fidelibus *sancta mater ecclesia*. Ipsa vocatur per Jeremiam *Domina, Thren. I. Quomodo sedet sola civitas, Domina gentium, princeps provinciarum.* Ipsa vocatur *Regina, Psalm. XLIV. Astitit Regina à dextris tuis* &c. Ipsa vocatur *sponsa Dei, Cantic. IV. Veni electa mea, sponsa mea, Apoc. XXI. vidi civitatem sanctam* &c. *a Deo paratam sicut sponsam ordinatam viro suo.* Ipsa vocatur *corpus Christi* per Apostolum, 1. 4. & 5. capitulis. Et Col. 1.

Sed Papa non vocatur his prærogativis. Primo, quia ipse non vocatur *pater ecclesiæ*, sed benè propter dignitatem vocatur *Pater cujuslibet Christiani. Item* non vocatur Papa *Dominus ecclesiæ*, sed benè *dispensator bonorum ecclesiæ*, 1. *Cor. IV. Sic nos existimet homo* &c. *Item* non vocatur Papa Rex, sed *servus servorum Dei*, dicente Christo *Matth. XX. Quicunque voluerit inter vos major esse, sit vester minister. Item* non dicitur Papa sponsus Christi, sed Ecclesia dicitur *sponsa Christi*: Sed benè secundum Bernhardum ad Eugenium Papam, Papa vocatur *paranymphus*, sive *domicellus sponsæ*, scilicet *ecclesiæ sanctæ. Item* non vocatur Papa *corpus ecclesiæ*, sed benè unum *membrum*, quod est superius & primum in ecclesia, sive caput ministeriale, quin *omnes sumus unum corpus in Christo, singuli autem alter alterius membra*. Si enim Christus nunquam non est membrum corporis ecclesiæ, secundum quod dicit apostolus 1. *Cor. XII. Vos estis*, inquit, *corpus Christi & membra de membro*, dicit membra de [illegible] de membro, id est, Christo capite & commendato nostro. Multo magis potest & debet dici *Papa esse membrum ecclesiæ*, *gerens vicem capitis ecclesiæ*, *qui est Christus*. Sed universalis ecclesia est corpus Christi, fide Christi [illegible], ex multis membris fidelibus in una societate sacramentorum ecclesiæ congregatum. Et cum omne totum est majus sua parte qualibet, & ecclesia est corpus totum, & Papa est membrum illius corporis, sequitur, quod corpus universalis ecclesiæ est majus in omnibus & per omnia, in potestate, & potestatis suæ executione, quam sit vel fuerit aliquis Pontifex Romanus.

Item tanta est potestas ecclesiæ super Papam, quod in omni casu tenentur fideles stare determinationi ecclesiæ & judicio, ac ei obedire, & non tenentur in omni casu stare & obedire determinationi Papæ. Probatur primum: quia tanta est auctoritas ecclesiæ, quod *Augustinus* de ea dicit, quod *evangelio non crederem, nisi me auctoritas ecclesiæ commoveret*. Et causa est, quia hæc potestas ecclesiæ, quæ est scientia destruendi & potentia ligandi ac judicandi & solvendi, & cetera exequendi, quæ fiunt in ecclesia per se vel per membra ecclesiæ, est [illegible] permanenter & perpetuo, quia semper vivit ecclesia, Papa vero non semper vivit. Est etiam in ecclesia rectissimè, juste & sancte, quia nunquam potest errare, cum sit ipsa, [illegible] scilicet, in divina gratia confirmata, sicut sunt angeli in æterna vita, Papa vero potest errare, peccare, & hæresin sapere, [illegible] de Liberio Papa, qui consensit Arianis.

Item in ecclesia est [illegible] cognitio veritatis, maximè illius quæ necessaria est ad salutem, dicente Christo, *Joh. XVI. Spiritus* [illegible] *omnem veritatem*; Et apostolus *I. Tim. III. Scias, quomodo oporteat te in domo Dei conversari, quæ est ecclesia Dei vivi, columna & firmamentum veritatis.* Sed Papa sæpius indiget ab aliis edoceri & informari & etiam de veritatibus ad salutem necessariis. Ergo potestas ecclesiæ est ma-

jor in omnibus, quàm potestas Papæ sit, & superior potestate Papæ.

Cum ergo sit superior & major potestas concilii generalis, quod repræsentat universalem ecclesiam, quàm sit potestas Papæ, sequitur, uti isti dicunt, quod *postquam concilium est semel congregatum* in spiritu sancto, & Christus est in medio eorum, quod *nullatenus potest dissolvi per aliquem inferiorem eô.* Cùm ergò Papa sit inferior eô, sequitur, quod *nec per Papam*, nec per Cardinales, etiam simul cum Papa congregatos, non potest dissolvi. Quia *inferior sedes*, ut ait, *canon Nicolai*, 21. *dist. Potior est, absolvere non potest.* Sola enim potior inferiorem convenienter absolvit. Et ibi de hoc satis dicitur.

Item tanta est excellentia & superioritas potestatis catholicæ ecclesiæ supra Papam, quod, in quibuscunque potest Papa, potest plenius & perfectius universalis ecclesia, per se vel sua membra. Et etiam in pluribus aliis, in quibus non potest Papa per se, & maximè, cum concilium est congregatum *propter tres causas*. Nec potest ipsum dissolvere, nec & contradicere, nec est sibi obediendum, si vellet concilio resistere.

Primus casus est, quando agitur de hæresi. Tunc enim sententia concilii prævalet sententiæ Papæ. Si enim, dum ageretur de hæresis exstirpatione, Papa niteretur concilium dissolvere, aut dum ageretur de unione schismatis, vel de reductione schismaticorum, Papa vellet concilium dissolvere, ei non esset obediendum. Quia dissolvendo concilium Papa impedit, hæresim sive hæreses & schismata exstirpari, & per consequens fovet hæreses & schismata, & videtur eis consentire, qui omnes suos conatus ad ipsorum exstirpationem deberet impendere. Et hoc casu concilium est supra Papam, & potest per concilium judicari. 40. *dist. Si Papa, in textu & in glossa*, [illegible] *dist.* §. *Hinc etiam*, ubi de hoc, *& 2. q. 6.* [illegible] Et facit quod notavit *Joannes Andreæ in c.* [illegible] *De* [illegible] [illegible]

[illegible]

vel ex præcepto Papæ vehementer præsumeretur [illegible] statui ecclesiæ, sicut quando *Papa vellet per se vel* [illegible] *vel indirectè impedire reformationem ecclesiæ, tam in capite quàm in membris*, vel impedire, ne fiat pax inter Christianos Principes & communitates, vel, ne fiat passagium ad liberationem terram sanctam & alias terras Christianorum, quas nunc occupant Turci & Saraceni, vel, quando taliter & tam est manifesta *simonia* in Dei ecclesia, quod [illegible] *sunt venalia*, [illegible]

In prædictis & consimilibus casibus ecclesia Dei, quæ est ipsum sacrum concilium repræsentative, est supra Papam & Papa subjicitur illi. Et in dictis casibus, quamdiu de eis tractatur in generalibus conciliis, quousque finiantur, non potest dissolvere concilium, quia dissolvendo concilium nedum turbat statum ecclesiæ, sed universi orbis, quia in toto orbe sunt guerræ, discordiæ, tyranniæ & consimilia, quæ indigent magna reformatione. Impedire [illegible] vel differre, vel differri facere reformationem, pacem & liberationem & similia prædicta, est turbare bonum statum ecclesiæ & totius orbis, quod Papa non potest de jure facere, & si facit, non est ei obediendum, ut eleganter notavit *Innocentius in c. Quanto, De Consuetudine.* Et *idem tenet Archidiac.* 40. *dist. si Papa, in f. & 15. dist. Sicut.* Et notat *glossa 9. q. 3. Per principalem, & 8. q. 1. §. His omnibus.* Imò fortius *Archidiaconus*, quod ubicunque decoloraretur status ecclesiæ, Papa non potest id facere, ut ipse notavit 2. *q. 1. Sunt quidam*, [illegible] *fine.* Sed status ecclesiæ per malos mores discoloratur. Imò non habet impedire *reformationem morum & virtutum* [illegible], per quam discoloratio removetur. Quia impediendo *reformationem ecclesiæ in membris & in capite*, fovet discolorationem & deformationem & peccata quæ fiunt in ecclesia, sicut impediendo exstirpationem hæreseos videtur fovere hæresin & schisma. Et ergò arguetur ut schismaticus & hæreticus, & condemnabitur, præsertim, si in hoc impedimento fuerit contumax & pertinax & [illegible] universalem ecclesiam

am Dei, & monitus noluerit desistere, ut notat *glossa in c. Si Papa 40. dist.*

Tertius casus, quando Papa aliquid facit, ex quo vehementer præsumuntur multa mala ventura, vel evenire posse, tunc hoc Papa facere non potest de jure, & si facit, non est ei obediendum, ut *Innocentius & Johannes Andreæ in c. dicto, Inquisitioni, De Sent. excommun.* Ut si sint duo de Papatu contendentes & colludunt ad invicem, & intelligunt se mutuò, & non curant schisma dissolvere, Aut si Papa est unicus, & capit partem cum aliquo Principe vel communitate, vel facit guerram alicui Domino vel communitati inter Christianos, solum propter affectionem vel rancorem, & non propter defensionem terrarum ecclesiæ, vel aliam causam legitimam, ex quâ guerrâ sequuntur multa mala: Vel si Papa turbat sacrum concilium, ne fiat reformatio ecclesiæ in membris & in capite. Aut, postquam concilium est congregatum, nititur ipsum dissolvere, aut ejus reformationibus & decretis contradicere, & non vult statuta & decreta concilii observare, nec observari mandare. Imò dispensat cum eis omni die. Ex quo facto crescunt odia, rancores & scandala inter Papam & concilium, & fit magna turbatio in Dei ecclesia, & forsan oritur in ecclesia propter hoc schisma, & dividitur in duas partes plebs Christicola, & aliqui tenent cum concilio, & aliqui cum Papa, & forsan impedit Papa fieri inter Dominos & Reges Christianorum & communitates in casibus istis & similibus, in quibus turbatur status universalis ecclesiæ, seu dividitur aut impeditur reformatio ecclesiæ, directè vel indirecte, vel Papa scandalizat concilium, quod repræsentat universalem ecclesiam. Si monitus prima & secunda correctione noluerit desistere, & incorrigibilis illis duabus vicibus appareat publice, ex tunc concilium poterit contra ipsum procedere, sicut contra hæreticum, dicente Apostolo; *Hæreticum hominem post primam & secundam correctionem devita.*

Nec potest Papa in illis & consimilibus casibus dissolvere concilium, aut dissolvi mandare. Nec est ei obediendum, quia in talibus casibus non sunt licita & honesta ejus mandata. Quia in casibus, in quibus Papa non potest disponere, jure prohibente, prævalet sententia concilii sententiæ Papæ, & concilium est judex competens ad reformandum malè gesta per Papam, *juxta theoricam Archidiaconi & Joannis Andreæ in c. In fidei favorem, De hæretic. L.6.* Et licet ipsi loquantur in primo casu, scilicet, quando agitur de turbatione status ecclesiæ & ejus discoloratione: Et quando agitur de alia re, ex qua præsumuntur multa mala evenire posse in plebe Christiana: Tamen hos *tres casus* parificant *Innocentius & Johannes Andreæ, in dicto c. Inquisitioni.* Cui Innocentio, cùm fuerit Papa & in jure peritus, ac plures decretales edidit, valdè credendum est: Et etiam *glossæ in dicto c. Si Papa*, quæ magnæ autoritatis est, & quam nullus reprobat, & quæ prædicta confirmat. Imò alia duo addit, de quibus nihil dixit Innocentius, videlicet quoad factum Papæ, si peccatum sit notorium & scandalizans, & Papa sit incorrigibilis, quod potest judicari à conciliis & deponi, quia pertinacia in Papa est hæresis, ut ibi allegatur.

Et sic in istis casibus & similibus, maximè *ubi agitur de reformatione ecclesiæ*, & de Christianorum pace, de hæreticorum exstirpatione, & de schismaticorum reductione, non potest dissolvi concilium per Papam, nec per Imperatorem, nec per aliquem mortalem viventem, quousque illæ causæ, propter quas concilium fuit congregatum, terminentur & finiantur. Quia *omnis res, per quascunque causas nascitur, per easdem dissolvitur, De R. I.*

Et pro tunc solum *concilium dissolvit concilium.* Quia in prædictis casibus Papa subjicitur concilio, ut suprà in *decretis duobus concilii Constantiensis*, celebrati anno Domini M CCCC XVI. Per quæ *duo decreta* comprehenditur, quicquid est corrigendum, quicquid est reformandum, quicquid est emendandum in clero, & in populo Christiano, & in Pontifice Romano. Quia ponuntur in eis *tres gradus*, in quibus Papa subjicitur con-

concilio, & est inferior eô. *Primò* quod *subjicitur in his*, quæ sunt fidei & reformationis cujuscunque. *Secundò subjicitur* in his omnibus, quæ pertinent ad fidem & reformationem. *Tertiò subjicitur* in pertinentibus ad pertinentia ad fidem & reformationem. Et hic gradus est tantæ extensionis, quod vix excogitari potest, quod non sub ipso comprehendatur.

Et *in secunda sessione concilii Basileensis* fuit declaratum & factum unum decretum, quod Papa non potuit nec potest sacrum concilium Basileense, quod nunc existit, dissolvere absque ipsius consensu & declaratione, nec amovere à concilio eos, qui in eo sunt, aut impedire alios, ne veniant, & quoscunque processus in contrarium, esse irritos, etiam per papam factos.

Patet ergò ex istis duobus decretis eminentia potestatis generalis concilii super Papam, quæ est in omni generalitate & plenitudine absque limitatione, & in nullo dependet à potestate Papæ, imò è converso potestas Papæ, ut est dictum, dependet à potestate conciliorum & universalis ecclesiæ, quæ concilia sæpius infligunt pœnas summis Pontificibus propter excessus, & inducunt eis leges & decreta, quibus suas dirigant actiones, ut *vidimus de Papa Johanne XXIII. & de Gregorio XII. & Benedicto XIII.* anno Domini MCCCCXV *in Concilio Constantiensi*, qui fuerunt depositi à jure Papatus, super quo contendebant, si quod habebant.

Et propter istam eminentiam potestatis ecclesiæ universalis super potestatem Papæ dicunt isti de tertia opinione, quod *Papa tenetur recipere statuta & decreta universalis ecclesiæ & conciliorum generalium*, & ea approbare & servare ac defendere & servari facere. Quia frustra fiunt leges, nisi sit qui tueatur eas. Et quis magis debet leges sacri generalis concilii tueri & servare, quæ sunt à Spiritu sancto, quàm Papa, qui est superior minister ecclesiæ & dispensator mysteriorum Dei supremus, qui pro eis conservandis & tuendis usque ad animam & sangvinem stare debet.

Patet etiam hoc exemplo Pauli apostoli, *Gal. II.* ubi apostolus testatur, quod pro eo, quod Petrus daret occasionem, ut alii non observarent decreta de legalibus non observandis in tertio concilio apostolorum, Paulus restitit sibi in faciem, quia reprehensibilis erat, eò, quod non ambularet ad veritatem Evangelii.

Certè ubicunque etiam aliquis non observat conciliorum decreta, quæ sunt quasi Christi Evangelia, & sunt quasi fides catholica, ut testatur *Gregorius, XVI. dist. Sicut sancti*, quia talis facit contra fidem, & contra libertatem religionis Christianæ, nullatenus patienter ferendus est, imò statim ei resistendum est, quia injurias Dei similiter & fidei nullatenus dissimulare debemus, ut patet ex principio *dicti c.* Ubi dicit Paulus, quod cùm aliqui subintroducti fratres subintroissent explorare libertatem, quam habent fideles in Christo, quod nec ad horam cessit subjectioni, ut veritas evangelii appareret. Et constat, esse contra libertatem universalis ecclesiæ, quod Papa pro libitu voluntatis valeat immutare decreta, quæ fiunt à generalibus conciliis, & ea non servare. Videtur enim ob hoc concilia generalia deridere, & quasi nulla fuisse & esse declarare, & potestatem suam potestati universalis ecclesiæ præponere, & ecclesiam universalem nullam potestatem habere, & reformationem ecclesiasticam in membris & in capite, & correctionem morum perversarum & pœnitentiam peccatorum non curare & fugere & habere nolle. Quid enim est reformatio nisi peccatorum correctio & emendatio? Quid Christus caput ecclesiæ prædicat nisi pœnitentiam agere, appropinquavit enim regnum cœlorum. Et hanc reformationem & pœnitentiam peccatorum sacrùm concilium prædicat, præcipit & declarat.

Et est mirandum in oculis nostris, quod Papa dicit, se à Christo habere plenitudinem potestatis super omnes Christianos singulariter corrigendi, ligandi & solvendi, & animas ad paradisum ducendi: Ipse fugit hanc peccatorum pœnitentiam, hanc reformationem ecclesiasticam annullat, & cassat eam

eam in quantum statuta & decreta sacri concilii non vult suscipere, nec servare, nec præceptis concilii obedire, juxta illa *duo decreta Concilii Constantiensis*, quæ juravit servare, contenta in *decreto, Frequens*, & enervat omnem potestatem concilii & universalis ecclesiæ, & per consequens, fidem Christi evangelicam, quæ continetur in decretis concilii, directè vel indirectè videtur negare. Non enim videtur asserere istum articulum fidei: *Credo unam sanctam catholicam ecclesiam*, quam repræsentat sacrum concilium.

Ergò videtur istis conclusionabiliter, quando Papa impugnat decreta conciliorum, quæ sunt à spiritu sancto, videtur quasi durus & circumcisus corde resistere spiritui sancto, ut dicebat S. Petrus Judæis. Et eapropter culpandus venit de hæresi, attento maxime, quod *concilia tam* sunt *credenda & veneranda sicut quatuor evangelistarum evangelia*, ut ait *Gregorius*, *15. dist. Ecclesia.* Et qui non credit evangelio, jam judicatus est, Ergo hic consimili modo.

Præterea ridiculosum, ignominiosum, & multum verecundosum est dicere, quod respublicæ seculares, & regna & dominia quærunt reformationes pro tuenda & conservanda libertate cujuslibet reipublicæ, & servant plenariè dominiorum statuta: Et quod Christi vicarius, Prælati ac Cardinales, & alii in peccatis involuti ecclesiastici, qui non quærunt in his dignitatib' quæ sunt Jesu Christi, qui dedit eis totum, quod habet patrimoniũ, sed ut bona propria, pecunias & beneficiorum mercimonia, isti publice & palam sine timore Dei & verecundia defendunt peccata, defendunt publicas rapinas, & nolunt corrigi nec reformari, nec pœnitentiam de peccatis tam gravissimis agere, & infinitos Christianos eis subditos, credentes has simonias & rapinas suis Prælatis licere, propter abusiones antiquas, secum trahunt ad infernum per mala exempla, & per malas doctrinas. Et tales etiamsi sint Romani Pontifices, ex quo nolunt pœnitentiam agere de peccatis, tot mortibus digni sunt, quot ad subditos perditionis exempla transmittunt, ait *Gregorius XI. q. 3. c. Scire debent*. Et veniat mors super illos & descendant in infernum viventes, & deleantur de libro viventium, & cum justis non scribantur, qui potuerant fidem Christi & ecclesiam Christi sanctis moribus antiquis ornare & defendere ac exaltare, & *propter propria eorum commoda*, vigente in eis cupiditate & avaritia, scienter noluerunt hoc facere.

Et ideò dicunt isti, quod sacrum concilium, quod habet potestatem immediatè à Christo, imò quilibet Christianus, pro tuenda libertate ecclesiæ, scilicet quod non sit serva peccati, acriter & publicè, palam & occultè, debent Papæ & quibuscunque aliis ecclesiasticis, servare nolentibus decreta, in conciliis generalibus in faciem resistere & obedientiam subtrahere, & tanquam à pagano, hæretico, & fidei inimico ab eo fugere, & ab ejus obedientia & sequela recedere: Imò ut loquitur *Tullius* de tyranno, *cum artibus, cum dolis, cum fraudibus, cum facultatibus, cum exiliis, cum damnis, cum mortibus, ipsum Papam & quemcunq; alium Prelatum, Dominum, Principem secularem & ecclesiasticum, nolentem obedire preceptis sacrorum conciliorum & decretis, coërcere secundum leges & decreta sanctorum Patrum.* Huc enim spectant leges, hoc volunt, incolumem esse civium junctionem, quam qui dirimunt, ait ipse Tullius, vinculis, exiliis, mortibus & damnis coërceant, secundum leges, & cum artibus, cum opera, cum facultatibus devinciant hominum inter homines societatem.

Et quæ est major & verior societas spiritus, quam ista, quæ continetur in fidei articulo, ubi dicitur: *Credo sanctam catholicam ecclesiam, sanctorum communionem.* Quam qui dirimunt, dicentes, Papam majorem esse in potestate quam sacrum concilium, cum concilium recipiat ab eo auctoritatem, ut *De electione c. Significasti*, & notat *glossa in c. Ubi periculum, eod. Tit. L. VI.* Ergò potest statuta concilii corrigere & mutare, uti *notat Joannes Andrea in dicto c. Significasti, & c. Ubi periculum*, Meritò debent coërceri & compelli, secundum canones sanctorum Patrum nostrorum antiquorum

quorum, & debet ab eis tanquam ab impiis & ecclesia malignantium recedi, juxta mandatum Dei *Num. XVI. Separamini, inquit, à tabernaculis horum hominum impiorum & nolite tangere quicquam de manibus eorum.* Et apostolus dixit nobis: *Subtrahite vos ab omni fratre ambulante inordinate.*

Et quis dubitat, quod Papa est supra concilium, *justitiam temperare desiderans*, & populum Christianum in omni bonitate, in omni bona virtute & justitia gubernans, ut ponitur 9. *q.* 3. *Aliorum.* Et quis dicit sibi, *quando bene vivit*, *& quando bene regit ecclesiam*, *& quando bene facit*: Cur hoc facis?

Sed si peccat publicè, si non servat jura & canones & decreta sanctorum patrum & sacrorum conciliorum, certè minor est omni homine, Erpo minor sacro concilio, nec minimum decretum sacri concilii potest immutare, nec cum eo dispensare, præsertim in tribus casibus prædictis, *primò* cum agitur de reformatione ecclesiæ, *secundò* de hæreseos exstirpatione, *tertiò* de schismaticorum unione. Et sic intelliguntur ista jura superius allegata pro parte Papæ, in quibus casibus subjicitur Papa concilio, & est minor eò, & non potest absque legitima causa minimum sacri concilii decretum imutare.

Præterea, *si Papa & Cardinales decreta conciliorum non recipiant* seu non servent aut servari faciant, totum statum universalis ecclesiæ conturbant, & ipsam ecclesiam discolorant per malam vitam, per rapinas publicas & simonias, & sunt contra reformationem ecclesiæ & correctionem peccatorum, ex quibus fiunt multa mala, multa scandala, & forsan unus Princeps cum concilio est, & alius cum Papa, & fiet schisma in Dei ecclesia, & guerra & seditio in plebe Christicola: In quibus casibus, ut dictum est, Papa subjicitur concilio, & judicatur in concilio, & maxime, quia scandalizat ecclesiam, non recipiendo aut servando conciliorum decreta, & est pertinax, & incorrigibilis, ut ponitur *in c. Si Papa, dist. 40. in textu & in glossa.* Venit ergò *puniendus* & corrigendus à sacris conciliis, tanquam pro crimine hæreseos, ut ibi ponitur.

Præterea, nedum quando Papa infringit decreta conciliorum & non servat ea, venit puniendus, sed etiam quando ejus exemplo alii sumunt occasionem, quod non servant, etiam est reprehendendus & corrigendus, exemplo Petri Papæ ecclesiæ. Quia, cùm fuisset Judæus adhuc, erat ei libertas utendi legalibus, sed quia, quando ipse utebatur, putabant gentiles, quod hoc erat de necessitate ipsis, ideò fuit reprehensus à Paulo, propterea, quia ipsius exemplo alii sumebant occasionem se non conformandi decreto sancito in tertio concilio apostolorum. Præterea fuit Petrus reprehensus à Paulo, quod non ambulabat ad veritatem evangelii, quia lex evangelii erat libera & legalibus non subjecta. Sic eodem modo universalis ecclesia est libera, libertate, quâ Christus eam liberavit, evangelicâ, scilicet à servitute peccati, quia tota pulchra est, & macula non est in ea. Si ergò Papa nititur ipsam servituti peccati subjugare per simonias, per promotiones iniquas, per tyrannias, & exactiones indebitas, & peccata alia publica & scandalosa, per superbias, per pompas, per partialitates & gverras, certè ad salvandum hanc libertatem dictam universalis ecclesiæ & religionis Christianæ debent omnes Reges terræ adstare, & Principes ac omnes Christi fideles in unum convenire adversus Christum Domini, adversus vicarium ipsius Christi Jesu, & alios ejus sequaces quoscunque, qui reformationem conciliorum fugiunt, & decreta ipsorum contemnunt, & eis omninò resistere, & ab ejus obedientia recedere. De mandato tamen universalis ecclesiæ, quam repræsentat sacrum concilium, debent principes & alii hanc subtractionem facere.

Patet ergò ex supradictis, quod eò ipso, quod congregatum est concilium, & habet suam potestatem immediatè à Christo, intelligitur habere superioritatem & majoritatem suprà Papam, & Papam esse inferiorem concilio. Et cùm inferior non possit tollere auctoritatem superioris, aut ipsam destruere, sequitur, quod *Papa non possit concilium dissolvere.* Est enim repugnantia contradi-

traditionis, quod Papa teneatur præceptis & decretis concilii obedire, & quod possit pro libitu suo illud dissolvere & destruere, ipso concilio invito.

Secundò probant isti de tertia opinione, *quod nullus, etiamsi sit Papa, possit concilium dissolvere*, ex benignitatis spiritus sancti præsentia seu assistentia. Fides enim catholica est, ut credamus, in generalibus conciliis, postquam fuerunt semel congregata legitimè, spiritum sanctum adesse, & ipso spiritu sancto gubernari & continuari & regi & finiri propriè, ut omnia statuta, canones, & decreta in eis facta à spiritu sancto esse inspirata, & eis, uti evangelio, fides adhibenda, eò, quod sicut universalis ecclesia, ut dictum est, sancta & immaculata est, & errare non potest, sic sacra generalia concilia sunt sancta & à spiritu sancto regulata, qui *ipsa errare non finit in suis agendis conciliariter, licet possint errare in suis suppositis particulariter.* Sunt enim unum unitate repræsentationis concilia generalia & ecclesia universalis, ita, quod quicquid agit concilium, vel patitur, ipsa universalis ecclesia agere vel pati dicatur.

Et ideò Christus nomine universalis ecclesiæ notavit sacra concilia, cùm Petro dixit *Matth. XVIII. Si te non audierit, dic ecclesiæ, scilicet concilio generali.* Et ad denotandum, quod ipse Christus, sive Spiritus sanctus, est in ipsis conciliis, subjunxit statim in eodem evangelio: *Ubi fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ego sum in medio eorum.* Et etiam ad servandum, quod, quicquid conciliariter vel universaliter fit in conciliis, & quicquid ibi decretatur & constituitur, totum est à spiritu sancto, ipse dixit *Matth. X. Non* enim *vos estis, qui loquimini, sed spiritus patris vestri, qui loquitur in vobis.* Imò, cùm dedit universali ecclesiæ & sacris conciliis potestatem remittendi & retinendi peccata, primò, ut patet *Joh. XX.* dixit Apostolis: *Accipite Spiritum sanctum, quorum* &c. ostendens, quod tale concilium facere non potest sine assistentia Spiritus sancti. Ideò sanctus Petrus 1. *Petr. 2.* dixit: *Spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines,* & docuerunt *in virtute fidem, & in fide abstinentiam, & in abstinentia scientiam, & in scientia pietatem, & in pietate timorem Domini.*

Imò superioritas sive excellentia ecclesiæ, respectu Papæ, provenit ex speciali assistentia Spiritus sancti in concilio, & ex immediata præsentia Christi. Ideò enim, quod in conciliis definitur, non hominibus primò, sed Spiritui sancto attribuitur, ut satis clare dilucidatur *Actor.* 15. in isto quarto concilio apostolorum, ubi dixerunt apostoli in promulgatione sententiæ sic: *Visum est Spiritui sancto & nobis.* Ex quibus verbis liquet, quod Spiritus sanctus simul operatur, & judicat cum his, qui sunt in concilio. Et ideò ecclesia, prout est in concilio, est corpus mysticum, non habens aliud caput pro tunc, nisi mysticum, quod est Christus.

Veruntamen, si in eo est *Papa*, benè dicetur & dici potest *caput ministeriale.* Et forsan *hoc pro tunc non est dicendum,* quia, cùm principale agens, quod est Christus, qui est in medio concilii, per se & immediatè operetur in eis, *non videtur dici verum, quod Papa sit caput concilii, nisi intelligatur, scilicet, quod est principale membrum concilii* & primum. Et ideò *largo modo* potest dici *caput concilii,* quia solus Christus sive Spiritus sanctus in concilio per se & immediatè regit ecclesiam & exercet actiones competentes capiti. Et ideò, si error posset contingere in conciliis, in quantum patres, qui sunt in conciliis, judicarent singulariter, sicut homines: Hoc tamen contingere non potest in actionibus eorum, quæ fiunt conciliariter, quia pro tunc cum eis simul definit & judicat Spiritus sanctus, qui errare non potest. Ideò dicitur *Actor. XX.* Prælatis in concilio existentibus: *Attendite universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos, regere ecclesiam Dei, quam acquisivit sangvine suo.* Ex qua auctoritate insinuatur, quod Prælatis & viris ecclesiasticis in concilio congregatis competit plenitudo potestatis ad regimen universi populi Christiani. Et ideò dicitur & tenetur tanquam articulus fidei, quod sacrum concilium recepit & habet potestatem im̃ediatè à Christo, &

& non ab aliquo homine puro.

Si ergò dicitur in jure, quod *Papa dat auctoritatem conciliis*, intelligitur de *convocatione ipsorum*, quod erant auctorizata secundum jura antiqua, quando convocabantur & approbabantur per Papam, ut *non reciperent aliquam potestatem à Papa*, sed solùm à Christo & à spiritu sancto, cujus nomine erant congregata, & qui Spiritus sanctus regit ea per se & immediatè, & operatur actiones conciliales. Si ergò Spiritus sanctus ea per se regit & immediatè, & nulla creatura potest resistere Deo, juxta dictum psalmistæ: *Tu terribilis es, & quis resistet tibi? Ex tunc ira tua.* Ergò nulla creatura *nec aliquis Papa potest auctoritate propria resistere conciliis, aut ea dissolvere*, quia sacra concilia non sunt ex hominibus, sed ex Deo, & ideò non possunt dissolvi particulariter per homines, licet bene universaliter, dum sunt congregati in concilio.

Et hoc clarè ostenditur in Actis apostolorum, ubi Gamaliel dixit: *Si ex hominibus est consilium, hoc opus dissolvetur, si autem ex Deo est, non poteritis dissolvere, ne fortè & Deo repugnare videamini.* Ergò concilium, quod est in spiritu sancto legitimè congregatum, non potest per alium, quàm per Spiritum sanctum, qui semper est in universali ecclesia, dissolvi, & per ipsum sacrum concilium, in quo est ipse Spiritus sanctus.

Ex qua conclusione sequitur correlative, quod, sicut concilia sunt à Spiritu sancto, ita omnia gesta, dicta & statuta ac decreta, facta conciliariter, sunt à Spiritu sancto, & quicunque ea non recipit, nec tenet aut observat, etiamsi sit Papa, aut aliqua alia persona, resistit Spiritui sancto, & mentitur Spiritui sancto, & contemnit mandata spiritus, quæ sunt quasi documenta fidei, ex quo venit puniendus hæreseos crimine, cùm notoriè erret in fide Spiritus sancti, quod clarè manifestat S. Petrus in Actis apostolorum, cùm inquit Ananiæ: *Anania, cur tentavit Sathanas cor tuum, mentiri spiritui sancto? Non es mentitus hominibus, sed Deo. Pecunia tua sit tecum in perditionē.*

Sic isti ibunt in perditionem, qui spernunt & non servant conciliorum decreta, *propter cupiditates suas & avaritias, & pecunia eorum* erit in perditionem ipsorum. Sicut enim sacra *concilia pro reformatione ecclesiæ & Romanæ curiæ decertant* & statuunt aliquod decretum, quod sit *contra collationes beneficiorum injustas, vel contra receptiones pecuniarum pro beneficiis, in Camera apostolica* ex perversa consuetudine dandis, seu *de causis in curia Romana non tractandis*, vel consimilibus decretis sanctissimis, quæ fiunt ad hoc, *ut reformetur ecclesia & exstirpetur diabolica simonia*, & ut exaltetur fides catholica, subito clamat & reclamat, contradicit & protestatur Romana curia, ut factum est temporibus de anno Domini MCCCCXXXV. de decreto facto in Basiliensi concilio sacro *de annatis & communibus servitiis* non solvendis cameræ apostolicæ pro aliquibus beneficiis. Et breviter: *Ubicunq; tangitur pecunia exstirpatio seu diminutio, non vult Romana curia, quod fiat aliqua reformatio seu correctio in membris & in capite.* Et sic annullantur omnia conciliorum decreta & fiunt in vanum & frustra sacra concilia. Et tamen nihilominus Papa dicebat *20. dist. Si decreta Romanorum Pontificum non habetis, de negligentia atq; incuria estis arguendi: Si habetis, & non observatis, de temeritate estis corripiendi, etiamsi dignitatis Papalis existant, qui non servant decreta sanctorum conciliorum, quorum potestas major est quam Romanorum Præsulum.* In tanta enim veneratione erat congregatio sive concilium Apostolorum, ut scribitur *Actor. XI.* & Seniorum, quod putabatur non licere quicquam ardui, etiam ipsum Petrum facere absque prædictorum deliberatione. Unde, quia Petrus baptizavit Cornelium, qui erat gentilis, & comedit cum ipso, quando reversus est Hierosolymam, ubi tenebatur concilium Apostolorum, & erat congregatio ipsorum, disceptabant adversus illum pro hoc opere bono, & ad quietandum ipsum oportebat, quod redderet rationem de gestis, & tamen constat, quod baptizare & prædicare erant bona opera, & injuncta apostolis per Christum, *Matth. ultimo: Euntes in mundum universum, prædicate evangelium omni creaturæ, baptizantes eos.*

Imo legitur, quod si Papa in conciliis Patrum nostrorum facta decreta & statuta volebat immutare, vel cum eis dispensare, aut contra canones, factos in conciliis, aliquid asserere vel disputare, non acquiescebatur ei, imò resistebatur. Ut expresse legitur de concilio Africano, in quo concilio cum legati Papæ ostendissent literas Romani Pontificis, asserentes competere Papæ cognoscere de approbationibus episcoporum juxta deliberata in primo concilio Niceno, concilium respondit, oportere videri, an ista in gestis ipsius concilii continerentur, fuitque missum ad Græciam pro veris exemplaribus dicti concilii, & quia ibidem non compertum est, quod Papa per suas literas asserebat, responsum fuit, non standum esse in hoc literis Papæ.

Ipsa etiam sacra concilia erant in tanta reputatione, quod quodcunque decretum in eis factum dicebatur veritas Evangelica. Ut dictum est supra *Gal. 2.* quod ideò Paulus reprehendit Petrum, quon non ambulabat ad veritatem evangelii, id est, quia non servabat decretum legalium factum in tertio concilio apostolorum.

Et ideò dixit *Gregorius 15. dist. Sicut sancti*, ut dictum est supra, *Quatuor concilia, quibus semper succedunt alia concilia generalia, suscipere & venerari me fateor. Cunctas vero, quas præfata concilia personas respuerint, respuo, & quæ venerantur, amplector, quia dum universali sunt consensu constituta, se & non ista destruit, quisquis præsumserit absolvere, aut ligare, quos absolvunt, aut ligant, dist. 15. Sicut.* Quod quidem decretum multum notandum est. Quia, si sanctus Gregorius, qui fuit Papa, non habens peccatum mortale, ut creditur, voluit se subjugare conciliis generalibus, ut asseruit, quod cunctas personas, quas condemnant; ipse condemnet, & quæ venerantur, amplectetur, & ita præcipit & mandat: Sequitur ergò, quod, si concilia faciunt decreta, & aliqua persona ea non recipit, etiamsi sit dignitatis Papalis, si talis persona condemnetur per concilium, quod jura volunt, quod talis persona justissime est condemnata.

Concluditur ergò, quod potestas concilii est major quam potestas Papæ. Et sequitur per hoc corollarie, quod Papa potest conciliú dissolvere nullo modo, propria auctoritate: Quia ipsum concilium in spiritu sancto legitimè est congregatum, & per spiritum sanctum gubernatum & regulatum.

Et scriptum est in Evangelio, *quos Deus junxit, homo non separet.* Quia, sicut Deus & Spiritus sanctus conjungit matrimonium corporale, & homo terrenus non potest illud, si est legitimum, separare; Ita sacra generalia concilia congregantur & gubernantur Spiritu sancto, & non possunt separari ab aliquo Pontifice.

Tertio dixi & dico finaliter ad conclusionem istius mei pauperis *tractatus*, qui vocatur *Gubernaculum conciliorum*, quod Papa non potest concilia dissolvere, postquam sunt congregata legitimè, *ex societate populi Christiani*, in eo existentis, sed solum ipsa sacra concilia possunt virtute spiritus sancti dissolvere seipsa.

Probatur hæc conclusio; Certum est enim, quod universalis ecclesia est quoddam corpus mysticum, & res quædam publica populi Christiani. Etenim *unum corpus sumus in Christo*, ait apostolus, *singuli autem alter alterius membra*, *1. Cor. XII.* Quia, sicut *caput istius corporis*, scilicet *primum membrum & principale* est *Papa*, *sic oculi* sunt *episcopi & Prælati*, qui superintendunt, *lingua & palatus* sunt *prædicatores* & Prophetæ & Doctores, *manus* sunt *Reges*, ecclesiæ defensores, *pedes* sunt *laici* & laborantes, & & sic de aliis membris, & unum membrum indignius altero, ut dicit apostolus, quia unum indiget opere alterius. Ideo dixit Paulus, ut dictum est, *alios quidem dedit in ecclesia pastores, alios Prophetas, alios Doctores, in consummationem ministerii, & in ædificationem corporis Christi.*

Cum ergo ista sanctissima respublica sit universalis ecclesia, cui immediate data est à Christo potestas plenissima, & sic res communis populi Christiani & populus sit cœtus multitudinis, juris consensu & utilitatis communione sociatus, secundum *Plutarchum*, & ipsa sacra

cra concilia generalia faciat ipse populus Christianus in Spiritu sancto legitimè congregatus: Sequitur ergò, quod major est potentia membrorum omnium corporis, simul mixtorum, & in unum propositum tendentium pro communi utilitate, quam sit virtus & potestas membri, etiamsi sit caput & primum membrum principale, quia virtus unita est fortior se ipsa divisa, *De trenga & pace*, *c.1.* Virtus ergò inferior non potest dissolvere superiorem. Cùm ergò potestas Papæ sit inferior potestate ipsius sacri concilii, Ergò non poterit dissolvere quoquomodo juridicè & secundum rationem ipsius sacri concilii congregationem, quia *Esaias* Propheta ait *c. X. Numquid gloriabitur securis contra eum, qui fecit eam, aut exaltabitur serra contra eum, qui trahit eam.*

His itaque ex divina scriptura commemoratis, juxt. *canon. 21. dist. c. Inferior*, sole clarius exhibuimus, non posse quidquam, qui minoris auctoritatis est, cotra eum, qui majoris est potestatis, judiciis suis adjicere, id est condemnare, aut propriis definitionibus subjugare, Ergò multo minus potest dissolvere ipsum, & sic correlative inferendo, multòminus potest decreta concilii infringere, aut cum eis dispensare sine concilii auctoritate.

Et hoc *probatur via naturæ, via scripturæ & via legis Canonicæ.*

Natura enim dictat, quod facta & consulta per rempublicam, populi Christiani & multorum sapientum capita, magis sunt authentica & valida, quàm ista, quæ per unam personam, sicut est papa cum Cardinalibus, sunt determinata. Ideò dicebat Deus per Prophetam in Lege: *Interroga patres tuos, & annunciabunt tibi, majores tuos, & dicent tibi.* Et Dominus noster Jesus Christus, ut magis firmaret & fortificaret suum Evangelium, voluit habere XII apostolos secum in consortium. Et Lex Canonica dicit per *Innocentium* Papam, *20. dist. c. De quibus causis: Si quæstionis qualitas non lucide investigatur de scripturis sacris, seniores provinciæ congrega, & eos interroga, facilius namq; invenitur, quod à pluribus senioribus quæritur.* Unde repromissor Dominus *Matth. XVIII.* ait: *Si duo ex vobis vel tres in unum convenerint super terram de omni re, quamcunq; petierint fiet illis à patre meo.* Ecce quantum iste Papa Innocentius fortificat conciliorum decreta, & amplexatur & corroborat *ea, quæ fiunt per seniores ecclesiæ, & per deputationes & nationes masticata.*

Imo temporibus antiquis, de quibus videtur in pluribus sanctorum canonum locis, quod communiter Romani Pontifices abhorrebant & fugiebant sacra concilia generalia, & multi ex eis Romanis Pontificibus nolebant servare conciliorum decreta, mandaverunt, & decretum perpetuum statuerunt ipsa generalia concilia, quod quicunque appellaverit & restiterit aut refutaverit decreta generalium conciliorum, condemnetur, & qui aliter tenuerit vel receperit, quam illa, quæ mandant generalia concilia, quod sit hæreticus, & pœnis hæreticorum ab ecclesia Dei exterminetur. Uti patet clarissimè de sacro concilio Chalcedonensi, quod fuit unum de illis quatuor conciliis famosissimis, de quibus dixit *Gregorius, 15. dist. c. Sicut sancti*, quod decreta eorum sunt sicut sancta Dei evangelia. Et in illo sacro generali concilio fuit factum ad perpetuam rei memoriam hoc decretum isto modo: Et ponitur hoc decretum in actione XI. seu sessione illius concilii: *Regula est, ut ab electa synodo non liceat appellare. Isti igitur hac ipsa sunt electione damnati.* Et subjungitur ultra: *Hæc est fides patrum, qui præter ista sapit, hæreticus est, qui aliter sapit, anathema est.* Et inferius subjungit declarative: *Appello te, idem est quod refuto te.* Et post subjungitur hæc clausula: *Cesset igitur jam profana intentio. Nam vere impius est atq; sacrilegus, qui post sacerdotum sententiam opinioni suæ aliquid tractandum reliquit.* Et subjungitur: *Quisquis enim post veritatem repertam aliquid ulterius discutit, mendacium quærit.* Hæc fuerunt decreta in ipso concilio Chalcedonensi.

Item *in Concilio Constantiensi* ex decretis XXXII. sessionis habetur *certa forma juramenti*, quam quilibet electus in Roma-

manum Pontificem debet præstare, & inter alias clausulas inseritur, quod *jurét tenere fidem secundum traditiones generalium conciliorum.* Ergò si non servet traditiones generalium conciliorum, est perjurus, & venit deponendus à Papatus administratione.

Ideò sanctus Papa Gregorius strictissimè servabat conciliorum decreta, cùm dicebat 15. *dist.* *Si ea destruerem, quæ antecessores mei statuerunt, non constructor, sed eversor esse justè comprobarer.* Item dixit: *Absit à me, ut statuta aliorum cum sacerdotibus meis infringam, quia mihi injuriam facio, si fratrum meorum jura perturbo.* Item *Leo Papa* dicit: *Quæ ad perpetuam generaliter ordinata sunt utilitatem, nulla commutatione varientur.* Item *Gelasius Papa* dixit: *Confidimus, quod nullus jam Christianus ignoret uniuscujuscunque synodi constitutum, quod universalis ecclesia approbavit consensus, nullam magis exequi sedem præ ceteris oportere, quàm primam.* Item *Urbanus Papa* dixit: *Sunt quidam dicentes, Romano Pontifici semper licuisse novas condere leges, quod & nos non solùm non negamus, sed etiam valdè affirmamus. Sciendum verò summopere est, quod inde novas leges condere potest, unde evangelistæ nequaquam aliquid dixerunt, ubi vero Dominus vel ejus apostoli & eos sequentes sancti patres sententialiter aliquid definierunt, ibi non novam legem Romanus Pontifex dare potest, sed potius quod prædicatum est usque ad animam & sanguinem confirmare debet.* Item *Zosimus* Papa dixit: *Contrà statuta patrum condere aliquid vel mutare, nec hujusmodi quidem sedis potest auctoritas.* Item *Leo Papa* dixit: *Ideò, permittente Domino, pastores hominum sumus effecti, ut, quod patres nostri sive in sanctis canonibus sive in mundanis adstrinxere legibus, excedere minimè debeamus, contra sanctorum quippe agimus saluberrima instituta, si quod ipsi divino statuerunt consilio, intactum non servamus.* Hæc ibidem.

Et quod decretis conciliorum debent Papa & Cardinales acquiescere & obedire, patet ex quatuor conciliis apostolorum, de quibus dictum est suprà, si quis benè ea inspiciat. Imò S. Petrus, qui erat Papa, obediebat mandatis concilii sine aliqua resistentia, uti patet clarè etiam *Actor. VIII.* ubi dicitur. *Quod cùm audivissent apostoli, qui erant Hierosolymis congregati in concilio, quod recepit Samaria verbum Dei, statim ad eos miserunt Petrum & Johannem, & ipsi statim obediverunt, & ad eos iverunt, & oraverunt pro ipsis, ut acciperent spiritum sanctum.*

Si ergò tam sancti Pontifices Romani in Dei ecclesia canonizati receperunt reformationes & decreta, ac mandata generalium conciliorum, & ea observabant, quanto magis istis temporibus occurrentibus, de anno Domini MCCCCXXXV. Romani *Pontifices*, qui sunt *communiter mali* in suis officiis & *in vita peccatores*, debent propter utilitatem & salutem animarum suarum sustinere & recipere patienter correctiones, decreta, leges & reformationes sacrorum generalium conciliorum, & ea observare & observari facere, ut dicant cum Christo suis subditis & populo Christiano: *Exemplum dedi & do vobis; ut, quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis. Sic* enim *ipsi Romani Pontifices sunt venerandi & diligendi, ut non diligantur & venerentur eorum errores,* ait *Augustinus*, 23. q. 3.

Hinc clarè patescit, quod si Papa suo malo exemplo, vel aliæ personæ, corrumpunt Dei ecclesiam, & scandalizant, principes seculi contra ipsum, & quamcunque aliam personam, debent sacrum concilium, quod repræsentatur per universalem ecclesiam, juvare, defendere, & tales personas corrumpentes Dei Ecclesiam impugnare, persequi & molestare, quousque veniant ad obedientiam universalis ecclesiæ, ut faciant, quod eis injungitur per sacra concilia generalia.

Et quanquam ibidem loquatur decretum de hæreticis, tamen generaliter intelligitur *de moribus perversis* & hominibus malis, publicè ecclesiam Dei scandalizantibus, incorrigibilibus & obstinatis, ut ibidem ponitur. Tenentur enim Principes sacra generalia concilia promovere, & ut *fiant reformationes & correctiones peccatorum tàm in membris quàm in capite*, juvare, & contradicentes reformationibus & pœnitentiis peccatorum ac vitiorum pro viribus & pro posse compescere, ut *quos timor Dei à mala*

malo non revocat, severitas coërceat disciplina.

Concluditur ergò ex prædictis, *quod si Papa tenetur obedire conciliorum statutis & decretis, quod ipse non potest concilia legitimè congregata dissolvere, propriâ auctoritate.*

EPILOGUS.
Ad JULIANUM Cardinalem.

ET *hic est finis hujus tractatus*, qui vocatur *Gubernaculum conciliorum*, qui habet *novem partes*, ordinatas ad similitudinem *novem ordinum Angelorum*. Quia sicut navis in mari magno & spatioso regitur, & gubernatur in suis procellis & tempestatibus suo gubernaculo, sic Dei ecclesia, sic generalia concilia, sic Christi navicula, si serventur superius dicta & compleantur opere, præservabuntur ab operibus mortuis, ab operationibus malignis, à Prælatis pessimis & tyrannis, & à senioribus iniquis, qui videbantur regere Christi Jesu Ecclesiam & ducere Christi Jesu naviculam & barcam adportum salutis æternæ.

Vobis igitur, Reverendissime, zelator publice boni communis universalis ecclesiæ, Domine JULIANE, *Cardinalis S. Angeli* dignissime, transmitto *præsentem tractatum* corrigendum & reformandum, cùm opus erit, & addendum, tamen cum protestatione de revocando occultè & publicè, si quid dixi devium à fide, & à sanctorum patrum & canonum determinatione. Supplicans, ut, sicut alter *Angelus*, præparetis *viam* ante faciem universalis ecclesiæ, *reformationis totius in membris & in capite*, ac hæreticorum exstirpationis & schismaticorum reductionis, & Principum Christianorum pacificationis. Et tamdiu duret concilium, quousque navis Christi Jesu habeat Petrum, & non per Judam turbetur pessimum, 24. *q.* 1. *Non turbatur*, & ducatur ad portum prosperum salutis plebis Christianæ. Et nolite post tergum respicere, sed *in tàm sanctis operibus reformationis ecclesiæ perseverate*, & ut bonus miles Christi laborate usq; ad mortem. Et habebitis coronam vitæ, quam repromisit Deus Jesus Christus, sponsus ecclesiæ, diligentibus se perseverantissimè. Et ego pauper meipsum vestræ beatitudini commendo semper & humillimè. Ad laudem & ad gloriam Dei & Domini nostri Jesu Christi. Amen.

Scriptum Basileæ, tempore concilii generalis ibidem celebrati, anno verbi incarnati MCCCCXXXVI. à nativitate verô Christi anno &c. XXXVII. d. 19. Martii, manu fratris N. professi monasterii Mellicensis Pataviensis diœceseos, Ordinis S. Benedicti.

Suffi-

Lectori S.

SUfficiant hæc pro illustrando magno & memorabili CONSTANTIENSI CONCILIO, quo apud majores nullum illustrius, nullum ponderosius, nullum quod majori autoritate esset munitum atque roboratum. Grandia Majorum facinora posteris ob oculos versantor, ut exemplis moti, pari pietate, pari prudentiâ, in publicam ferantur salutem. Hæc quippe nepotum gloria, virtute avis haud cedere, quin, si fors velit, superare. Quod si alicubi deprehendantur, ut sunt tempora, offendisse qui præivere, scopuli tanto felicius à sequentibus evitabuntur, quanto manifestius sunt cogniti. Dandum aliquid temporibus & fatis. Habebunt profecto posteri quod admirentur in augustissima hac Synodo, habebunt quod æmulentur, habebunt quod benigne interpretentur, vel & cautius mercari discant.

Nos autem in eo fuimus, ut universa, quæ in hanc rem ex profundis tenebris in lucem erant producenda, sincere proferremus, absque omni censura, & citra omnes aculeos, qui pungendi libidinem cane & angue pejus fugimus. A nostra hæc ætate longius remota absque o-

mni affectu candide fuerunt ſiſtenda, ne ſangvis fidem redderet ſuſpectam.

Satius, genuinam priſci ſeculi faciem ſine fuco delineare, & ut quælibet ſunt geſta, aperte: Demonſtrare, Nefas arrodere, ſi quæ à noſtris moribus abeant, vel mordere majores, ubi nuda illorum pertexenda hiſtoria. Judicium de ſingulis majorum factis & fatis poſteritati per nos ſalvum eſto.

Sc. d. XXI. Dec.
A. MDC XCIX.

Siſte ergo hic gradum
Pie lector
Et
priſtinam Chriſtiani orbis faciem
quam tribus abhinc ſeculis præ ſe tulit
poſt ejus cineres
in monumentis reliquam
pro tua in Majores pietate
devotus intuere.
Frontem
non ætate ſed dolore corrugatam
non deſpue
ſed inſpice.
Lacrymas
in genis hærentes
non deterge
ſed tuis miſce.
Querulam vocem
non deteſtare
ſed miſertus audi.
In amplexus Cæſaris & Principum
ruentem
non fuge
ſed ſequere.
Ad auxilium opemque anhelantem
non damna
ſed piis votis juva.

In
Augustissimum Cæsarem
SIGISMUNDUM
Christianissimum pectus
fortunæ illius misertum
oculos converte.
Flagrantissimum Imperatoris
pro salute publica zelum
ardentissimum juvandi desiderium
sagacissimum succurrendi consilium
venerare.
Divinam Augusti sapientiam
totum orbem Christianum
in Imperii sinum
Constantiam Germanorum
placide congregandi
admirare.
Consessum orbis in templo Cathedrali
splendidissimum
cominus contemplare.
Potentissimum Cæsarem
in solio præfulgido eminentem
in Synodo adora.
Imperii Romano-Germ. Electores
Principes & Magnates
Regum exterorum Legatos
Romanum Pontificem
Patriarchas, Cardinales, ArchiEpiscopos,
Episcopos, Abbates, Præpositos, Doctores,
innumerabili cœtu assidentes & circumstantes
observa.

Res

Res perarduas
Ecclesiæ tranquillitatem
Ecclesiastici regiminis emendationem
morum reformationem
publicamque pacem
concernentes
à summis Christiani orbis capitibus
in publico Concilii Theatro
propositas, versatas, discussas & definitas
pondera.
Tres summos Pontifices
Johannem
Gregorium
& Benedictum
Cæsaris & Concilii manu
summa dignitate exutos
specta
& fortunæ in illis fallaciam
deplora.
In omnibus
Cæsaris Majestatem
Imperii splendorem
Regum & Principum autoritatem
attende.
Veteris ævi prudentiam
sagacitatem
animique in rebus magnis præsentiam
collauda
Tantamque majorum virtutem
strenue imitare.

Divinæ autem providentiæ
accepta ferto
rariora iſthæc antiquitatis monumenta,
in reconditis Principum tabulis
profundis tenebris
tribus his ſeculis ſepulta,
ex literariis
Germaniæ, Angliæ & Galliæ
theſauris
& inæſtimabilis pretii MSCtis,
Brunsvicenſium Ducis
RUDOLPHI AUGUSTI
PII
SAPIENTIS
MUNIFICI
DE ECCLESIA
ET PUBLICA RE LITERARIA
AUGUSTA VIRTUTE
MERITISSIMI PRINCIPIS
Septuagenario longe majoris
juſſu atque autoritate
ultimis his labentis ſeculi XVII. annis
in Academia Julia
ad Majorum gloriam
veteris hiſtoriæ lucem
Germaniæ ſplendorem
& poſteritatis emolumentum
eruta ac recenſita.

Opus

Opus
A. M DC XCV.
divino nutu inchoatum
A. M DC XCIX
Menſe Decembri
divinâ gratiâ
abſolutum
CÆSARE AUGUSTO
TRIUMPHATORE
VICTORIOSISSIMO
ORBIS LITERATI CAPITE
AUGUSTISSIMO
ANTIQUÆ VIRTUTIS
ET IMPERII GLORIÆ
VINDICE
SAPIENTISSIMO
IMPERATORE
LEOPOLDO
MAGNO.



TOMUS VII.
RERUM
CONCILII
CONSTANTIENSIS
SISTENS
INDICEM
GENERALEM
RERUM ET NOMINUM IN OMNES
VI. TOMOS
A CEL.
HERMANNO VAN DER HARDT
DILIGENTISSIME COLLECTOS,
LOCUPLETISSIMUM, HACTENUS DESIDERATUM.
CONGESSIT MAGNO STUDIO ET PRÆFATIONEM
ADJECIT
GEORG. CHRISTIAN. BOHNSTEDT.

BEROLINI,
TYPIS CHRISTIANI FRIDERICI HENNINGII.
MDCCXLII.

PRÆFATIO.

Sisto tibi, Benevole Lector, Indicem generalem locupletissimum Nominum & rerum, quæ omnibus VI. Tomis Concilii Constantiensis, a Ven. Hardtio magna cum cura editis, comprehenduntur. Indicem esse animam Libri, ita, ut, si exiguæ sit molis, insigni utilitate, sin vastorum Voluminum, abstrusissimarumque fuerit rerum, (uti hoc Opus est) magna necessitate se commendet, nemo, opinor, diffitebitur. Ecquis enim eruditorum hominum est, cui, operosis præsertim munerum functionibus distento, vacet, tam vasta Volumina integra perlegere, nedum ex perlectis tantum excerpere, quantum ad publicam utilitatem in lucem proferre valeat?

Hôc itaque indicis præstantissimo subsidio carvit hucusque Opus cetera laudatissimum Cel. Hardtii, rati forsan, Fastos concise delineatos, quos, Indicis locum sustinentes, Tomo IV. præmisit, Lectoris desiderio abunde satisfacturos. Verum, cum primo hi fasti, quantumvis utilissimi, (unde Cel. Jacobus Lenfantius eos in compendium redactos galliceque versos ad calcem Tomi sui II. du CONCILE DE CONSTANCE, subjiciendos putavit) sint mere chronologici, deinde in solum Tomum IVtum concinnati, tum ne vel sic quidem ita pleni, ut non multa magni momenti adjicienda videantur, denique paginarum allegatione destituti; Indicis universalis in omnes & singulos VI. Tomos necessitatem multi Viri docti agnovere. Quocirca Vir honestissimus, Bibliopola Stetinensis, Dn. Kunckelius, cum non sine damno suo, aliquot centena exemplaria hujus Operis raros habuisse per complures annos emtores, doleret, Indicis vero accedentis ope hos allectum, suisque & doctorum id Opus jam possidentium commodis rectius consultum iri, speraret, suscepi in me ipsius rogatu hunc Iudicis conficiendi laborem; cujus fructum cum eventui, tum periti cujusque harum rerum æstimatoris judicio relinquendum puto. Ceterum LOCUPLETISSIMI Indicis nomine hunc Tomum VII. cuique Lectori se probaturum, prorsus confido: Neque enim quidquam, seu rerum, quæ ad argumentum substratum ullo modo pertinere, vel memorabiles viderentur; seu Personarum, quæ in hoc Concilii theatro comparent, annotandum sub suis quodque rubris prætermisi. Patebit hoc Lectori benevolo, si illorum præcipua pervolvere voluerit; v.g: CONCILIUM, PAPA, ECCLESIA, CARDINALIS, EPISCOPUS, & cetera infinita. Sic Personarum rubra: JOHANNES XXIII. BENEDICTUS XIII. GREGORIUS

RIUS XII. SIGISMUNDUS Imperator, Petrus ALLIACENUS, Joh. GERSON, Theodorus VRIE, Joh. ZABARELLA &c. &c. Quin plus B. L. inveniet in albo, quam in rubro: excerpta videlicet rerum memoratu dignissimarum luculenta & peramœna; hinc ipsa verba autorum subinde allegare ipsa rerum emphasis atque momenta me cöegerunt. Proinde inservire hic Tomus poterit commodis, non solum eorum, qui jam Opus ipsum, seu possident, seu emere cupiunt, verum etiam illorum, qui pretio tam vastorum Voluminum absterriti comparare sibi ea ægerrime queunt; vel eorum quoque, qui perreptandis & in usum convertendis iisdem quacunque ratione se parum idoneos sentiunt. Ita concinnam enim rerum per VI. Tomos diffusarum seriem Lector quisque hoc Tomo VII. deprehendet, ut, toto conspectu simul patente, uno obtutu, omnia & singula argumenta ordine digesta dispicere valeat, campum tam amplum facili ac suavi labore superaturus. vid. v. g. CONSTANTIENSE Concilium, ejusque rationes, intimos recessus ac negotia systematice digesta &c. Ceterum easdem res nonnunquam sub rubris, seu iisdem, seu diversis plus vice simplici recurrere, neminem offendet: alia enim facie hic, alia isthic, modo brevius, modo fusius, hîc per deliberationes, illic per Decreta Nationum occurrunt. Neque mihi succensebit B.L. quod non omnia rubra fusissimi commatis systematice inveniat (sicut pleraque comparent) digesta; nonnulla enim argumenta (licet pauca) ex 3. vel 4. Tomis simul, eademque ex uno vel altero Tomo seorsim, diversa scilicet facie, contemplanda exhibere rerum moles cöegit, nisi nimium laboris devorare præter necessitatem voluissem.

Digesseram etiam, & jam plene elaboraveram alterum Indicem Chronologicum, (de quo supra) ex omnibus

bus VI. Tomis, adſcriptis horum paginis, refectis reſecandis, & additis addendis; adjectis inſuper Supplementis quibusdam, magni utique momenti: utrumque flagitante primum Bibliopola, at mutato conſilio, ſumtibus parcendi cauſſa, poſtea abnuente. Collegeram quoque hiſtoriam ſuccinctam Colloquiorum Religionis emendandæ cauſa inde a ducentis & amplius annis inſigni cum fructu Sacræ Reipublicæ inſtitutorum, huic Præfationi inſerendam; verum intra arctiores eam limites, Bibliopola ex eadem ſumtuum minuendorum ratione id jubente, non potui non conſtringere. Itaque alii occaſioni has meas ſervo lucubrationes. Animus enim eſt, ex his VI. Tomis Cel. Hardtii & Jacobi Lenfantii Operibus aliisque ſimilibus rerum Concilii Conſtantienſis & Baſileenſis monumentis, latino ſermone Compendium uno tenore ſyſtematice concinnare, 2. vel 3. Tomis, forma, quam vocant, octava. Quocirca Bibliopolis quibuscunque honeſtiſſimis hos meos labores, ſi præſentes ſe probabunt, offero atque commendo.

Tum vero illud maxime appoſitum fuiſſe videtur, præcipuarum Perſonarum vaſto hoc Opere, ſeu virtutum, ſeu vitiorum in ſpeculo vivis coloribus deſcriptarum poſtremas horas ultimaque fata, vel ex LENFANTII HISTOIRE DE LA GUERRE DES HUSSITES ET DU CONCILE DE BASLE, per modum ſuccinctæ Continuationis, huic Præfationi junctæ, delineare; verum & hoc Conſilium perſequi præſcripta brevitatis lex me vetuit.

Exempli tamen gratia tribus verbis quædam monebo. Johannes XXIII. trium Anti-Paparum facile princeps, & qui poſt Sigismundum Cæſarem in hoc Concilii theatro primam ultimamque ſcenam cum aperuit atque direxit, tum fere clauſit, ad incitas quidem redactus fuit,

ita,

ita, ut legitimo juris ordine servato, suoque ipsius pleno consensu, tot tantornmque criminum convictus, Papatus dignitate publice dejiceretur; verum non ita, (quod tamen traditur hoc Indice tit. Johannes XXIII. p. 72. sqq. ex locis ibi allegatis) ut in squalore carceris & summæ miseriæ luto ad extremum vitæ halitum hæserit, sed ex eo emersit potius ad summum, post Pontificatum, dignitatis gradum. Etenim Martinus V. ejus successor, cujus custodiæ postremo a Concilio traditus fuerat, eum non solum ad Primatum inter omnes Cardinales, verum etiam in solium, Cardinalitiis longe altius, suoque Papali paullo minus ita evexit, ut secum eum per omne reliquum vitæ tempus aleret, omnique in honore haberet, id quod laudatus Lenfantius l. c. Tom. I. L. III. circa fin. ex incorruptis monumentis probat. Neque vero Papæ Benedicto XIII. seu PETRO DE LUNA pervicax & obstinatum caput ita resectum fuit ense Concilii, ut idem postea nunquam erexerit, (vid. rubr. BENED. XIII.) quantumvis dira excommunicationis fulmina in eum vibraret P. Martinus V. Contra hunc Pontificem enim, quod Ludovico Andegavensi faveret, Arragoniæ Rex Alphonsus, illum, Petrum de Luna summa ope tuebatur. Hinc idem a compluribus Hispaniæ Ordinibus legitimus Papa agnitus creavit novos Cardinales, Peniscolæ semper sedem Papalem sibi suam vindicans, frustra ringente Martino V. vid. Lenfant. l. c. Tom. I. Lib. XII. pag. 220. coll. 177. habuit insuper successorem, Clementem VIII. quem suam dignitatem sponte abdicaturum idem Rex Alphonsus tutatus est, eòque adegit, ut jurisdictionem Papalem qualemcunque aliquandiu exerceret. Martini V. ingenii indoles, merita ac mors vid. descripta ibid. p. 299. 300. sq. coll. ejusd. Lenfantii CONCILE DE CONSTANCE L. V. p. 155. sq. Succincta vitæ ipsius Historia exhibetur ab

eodem, CONCILE DE BASLE Tom. I. pag. 229. ſqq. Sigismundi Imperatoris virtutes, vitia & vitæ extrema vid. ibid. pag. 63. ſq.

Ad id vero B. L. maxime animum intendat, quam mira propitii Numinis providentia tot viri doctrina & probitate conſpicui, teſtes veritatis ſtrenui & conſtantes, per totum hoc Opus in illuſtri poſiti fuerint monumento. Quoties enim Deus inſignem rerum mutationem, Eccleſiæque maxime emendationem, intendit, toties multos ſimul viros idoneos excitat, ad tantum negotium, ſeu aggrediendum, ſeu perficiendum. Recognoſce quæſo, mecum B. L. ſeriem rerum ſuperiorum Seculorum, & mirabere, quam longus ordo illuſtrium virorum, inſtrumenta qui eſſe debuere reſtaurandæ religionis & melioris literaturæ, agminatim ſe invicem ſequentium, exiguo annorum decurſu ſimul floruerit! Certe, quemadmodum centum annis poſt Huſſum integris cohortibus ſtrenuorum purioris Religionis vindicum, Lutheri præſertim & ſodalium in Germania & ceteris Provinciis Deus T. O. M. beavit ſacram Rempublicam, ita & centum annis poſt Lutherum ante & ſub initium belli trice tricenarii, poſtquam ſanctior diſciplina everſa erat & collapſa, multi ſimul exſtitere viri docti & pii, Gerhardi, Egardi, Arndii & horum ſimiles, qui divinitus excitati præcones fuere veræ ad Deum converſionis, ſanctiorisque diſciplinæ vindices: complures ſimul heröes togati ſagatique, qui labefactatam & pene peſſundatam libertatem, & ſacrorum, & jurium, quibus S. R. Imperii Ordines conglutinantur, civilium, ſtrenue adſertum irent & vindicatum. Pari ratione & in hoc Concilio Conſtantienſi, centum fere annis ante Lutherum celebrato tot ex omnibus Regnis confluxere Proceres docti, cordati & pii, quorum pectus corruptiſſimorum ſacrorum per omnes Ordines emendandorum

cura

cura sincera versabat, ut affirmare nullus ambigam, horum consultationes, Orationes, adhortationes publicas, ad vulnera Ecclesiæ ostendenda, deploranda atque sananda, adque sanctioris disciplinæ restitutionem comparatas excitationes, fructum esse longe præcipuum hujus Concil. omnium, quotquot unquam exstitere, longe maximi ac frequentissimi, & dignum profecto, qui ad seram posteritatis memoriam transferatur. Tametsi enim trium Anti-Paparum dejectio, novique constitutio, scopus qui erat, ad quem labores Concilii inter alia collineabant, fuerit consecuta, (quanquam vel hoc non plene & ex voto, sicut in Benedicto XIII. modò vidimus) Papatus tamen ipsius corruptelæ publicæ mansere intactæ, nec arcanæ hominum conscientiis imponendi, eosque pecuniis emungendi artes radicitus evulsæ sunt, qui vero scopus Concilii hujus fuit primarius. Neque vero in dogmatis quidquam, quod operæ pretium esset, ad sacrarum paginarum normam fuit emendatum, id quod vel sanctissimi viri, Johannis Hussi probat combustio, quæ tot bellorum peperit incendia, quibus vastissima regna per quadraginta ferme annos pene conflagrarunt. Itaque horum, quos laudavimus, virorum testimonia veritatis, ingentis thesauri instar, conservat Respublica sacra & literaria. Quocirca non possum satis admirari arcanas providentiæ divinæ semitas. Tot etenim viros longe doctissimos ad Purpuratorum suorum, seu Cardinalium dignitatem eo consilio evexerat Johannes XXIII. aliosque a Secretis sibi allegerat, fulcro ut sibi essent dignitatis Papalis tuendæ, quam vacillare, tot criminum sibi conscius, intelligebat. At res longe aliter cecidit: Hi enim doctissimi & candidissimi Cardinales illi ipsi fuere, qui contra curiæ ipsius Papalis corruptissimæ fraudes calamum acerrime strinxere, inque ipso Concilio ad publicam ipsius condemnationem, quamque flaminum

minum hic Romanorum inquinatissimus dudum meruerat, dejectionem, voce & scriptis maxime collinearunt. Adeo Dei sapientia superat hominum consilia, eaque vel nequissima transfert ad publicæ rei emendationem, id quod ex recentiorum historiarum monumentis fusius declarando exequi nihil attinet,. plura enim non capit hæc pagina. Vel sola Academia Lipsiensis & Wittebergensis id testatur. Has enim, in refugium exulum civium Academicorum Pragensium, erigendas Ducibus Saxoniæ summopere suaserat Pontifex Romanus, concessis ad id privilegiis; quod speraret, illos tanquam hostes Hussi Curiæ Romanæ placita contra meliores doctrinas strenue tuituros: ignarus profecto, inde, contrario eventu, post aliquot lustra, arcem veritatis inexpugnabilem super ruinis Romæ depravatissimæ exstructum iri.

Pauca supersunt, de quibus B. L. monendus videtur: Quoniam Tomo IV. hujus Operis a fol. 138. sq. in compluribus plagulis vitio typographi Helmstadiensis paginæ falso expressæ sunt, non potui non, ad lectorem ab hoc errore liberandum, plagulas ipsas, T. V. X. Y. &c. Simul citare; quam exiguam multiplicationem signorum Indicis proinde necessitas flagitavit. a fol. 1386-1393. ut paginas itidem mendose eodem Tomo allegatas, calamo ipse corrigat, B. L. rogatur. Ceterum chartæ & typorum nitore hic Tomus VII. lecturis se, uti spero, probabit; neque sphalmata, nisi forte oppido pauca, in eo deprehendentur. Vale, L. B. hisque meis laboribus, si tibi haut infructuosi videbuntur, fave.

Dab. Berolini, III. Cal. Novemb.
MDCCXLII.

INDEX

INDEX GENERALIS
IN OMNES SEX TOMOS
RERUM
CONCILII CONSTANTIENSIS.

Not. Numerus primus designat TOMUM, secundus, uncinulo inclusus, PARTEM, tertius, PAGINAM. Litera S, T, U &c. si adfuerit, denotat (propter errata typographica in Præf. indicata) plagulam. Pr. vel Prol. PROLOGUM Hardtii.

(II.) 28. ſqq. it. I. (VI.) poſt rubrum. Ejus conſtans contra Papas animus, nullis beneficiis, etiam Cardinalitiæ dignitatis, deliniendus. I. (VI.) Pr. 273. ſq. autorem eſſe Scripti de neceſſit. Reform. in Conc. Univ. probat Hardtius I. (VI.) 275. ſed cur mentem mutaverit? vid. infra.

Ejusd. characterem animi ac virtutes recenſet Hardtius I. (VI.) Pr. tot. Eccleſiaſt. ſtatus formam cum Gerſoniana tum Alliacena ſcripta ad vivum delineant, altero alteri ſcripta ſua ὁμοψῆφα dedicante. Papam etſi aperte & acerrime pungeret, vitiaque taxaret, tamen fruſtra ille hunc blanditiis a ſtudio detegendi pravitatem Seculi papalis abſtractum it, objecto dignitatis Cardinal. fulgore. Stili enim acrimoniam ingenuam eo nihil vel parum mitigavit. ib. 250. ſq. Ejus, vel rectius Niemii Librum de Neceſſit. Reformat. Eccl. in capite & membris primus Hardtius ex MSto in lucem protraxit I. (VII.) 274. ſq. Ejus Oratt. I. (VIII.) Pr. Ejus Oratio de officio Imperatoris, Papæ &c. Cleri, populique pro reform. Eccl. 438. ſq. Ejus Cardinalis in Conc. Conſt. præſentis Opus: *Idea nova Reformationis Eccleſiaſticæ*, cum ipſius Oratione ejusd. argumenti & vita I. (VIII.) I. Prol. 28. Schedulam exhibet Concilio Conſt. de Conc. Piſano non confirmando, quia utrumque per ſe propria gaudet autoritate II. (III.) 193. ſq. aliam de Anti-Papis blande adigendis ad ceſſionem Papatus ib. 195. ſq. Ejus Libros de Difficultate Reformationis in Concilio Univ. item de Neceſſitate ejusd. in Capite & membris. Canones Reformationis in Conc. Conſt. &c. ex MStis erutos exhibet Hardtius I. (VI. VII.) ſq. Ejus Orationes ſuper eod. negotio in Concilio habitæ multæ. quas vid. Tom. I. Operum ipſius, Argentinæ quæ primum prodiere 1490. Ejus alia anecdota latent in Bibliothecis v. g. im Cloſter Reichenau, viſa Pregizero &c. I. (VI.) Pr. 402. excerpta ex quibusdam ipſius orationibus, miſeriam Eccleſiæ deplorantibus, memorabilia ib. 403. Gallus fuit, non Germanus, quod alii volunt I. (VIII.) 451. (b) Duo fuerunt ſimul Pariſiis, alter Senior, alter, isque noſter, Junior, 451. Ejus vita fuſe deſcripta Hardtio I. (VIII.) 450 - - 487. Ejus ſcripta quædam impreſſa, ſed non in Tomum rite digeſta 482. MSta per Bibliothecas ſparſa, digna, quæ ederentur. autor creditur, ſcripti I. (VII.) 484. recenſiti, quod ipſe Hardtius initio autumarat, ſed potior autor videtur Theodoricus a Niem, quod probat Hardtius I. (VIII.) 483 - - 485. Coll. I. Prol. 28. 46. Ejus Liber de Poteſtate Eccleſiaſtica integer exhibetur V. 15. ſq.

Andreas Ep. Magorenſis vid. Lit. *M.*

Angli

His Galli litem movere de jure ſuffragii in Concilio, Cæſare vehementer indignante, jusque hoc illis vindicante IV. (X.) 1088. ſq. Anglorum Apologia pro jure ſuo 1199. V. 52. ſq.

Angli celebres in Concilio Conſt. præſentes. vid. eorum (equitum) inſignia V. init. Tab. XI. & conf. *Bolton*, *Winton. Ullerſton &c.*

Anglia

Hujus regni amplitudo, 52000. Eccleſiæ parochiales, laute dotatæ, 135. Diœceſes, gentium antiquitas, magnitudo & claritas Regum, primæ ad Chriſtum converſionis origines

Ejus duæ viæ oblatæ ad cedendum Papatu. ib. vult causam suam tractari juridice. 487. vindicat sibi jus elegendi novum Pontificem. 488. jus Cardinalitium, quod etiamsi cedat, maneat salvum ib. sq. proponit modum, lites Papales componendi per Compromissarios. 489.

Alia propositio Benedicti XIII. ex Cerretano, Perpiniani facta. 490. seqq.

Requisitio prima facta Benedicto XIII. postquam fugerat Colleliberum per Alphonsum primogenitum Regis Arragon. filium, qua cessio Papatus ei suadetur, exemplis duorum Paparum reliquorum &c. 493. sq. Responsio ad eam Petri de Luna ibid. sq. urgens: sui esse muneris, prospicere de Ecclesia. 498. obtulisse se Imperatori aliquot æquas vias Unionis. has rogat, amplecterentur Imperator & Rex Arrag. per se non stare, quo minus pax et unio Eccl. coalescat. 497, 498. sq. Secunda requisitio facta Benedicto XIII. per XII. Ambasiatores (Legatos Regis Arrag.) in Collelibero eum adeuntes, cum oblato salvo Conductu. rogatur, ut mittat Legatos ad negotia Concilii ratihabenda, aut redeat Perpinianum II. (XVIII.) 500 - 503. Respondet Petrus: Perpinianum se venisse, cumque Cæsare tractare se cœpisse; verum ex quo is recesserit, ea comperisse, quæ suadeant locum tutiorem sibi, & ubi plena libertate tractare possit &c. quo si venerit, pleniorem responsionem promittit. 504. sq. Alia Requisitio Regis Arrag. qua invitat Cardinales Petri, ut redeant Perpinianum. 506. respondent Cardinales, varia rhetoricando: se non potuisse non sequi Papam, membra Caput suum, Vicarium Christi legitimum, ramos arborem. excusant reditum suum. 507. alia Requisitio Regis Arrag. ad Archi Episcopos ceteros & Prælatos Obedientiæ Petri de Luna, qua invitantur, ut redeant. 508. omnes Prælati redeunt Perpinianum, præter aliquos in Familia Petri 510. init. Tertia & ultima Requisitio Regis Arrag. facta Petro de Luna, ad cedendum. Petrus jam fugerat Paniscolam. rogatur tertia vice, ut cedat Papatu; nunciatur illi, Narbonæ causam ejus tractatum iri. II. (XVIII.) 510. sq. secunda & ultima Requisitio ad Cardinales Petri facta, ut redeant, & unionem Eccl. promoveant, minis additis, universalem Ecclesiam in pertinaces jure suo usuram. 513. sq. Responsio Petri ad tertiam Requisitionem, Concilii viam repudiat, utpote periculosam, quia multitudo illa Constantiæ congregata posset pro plenitudine potestatis, verbis & factis sibi sumta, quævis jura papalia positiva suspendere & tollere, cum præsertim *Constantia* subesset ditioni Sigismundi Imper. 515 - 521.

Vincentius Ferrerius a Rege Arrag. ad Petrum ablegatur, suasurus cessionem; qui cum nil proficeret, & verbo & pæne ferro Petrum persequitur. 522. (vid. supra ad II. (XV. 432.)

Hispanorum propositiones Sigismundo Imp. oblatæ de rebus Concilii libere tractandis sine consensu Petri de Luna. 522.

Epistola Archi Episcopi Narbonensis ad Cardinales in Concilio Const. de Sigismundi ardore pro unione Eccl. & de Benedicti XIII. pertinacia Unioni refragante. 522.

Jacobi, Archi Ep. Turonensis Conc. Const.

Epiſtola

ut dicat: nisi multa mala inde proveniant audientibus, sicut fit ex cantu non confirmato ab Ecclesia, qualis est cantus plebis in Eccl. - - audientibus hæc cantio æque mala infert, ac nautis Sirenum cantus in mari. aliud argumentum: Deus vult laudari, sed non laude humana, non cantu exquisito & novo plebs debet Deum laudare pro suo placito &c. III. (XIV.) 386. it. quia soli Clerici sunt *servitores Dei clamorosi.* III. (XIV.) 383. fin. sq.

Cantor

Contra Prærogativam Cantorum, & Officialium in curiis Dominorum residentium. I. (XXVII.) 1160.

***Caput** nudare*

Quando Evangelium legitur, decet: quia Evangelium removet velamen legis veteris; qui istud omittit contemptim, graviter peccat. Jac. Ep. Laudensis Orat. de vita honesta Clericorum. V. (V.) 121. fin.

Cardinalis.

Cardinalium nomina VI. (II.) 19. fin. sq. eorum & Episcoporum prærogativa. 21. 31. 32. sq. Petr. de Alliaco.

Eorum electio Papæ est a Diabolo. thesis Wiclefi, cum refutatione Concilii Const III. (XIII.) 219. sq.

Cardinales Pisæ congregati, scribunt ad Ducem Brunsv. Henr. de unione Eccl. in Consilio Pisano parando II. (II.) 62. sq. - - ad Benedictum XIII. ut compareat in Conc. Pisano, additis minis remotionis II. (II.) 80. 81. sq. - - ad Bernardum & Henr. Duces Brunsv. ut Legatos ad Conc. Pis. mittant. ib. 84. sq.

Cardinalium consessus, habitus, in Conc. Pisano. 91. sq. dejiciunt duos Anti-Papas, & eligunt novum, Alex. V. in Cocil. Pisano. vid. Pisanum Conc.

Cardinales jurarunt in Concilio Pis. se electuros meliorem Papam præcedentibus, & elegerunt Johannem XXIII. bipedum nequissimum, tyrannum, homicidam, Simoniacum, omnibus vitiis inquinatum, ære istius conducti, quem sciverunt, talem nebulonem semper fuisse. Si nemo ipsorum sanctior & melior fuit, quales ipsi dicendi sunt, nisi deteriores? ita Bened. Gentianus, Acad. Paris. Legatus JCtus. in Concilio Const. II. (XI.) 281. sq.

Cardinalium fraudes, Concilium per 4 menses eludentes, consilio id dissolvendi, Simonias nefandas &c. id. ibid. describit.

Cardinales cum Johanne XXIII. profugi, cum Schafhusæ non repererunt *coquinam* bonam, misere & verecunde sunt reversi aliqui ibid. Disputant Cardinales & alii in Concilio Const. de Jure Cardinalium, negotia Concilii tractandi, multis Cardinales Johannis XXIII. excludi postulantibus. II. (XIII.) 285. sq.

Cardinales Johannis Schedula affixa in valvis Eccl. maj. Constant. Curiales Papæ avocarunt Schafhusiam, eapropter accusati, ad aliquot dies avocationem prorogant. a Concilio clamore & opprobriis excepti clam se surripiunt. II. (XV.) 399. Concilium dissolvere student vano conatu. ib. sq.

Cardinalis effigies: si artifex vellet *superbiæ simulacrum* effingere, non congruentius id facturus esset, quam *Cardinalis* effigiem oculis intuentium objectando, ita Clemangius I. (III.) 15. Olim id eorum munus fuit, ut efferendis mortuis, sepulturæque mandandis inservirent. - - jam vero non Episcopos solum, quos *Episcopellos* contemptim vocant, sed Patriar-

novi

tatione fusa ibid. 827 -- 883. inprimis de causis, quare sub una plebem communicandi mos sit introductus in Ecclesiam 845 - 849. XVII. Causæ ejusd. Mauritii, quæ Gersonis supra citatas causas fere referunt & illustrant. vid. *Communio* sub utraque. *Jacobus* de Misa.

Communio sub utraque v. *Jacobus* de Misa.

Hanc primus docuit & introduxit Mag. Mathias Prag. Past. 25. annis ante Conc. Const. mox repressus. feliciori cum successu autem eam stabilivit Jacobus de Misa, sub ipso Conc. Constant. III. Pr. 16 - 24. & III. (XIV. - - XXIII.) ubi decem Libris controversia inter Brodam maxime & Jacobum agitata fuse recensetur. a libellis ultro citroque scriptis venitur ad bella cruenta. III. Prol. 22. & inprimis Historica momenta Jacobi Miseni III. (XIV.) Pr. 335 - 338.

Hàc Communione sub utraque utitur Sacerdos, quia taliter sumit corpus Christi, qualiter offerri jussit Christus in altari, nim. sub utraque specie; Lacius non offert, Ergo non communicat pro peccatis omnium fidelium, sed tantum pro suis, sicut facit Sacerdos, Ergo non debet communicare sicut Sacerdos III. (XIX.) 753. Hussitæ saltem peccant in pacem Ecclesiæ, quam, improbando ritum multorum retro Seculorum, conturbant III. (XIX.) passim. loca Joh. VI. & 1. Cor. XI. vindicantur contra Bohemos ib. 743. sq. 750. sq. Augustinus dicens: *crede & manducasti*, etiam dicere potuit: *crede & bibisti.* Gerson contra Jacobellum III. (XX.) 769.

An consuetudo Ecclesiæ sit mala communicandi sub una? Jac. de Misa contra Brodam. III. (XVI.) 522. sqq.

Sicut S. Cœna est institutum Christi medicinale contra fragilitatem fidelium infirmorum, quales erant tunc Apostoli, (quibus contra tentationem ex passione Domini imminentem eam admovit servator,) ita panis æque ac vinum ad roborandum fideles omnibus ex æquo institutum est Sacramentum perfectum, nec mutilandum. Jac. de Misa passim V. g. III. (XVI.) 468. sqq. Idem fatetur Bonaventura: *neutra species*, inquit, *per se exprimit (efficaciam &) significantiam hujus sacramenti, sed utraque simul. Et hoc patet sic: Christus est cibus perfecte reficiens manducantes spiritualiter & sacramentaliter: perfecta autem refectio, non est in pane tantum, nec in vino tantum, sed in utroque simul.* III. (XVI.) 550. ob periculum effusionis autem Thomas d'Aquino & Bonaventura aliique approbarunt morem sensim in quibusd. Ecclesiis receptum, calicis usu plebem privandi, confirmante eum Concilio Const. ibid. & 547. coll. 577. fin. sq.

Theologorum Concilii Constantiensis 6. Conclusiones contra Jacobum Misenum & Comm. sub utraque III. (XVII.) 586. tot. vid. *Communio* sub una, & *Alex.* de Halis.

Responsio seu Apologia Jacobelli ad has 6 Conclusiones III. (XVIII.) tot. 591. sqq.

Ad Theologorum Constant. Argumentum: Ecclesia potuit licite mutare morem Christi primitivum, post cœnam (cibum) sumendi Eucharisticum panem & vinum, Ergo potuit etiam licite mutare morem

Comæ-

Comœdiæ Sacræ.

Earum origo in Germania debetur non Reuchlino sed, Anglis, qui læti ex reditu Cæsaris Sigism. ad Concilium ex Anglia, comœdias sacras primi adornarunt Constantiæ. iisdem Cæsarem, Ludovicum Bavarum & ceteros Proceres sub convivio exceperunt. IV. (X.) 1088. sqq. 1091. sqq. Reuchlinus tamen primus Comœdiam latinam lusit Heidelbergæ in ædibus Principis 1089.

Concilium vid. Ecclesia. item *Papa*.

In rebus fidei, non sine rationibus ex Scriptura S. petitis quid statuendum est in Concilio I. (II.) 45. fin. sq. Clemangius.

Non credendum scriptis, ipsisque decretis Concilii Gener. nisi ratione nixis, nec scriptori & Decernenti, sed veritati credendum. Licet decretis Concilii, etiam generalis, aliquid opponere & contra diputare. id. ib. 51. 52. sq.

Concilia universalia non æqualia sunt, nec ejusdem autoritatis. Gregogorius M. non nisi 4 priora se venerari dixit, 53. & 99. Regulam JCtorum: Ecclesia militans sæpe fallit & fallitur, apporobat idem & demonstrat. 53. sq. variis argumentis. V. g. non omnes Concilii adsessores sunt in gratia apud Deum, & si des, esse omnes regenitos, gratia Dei non facit impeccabiles nec infallibiles. 54. movet illa ad bonum, non cogit. 55.

Concilium potest falli ex defectu præparationis. Unius nutu totum Concilium potest falli. 63. major pars concludens in Concilio non semper regitur Spiritus S. utpote minus sincera. pauci sinceri reliquis cedere coguntur. Quinam in Concilio a Deo regantur, soli Deo constat. 64. 65. pauci in Concilio, qui non ambitiosi, contentiosi, arrogantes. 62. & 66. fin. multæ causæ, ex quibus Concilium Universale possit in errorem deduci. 68.

Absque prævia Reformatione Ecclesiæ & Ecclesiasticorum omne reliquum Concilii studium est irritum. 59. fin. sq.

Concilium univ. refert Ecclesiam universalem 85. sq. ei non potest præesse, nec id convocare Papa cessurus vel removendus, quia in propr. causa non potest esse judex. Principes cum Prælatis debent id convocare, & Papam adcitare. 86. 87. Concilium in dominio Papæ subjecto loco, non est admittendum. 88. Concilium est supra Papam, potest novas leges condere, antiquas abolere, Papam removere 88. sq. debet Papæ potestatem limitare. 90. sq. & ejus statum reducere ad formam antiquam, qua Imperialis potestas, non dependit a Papa. 92.

Concilium univ. convocandi jus & autoritas est penes Imperatorem I. (V.) 97. sqq. Gerson. item Petrus de Alliaco I. (VIII,) 444. de tuto loco Concilii univ. disquirit Petrus de Alliaco I. (VI.) 267. sq. Concilia provincialia generalibus præmittenda & frequentanda I. (VIII.) 432.

De Concilii generalis modo agendi & jure, inprimis contra Schismata futura. Reformatorii Const. Protoc. I. (X.) 583. sq. id. de futuris Conciliis celebrandis, ad depellendum artes Papæ. 650. sq. & Schismata futura. ibid. it. in remedium electionis Papæ per metum factæ 651 - 655.

Concilia semper fuere Schismatum antiqua remedia, quod fuse deducit Theod. Vrie per Inductionem

De

Con-

Conſtantia urbs ſaluberrima & amoeniſſima commendatur a Theod. de Niem II. (XV.) 398.

Urbi huic debetur gemina pax, civilis reparata per Fridericum I. Imper. An. 1183. Eccleſiaſtica per Sigismundum Imper. A. 1416. II. (I.) Prol. init. Ejus proſpectus vid. *Imagines*.

Conſtantienſis Synodus, vulgo *Pax*.

Seu ab Henrico III. ſeu a Friderico I. Imperatoribus ſeu ab utroque celebrata fuerit, quod diſquirit Hardtius I. (XV.) Pr. fuere potius Comitia. it. 813. ſqq.

Conſtantienſe Concilium.

Conſtantienſis Conc. Actorum Editiones:

Prima eſt Hieronymi de Croaria, JCti Ingolſtadienſis, prodiit ſuaſore Conr. Summerhardt Prof. Theol. Tubing. & Jac. Lochero Poëta Laur. Hagenoæ 1500. 4to. IV. Prol. 4-10. Eſt vero non niſi Epitome excerpta ex Actis Conſtantienſibus 10, 11. ſq.

Nimirum in Baſileenſi Concilio, juſſu totius Concilii, ex Codice majori Conſtantienſi minor congeſtus fuit, ſubſcriptus ab omnibus & ſingulis Cardinalibus, Epiſcopis &c. An. 1442. Ex hoc autographo prodiit apographum, in ipſo tamen Concilio Baſ. per Mich. Galteri. Notarium Concilii a. 1443. deſcriptum. Hunc Galterianum Codicem MS. denuo deſcripſit an. 1490. Joh. Huober ex Inderdorf, quem nactus Croarius JCtus, prima vice Hagen. 1500. typis excudi hoc compendium curavit. IV. Prol. 11, 12.

12. Applauſus, quo is liber Croarii exceptus & iterum impreſſus eſt, genuit novam Editionem Pariſienſem (per Jean Petit) an. 1506. 12mo. adjecta *Carolina*, ejusque Confirmatione. Senſim deinceps auctior novis excerptis lucem vidit Hagen. 1510. Mediolani 1511. Item in Tomis Conciliorum Colonienſibus, Venetis, Pariſienſibus, & poſtremo Labbeanis, (Tomo XII.) &c. in omnibus quantumvis auctis non niſi Compendium illud. Baſil. apparet; Ergo, cum præſertim Labbeana eſſet manca, mutilata, & corrupta, ex majoribus authenticis MStis primus edidit plena Acta Hardtius. 14 vid. MSta.

Ejus amplitudo, & Scopus triplex, ordinem dans diſponendorum Actorum:

Ex barbaris etiam oris Aſiæ & Africæ, Regum Legati iſthuc advolant. I. Præf. it. Dedicatio ad Leopoldum M. Ejus ſcopus & inſtitutum triplex I.) Eccleſiaſt. ſtatus & diſciplinæ communis emendatio II.) Trium Paparum, Joh. XXIII. Gregorii XII. & Benedicti XIII. remotio & melioris unius Pontificis creatio. III.) Hæreſium & dogmatum relig. intricatorum, quæ Joh. Parvus, Joh. Falckenbergius, Joh. Huſs, Hieronymus Prag. viſionum Brigittæ aſſertores, Flagellantium Secta, Ordinis Teutonici, armis ad fidem infideles converſuri Duces, publice moverant, diſcuſſio & exſtirpatio. I. Prol. 3.

Hinc ejus actorum diſponendorum Ordo: I. quæ *publicis decretis* præluſere, geſta & ſcripta per V. Nationes, vel per certa Collegia, claros viros, Prælatos, Doctores. Tomis I. II. & III.

II. Decreta publica & Seſſionibus Conciliar. tractata ipſa, Tomo IV.

Tum Scopus triplex modo dictus Concilii ordinem dat ſingulis Tomis, ſic Reformatio Cleri Tom. I. Schiſmatis inter tres Anti-Papas

De

clusiva via inter IV. primum Nationes. Accedentibus autem deinceps, Benedicto XIII. qui hactenus adhæserant, Hispanis, quinque Nationes extitere. Anglis Galli litem moverunt, de jure peculiaris Nationis tuendo in Concilio, Germanicæ Nationi Anglos accensendos esse pugnantes. Hinc atrox controversia, indignante Cæsare, coorta. utriusque partis argumenta vid. V. (III.) 53 - 100. Argumenta Anglorum pro via per Nationes suffragandi, 99. sq. Angli antiquitatem gentium suarum, amplitudinem Regni &c. urgebant. v. g. in Anglia esse (præter Scotiam &c.) 52000. Ecclesias parochiales, insigniter dotatas, ultra 1000. Episcopos &c. 135 Diœceses &c. 8 regna V. (III.) 89. 90. sq. 94. 86. Pro Anglis, tanquam peculiari, scil. quarta, Natione fertur sententia. 83. Inter Hispanos, ceu quintam Nationem, quoque suborta quæstio, de jure suffragiorum inter Navarrenses & Castellanos; decisa tandem, ut unam omnes absolverent Nationem Hispanicam 53.

Propositio in Concilio facta de commoda divisione orbis Christ. sec. IV. plagas mundi 102. sq.

Concilii Constantiensis.

Sessionum celebritas, modus & ritus V. (IV.) 103 - 107.

Singularum Nationum singulis mensibus electi sunt Præsides. mox singulæ seorsim, mox universæ simul congregatæ; Interfuit hic sæpissime ipse Cæsar multis Principibus stipatus. modum vota, vel singularum, vel omnium Nationum colligendi, indagandi, & ad publicum Conciliarium Sessionum calculum deducendi, ostendit passim *corpus Decretorum* Tomo IV.

Hic *modus* in variis MStis Actorum Basileensis Concilii in Constant. Concilii memoriam annotatus legitur hoc tit:

Modus observandus in publica Sessione Conciliorum generalium, practicatus & observatus in Concilio gener. Constant. V. (IV.) 104.

Ritus, redeunt ad sequentia:

Missa celebratur. preces peraguntur ter, flexis genibus, procumbentibus omnibus Concilii membris; nec ante surgitur, quam Diaconus clamârit: *erigite vos.* inter has tergeminas orationes solennes, Cantores præcinunt antiphonas, cum responsoriis, prælegitur etiam Evangelium, & Litania, in qua ter cantatur: - - *ut hanc S. Synodum - - benedicere, regere - - digneris.* Sequitur quarto, Oratio, & canitur: *Veni S. Spiritus;* Denique præleguntur decreta, in illa Sessione expedienda. Vota colliguntur per Præsides Nationum &c. voce: *placet.* Tandem omnia per Notarios instrumentis consignantur. V. (IV.) 104 - - 107. coll. IV. (III.) 80. sq.

Const. Concilii Sessiones ipsæ quotuplices, qui earum Præsides, Scribæ? &c. IV. (I.) 5. 6. vid. *Sessiones.* Sessio I. ad d. 16. Nov. ejusque Acta, 15. inde usque ad D. 2. Mart. 1415. nulla Sessio publica habetur; arcanæ causæ hujus intermissionis deteguntur IV. (I.) 27. de Hussi corio maxime ludit Papa Johannes primis Sessionibus & Congregationibus, ceterum causam unionis & Reformationis frigide tractans. 22 - 27. Sessio gener. II. ad 2. Mart. 1415 Acta ejus IV. (II.) 46. sq. Sessio III - - XII. quibus Papa Johannes sede dejicitur. IV. (III.) 63 - - 300.

Concilium existimaverim, quam Nicænum, etsi postea Papa aliter senserit. vid. reliqua ipsius VI. Prol. 4.

Autoritatem Concilio conciliavit geminum Edictum Sigismundi Cæs. & Papæ Joh. XXIII. ad totum orbem Christ. convocatum, vid. Edictum Cæsaris. VI. (I.) 5. sqq. Epistolæ ejusd. invitatoriæ ad Papam Gregorium XII. ibid. 6. ad Carolum VI. Regem Gall. 7. sqq. Bulla Johannis Papæ indicens Concilium & convocans totum orbem Chr. 9.10. vid. anacephalaeosin historicam scriptorum & actorum pro auctoritate Concilii Const. stabilienda VI. (II.) 11.12. sq. eventu felici, quando Gerson, Alliacus, Henricus de Hassia aliique Concilii valorem, jus & autoritatem Decretorum, per se, sine Papa, supra & contra Papam strenue vindicarunt, scriptis infinitis, quanquam Parisiensium nimis apertæ propositiones & conclusiones (II. (XI.) 263. 275. sq.) calculum Concilii non plene impetrarunt. confer *Johannes* Patriarcha Antiochenus, cum controversia Alliaci cum hoc, victrice. & de controversia Zabarelliana in Concilio acerrime agitata, quando Sessione IV. verba hic Cardinalis inter prælegendum omisit, quæ jus Concilii in Papam corrigendum præferrent, Sessione Vta deinceps solenniter restituta, vid. Franc. *Zabarella* & VI. (II.) 12. 13. sq. Gallorum & Italorum litem de sensu & valore Sessionis IV. & V. de autoritate Concilii & Papæ, & utriusque Nationis sententias recentiores doctissime conciliantem Hardtium vid. ib. 12. 13. sq. Actorum series recte, prout nunc Hardtius edidit ex MStis authenticis inconcussæ fidei, inspecta, finem imponit omni illi liti, quæ statim componi potuisset, si hanc seriem tunc ante oculos habuissent Galli Italique doctissimi. 12. 13. 14. varietas Codicum MStorum circa hanc Sess. IV. unde potuerit oriri? 13. fin. autoritas itidem Concilii feliciter stabilita circa jus eligendi novum Papam, nec solis illud relictum Cardinalibus, sed simul & Nationum Deputatis vindicatum. ibid. 14.

Inpr. rem acu tetigit Petrus de Alliaco, scripto: *de Potestate Ecclesiastica* d. 1. Oct. 1416. publice in Concilio prælecto, & brevi post, cum vix inventa esset ars typographica, typis evulgato, quod ex MSS. exhibet Hardtius integrius VI. (II.) 15 - 77. Gersonis similem Librum de Potest. Ecc. itidem ex MSS. VI. (III.) tot. 77. sqq. Andreæ, Ep. Magorensis, Hispani, similem librum vastum ex MS. Helmstad. exhibet, sub tit. *Gubernaculum Conciliorum*, VI. (IV.) 140 - 333. vid. *Concilium*, ad fin. rubri. & quæ inde excerpsimus ibid. provocat hic Andreas creberrime ad Concilii Const. decreta & autoritatem, tanquam ad sacram anchoram Concilii Basileensis, v. g. 154. sq. 273. fin. sq. &c.

Ejusd. Concilii Const. *res gestæ ipsæ*, cum impedimentis, horumque depellendorum remediis &c. A, ex Tomo Maxime Imo. rerum gestarum seriem in synopsi vid. I. (X.) 560 - 566. 570. sq. & I. (I.) 156. sq.

Insidiarum Concilio Const. positarum nullus futurus erat finis, quia Reges & Magnates Galliæ atque Hispaniæ a partibus Benedicti abstrahi nolebant, nisi Sigismundus coram Reges Hisp. & Gall. adiisset,

 sacro-

dictus XIII. (vid. I. (XX.) 915.) sede moti & ad incitas redacti e-rant, Cæsar & Nationes magno flagrantissimoque ardore fereban-tur in opus Reformationis tot de-liberationibus atque decretis con-cinnatum & stabilitum, nunc tan-dem consummandum. Quapro-pter Mense Augusto dicti anni 1714. nominati a Nationibus De-putati pro Reformatione consum-manda. Maturescentem autem fructum tot laborum Concilii cum perditum irent haut pauci Clerici, crumenæ, gulæ & ventri suo ex reformatione metuentes, contra horum tergiversationes & fraudes novum Oratorum agmen alius post alium consurgebant, Refor-mationem jam, postpositis omni-bus ceteris rebus, maturandam, summopere suadentes, tales fue-re: Pileus-Archi Ep. Gen. Ste-phanus & Mauritius de Praga, Pe-trus de Bruxellis, Theobaldus, Bernh. Baptisatus, aliique, hor-tantes, ne cederent Proceres Con-cilii malis illorum artibus, sed Reformationis negotium sine mo-ra exequerentur: conf. I. (XIX.) Pr. Verum cum aliter impediri nequiret, res abit in lites & confli-ctationes acerbissimas. morbum Ecclesiæ nemo, sanus, insanus, negat. De Medico disputatur: Cardinalibus tantum non omni-bus, allectis deinceps quoque tri-bus Nationibus, Ital. Gall. & Hi-spanica, Papam poscentibus; Si-gismundo Imp. cum Germ. & Angl. Nationibus Concilio univer-sali hoc reformandi totum statum Ecclesiasticum jus & officium vin-dicantibus. Igitur congregatas super consummanda Reformatio-ne per tres menses (quam moram merito taxat Theobaldus Orat. modo dicta) nationes adeunt. Car-dinales, solennem Protestationem, d. 9. Sept. 1417. contra Refor-mationem, Electioni Papæ præmit-tendam, interponunt, quæ inser-ta legitur, ex Schelstratenio I. (XX.) 916. hinc rixæ, clamores infiniti. valde indignante Cæsare, inprimis cum tres Nationes Car-dinalibus accederent. qui ea ma-joris partis adstipulatione animo-siores redditi novam longiorem, in-juriisque haud vacuam, Protestatio-nem, in solenni Congregatione totius Concilii interponunt d. 11. Sept. 1717. habetur hæc 917-920. augentur hinc turbæ ingen-tes, augentur acerbissima scripta, ultro citroque vibrata. vid. Diff. in Cæsarem & Germanos amplam 922-927. Cæsar cum natione Germ. solus relictus (Angli enim ad Cardinales tandem defecerant, jubente Rege) Dissolutioni Conci-lii metuens, invitissimus consenti-re in electionem Papæ præmitten-dam Reformationis executioni co-gitur, stipulante sibi tamen Germ. Natione: *adsecurationem & cauti-onem per decretum irritans, quod post electionem Papæ fieret refor-matio, ante coronationem Papæ & administrationem aliquam;* non tamen vel sic satisfactum Germ. Nationi; factæ enim sunt diversæ formæ decreti ab ea postulati, & tandem eidem objectum: *Papam electum non posse ligari*, ex Schel-strateno, 928. Sic effluebat inter spem metumque mensis Septemb. *donec Episcopus Victoniensis, Re-gis Angliæ Patruus, iturus Jeru-salem*, Constantia transiret. Hoc cum Cardinalibus & Deputatis Nationum, ipsoque Cæsare, tractan-te, eo conventum est, ut daretur per Decretum Concilii cautio quæ-

ſupremi Curiæque Romanæ delineat, & ad monita a Nationibus danda in Concilio exhibet. intactum autem relinquit Art. VIII. *de officiis Cancellariæ ac Pœnitentiaræ*, tanquam latifundio & promo condo divitiarum ſuarum inde exaggerandarum maxime nociturum. 1016. ſq. Limam deinceps ſubiit hæc Martini Reformatio Nationum; itaque limitata, diminuta, & alicubi ex Nationum votis aucta & illuſtrata, Conſenſu Papæ & Concilii, in publico Conſeſſu Conciliari d 21. Mart. 1418. publicata eſt, tit: Martini V. Reformatio in Capite & Curia Romana. 1020. Verum non prorſus adquieſcebant Nationes huic Martinianæ Reformationis delineationi, ſiquidem longe plura momenta definita erant Decretis, quam ex Martini oblata Reformatione exſpectari poterat. Fatis autem cedendum antiſtitites Nationum intelligebant, & Martino deinceps ac Cardinalium Collegio conſultum videbatur, cum diviſis Nationibus diviſim tranſigere. Quapropter ſeorſim cum ſingulis Nationibus Papa agere cœpit, *diviſis earum votis ac viribus*. 1051. hinc Concordata Martini V. cum ſingulis Nationibus d. 21. Mart. 1418. publicata, Johanne Oſtienſi Ep. Vice-Cancellario, dicis gratia, clamitante: *placere cuilibet Nationi Concordata*, cum indignarentur præſentes Nationes, ſilerent tamen preſſi fatis ſuis. 5052. fin. ſq. contradicente autem Gall. Natione per Regem 1083. apparent Concordata Germanicæ Nat. cum Papa 1055. ſq. Anglicæ Nat. I. (XXV.) 1074. ſqq. Cancellariæque Ro. inſerta ſunt. 1078. acceſſit ad hanc aliquam Reformationem Curiæ Rom. & Regiminis Supremi Eccl. Monachorum Benedictinorum Viſitatio & Reformatio, Provinciali Capitulo facta, & a Concilio confirmata. I. (XXVI.) 1086. ſq.

Res geſtæ Concilii cum impedimentis, remediis &c.

B, Ex Tomo IIdo. ut & ſubinde III. & IV.

Concilii Conſt. Hiſtoricam recapitulationem ab Hardtio contextam vid. I. (X.) Præf. tot. inpr. 560-565. 570. ſq.

Geſta in hoc Concilio percenſentur quoque ab Theodorico Vrie I. (I.) 159. ſq.

Obteſtatio Anonymi ad Concilium Conſtantienſe (ante Seſſiones publicas) de procuranda Unione Eccl. per remotionem trium Pſeudo-Paparum. II. (III.) 163. ſq.

Alius Anonymi Obteſtatio ſuper eodem argumento. ib. (IV.) 166. ſq.

Nihil fere actum eſt in hoc Concilio primis 3. menſibus Novembr. Decembr. & Jan. an. 1714. (cauſæ: prætenſus quorundam morbus, & exſpectatus Adventus Gallorum & Anglorum) præter pauca *præparatoria*. II. (VIII.) 188. de Conſtituendis Procuratoribus, Promotoribus, Conſiliariis & Directoribus rerum agendarum, iisque ex pluribus Nationibus eligendis. De Unione momentum omnium primum. II. (VIII.) 190.

Papam Johannem videri retinendum, excluſis duobus reliquis. Schedula Congregationis Doctorum in Conc. Conſt. ibid.

Piſanum Concilium, tanquam baſin, eſſe ante omnia confirmandum a Concilio Conſtant. inchoato, urgent Itali Schedula; Refutat hoc alia Schedula Petrus de Alliaco, propugnans propriam Concilii Conſt.

habitu

habitu fugit Schafhusam, frustraneis dehortationibus Cæsaris. Fridericus Austrius illum sequitur, uterque id Cæsari excusat literis. 250. sqq. Johannes Concilium eversurus curiales suos ad se evocat, & Cardinales citat. 253. Cæsar urbem obequitando ægre turbas sedat, quietem & securitatem omnibus in Concilio pollicendo; mittuntur ad Papam, tertio a fuga ipsius die, Legati, urgentes Procuratorium cessionis diu flagitatum. II. (X.) 253. antequam hi abirent. Gerson, Paris. Cancell. Jussu Cæsaris & Concili Orationem publ. habet, De *Concilii autoritate*, urgens inter alia:

Ecclesia habet sponsum unicum indefectibilem Christum, cui Christus non potest libellum repudii dare; alia vero ratio est Vicarii Christi, Papæ, & Ecclesiæ, que non ejusmodi vinculo matrimoniali isti ligatur, quin mutuo se possint absolvere & dare libellum repudii II. (X.) 265-274. inpr. Conclusiones 12. pag. 272.

Parisiensium autoritates idem stabiliunt. II. (XI.) 274. sq. manet concilium salvum & indissolubile, sine Papa, ad id jure ex fuga revocando & citando. ibid. Bened. Gentianus, Acad. Paris. Legatus monitis demonstrat, fraudibus Johannis XXIII. & Cardinalium 4. mensibus ab initio usque ad fugam Papæ nihil actum, rebus inutilibus tempus protractum, id egisse clerum allotriis & ambagibus, ut Concilium tædio laborum, sumtuum, tricarum dissolveretur; strenue ergo, semoto Papa & Cardinalibus, pergendum & ad rem ipsam descendendum. II. (XII.) 280. sqq. Disputant Cardinales aliique de Jure Cardinalium negotia Concilii Const. tractandi II. (XIII.) 285. sq. reliqua Acta cum Johanne XXIII. Gregorio XII. & Benedicto XIII. recenset Theod. de Niem II. (XV.) per tot. a. pag. 336-459. vid. *Johannes. Gregor. Benedictus*, Paparum suum quodque rubrum it. *Huss, Hieronymus* Pr. &c. Sigismundus abit in Hispaniam, Galliam, Angliam, unionis papalis, & pacis inter Gallos & Anglos stabiliendæ causa. vid. *Sigismundus* & conf. Niemium II. (XV.) 395. 415. &c. De variis bellis tempore Concilii, dum Cæsar abesset, subortis 416. sqq. Legati Samogitarum (Semgalliæ) recenter conversorum, 60 viri proceri, venerunt ad Concilium, flagitantes novos præcones fidei Cathol. 422. Legatis Sigismundi Constantiam venientibus & Hispanos pro removendo Bened. XIII. fortiter stare nunciantibus, multi in Concilio præ gaudio nimio plorant, omnes *Te Deum*, cantant, campanæ pulsantur, fit solennis processio, præ gaudio super unionis spe firma flente omni multitudine. 423. sqq. Concilii Legatio ad Argentinenses pro liberando captivo Episcopo. 426. fin. sq. nihil efficiunt, & Legati, & El. Moguntinus cum Marchione Badensi. 428. gaudia modo dicta Concilii super Rege Arrag. cum Sigismundo in Petrum de Luna armato turbantur nunciis de eodem Rege in partes Petri, ope retis aurei tracto, mox autem sententiam corrigente, hinc Petrus fugit, cessionem tamen pertinaciter abnuit. 429. sq. Gallos adit conciliatum cum Anglis Sigismundus. 434. sq. Capitula concordata Hispanorum cum Cæsare confirmat Concilium 437. sq. Arragoniæ Rex per Legatum unionis studium

suam ut irent sententiam, adduxerat, maximo Ecclesiæ malo. Sic tandem major pars Concilii pervincebat indignantibus Germanis, & Cæsare, ut Papa novus eligeretur, qui deinceps Reformationis negotium (at vano, quod eventus docuit meliori parti prævisus, conatu) susciperet. vid. de his conflictibus IV. (X.) 1335. 1353. 1354. 1355. sq. (XI.) 1394. sqq. 1398. 1414. sqq. 1418. sqq. 1426. &c.

Contra Concilium *Constantiense*

Scripsere, ejusque autoritatem vellicarunt: Johannes de Rosellis, Almainus &c. & superiori seculo Galli maxime & Itali, non sine bile, has ob res inter se contenderunt VI. Prol. 21. Concilii Constantiensis fata breviter recapitulando delineat Hardtius VI. (IV.) 137. sq.

Jacobus de Misa: Invectiva in Const. Conc. ob Reformationis jactantiam, cum caput & membra, Papæ, depositi Cardinales arrogantes, Doctores inflati, sint putrida &c. III. (XVIII.) 643. sqq. scriptum egregium. Huc etiam quodammodo spectant:

Clemangii scrupuli de Decretis Concilii Constantiensis, quoniam rationes iis decernendi non additæ &c. I. (II.) 69. fin. sq. Ejusd. Epistolæ, nomine Christi ad Conc. Const. scriptæ, summa: Quod Concilium promittens reformationem Ecclesiæ, nec tamen reformans Papam & curiam, simile sit fabulæ Æsopicæ, cum parturiunt montes & nascitur ridiculus mus. I. (III.) Pr. init. é contrario Concil. Const. aptius esse ad reformationem quam fuit Pisanum, probat Gerson. I. (V.) 113. sq.

Constantini M.

Donatio jactata. I. (I.) 108. sq. ejus Formula ib. 109. sq. hinc splendor Pontificum repetitur, cum bonis Feudalibus Episcoporum, in abusum versis. ib.

Dotatio Constantini venenum Ecclesiæ ib. 111, 112.

Consuetudo.

Statutorum consuetudine roboratorum in Collegiis Cathedralibus abusum tollit Reformatorium Const. Decr. I. (XII.) 671.

Consuetudo Ecclesiæ, si rationi obstet, non est norma agendi, fuse id demonstrat Jacobus de Misa III. (XVIII.) 608-622. contra Theologos Constantienses. Anonymus contra Jacobellum de consuetudine & autoritate Ecclesiæ in ritu Sacram. III. (XIX.) 723. sq.

Felix *Contelorius.*

Ejus Collectione Actorum Concilii Const. utitur Labbeus, beneficio Cardinalis Barberini IV. Prol. 13.

Conventicula.

Hussitarum in Bohemia describuntur III. (XIX.) 681. in his una mulier totum librum Job memoriter sermone vernaculo recitat ibid.

Conversio.

Gentilium ad Christum non debet esse violenta. III. (II.) tot. inpr. 20.

Corruptelæ Ecclesiæ. vid. Lit. E.
Simonia, arrogantia,
Avaritia, luxus & fastus,
Crassa ruditas & ignorantia,
Ineptissimorum promotio,
Supinus sacrorum neglectus,
Turpis officiorum contemptus.
I. Prol. 20.

Cossa Balthasar. vid. Johannes XXIII.

Cracoviensis Acad.

Ejus Epistola ad Concilium Const. complectens seriam adhortat. ad Reformationem Eccl. IV. (IX.) 875. sqq.

husæ & per Thuringiam alii. conf. Gobelin. Persona, Cosmodr. æt. 6. Cap. 93. Vincentius Ferrerius Ord. Prædic. Monachus, Theologus & Orator Hispanus, ob devotionem pene adoratus, hujus Sectæ fautor præcipuus, cujus ope Sigism. Cæs. Hispanos a Benedicto XIII. abstraxerat. hinc blandiss. Epistola Gerson eum ab hac Secta abstractum it. III. (VII.) 95-105. Flagris se cædunt in locis sæpe sacris, personæque insignes, clerici, laici illustres, utriusque sexus, parentes, liberique, denudant se illic juvenes juvenculæque, violata lege verecundiæ, gravitatis virorum; autoritatis parentum - - non curantes sacramentum pœnitentiæ, flagellationem potiorem habentes confessione, immo ipso martyrio. v. Gerson de Secta flagell. molliter in viam reducenda III. (VII.) 99. in quibus provinciis deprehendantur hi flagellantes? 100.

Curia Papalis. conf. Papa.

Cum officialibus quomodo reformanda? Reformatorium Const. I. (X.) 596 - 609.

In Curia Rom. olim venalia omnia. in litibus cumulatis ejus felicitatem constituere Papæ I. (III.) 13. sq. Clemang.

Collectores redituum papalium nequissimi, pollentes autoritate excommunicandi. Excommunicationes frequentissimæ ante Conc. Const. levissima de causa, quibus & mortui plexi. id. 12. 14. Cancellariæ Rom. regulæ sunt laquei captiosi. ibid. Cardinalium introductio auxit mala Eccl. 15 - - 19. idem Clemangius. Curiæ papali se & Ecclesiam totam ita manciparunt, ut ne parvulam quidem præbendam audeant conferre Principes incauti. 20. sq. Curiæ Rom. artificium. ib. Biblia ne tegumentotenus Papæ attingunt, cum contrarium jurent. 21.

Curiales Rom. vid. *Parasitus.*

Juribus Cæsarum & Principum German. detrahunt. I. (V.) 222. fin. sqq. Doctos Germanos opprimunt. 225. it. Academias ib.

Curtisani

Papæ in Concilio Const. præsentes 1500. V. (II.) 22. vid. *Histriones.*

Curtbesani Papæ Gregorii XII. II. (II.) 67.

Cyprianus Martyr

Ejus sententia de Communione sub utraque vindicatur contra Brodæ cavillationes, per Jacobum de Misa III. (XVI.) 480. sq. 500. sq. 518.

D.

Gebh. (al. Eberh.) *Dacherius*

In Curia Electoris Saxon. Rudolphi, vir in Concilio Constant. spectabilis, ab Electore ad hoc admotus officium, quo Saxoni Mareschallo competebat, ut exploraret, qui in Concilio hospites? &c. ubi eo fuit penetrandum, ut & meretricum Constantiæ in Concilio existentium numerum explorare, etsi invitus, aliquando cogeretur. invenit - - bey 700 gemeiner Frauen - - in einem Hause etwan, hier drüber, da drunter, ohne die in den Ställen lagen, und in den Badstuben - - da wolt ich ihrer (pergit Dacherius) nicht mehr suchen. Da wir die Zahl für den Churfürsten brachten, sprach er: wir solten ihm die heimlichen Frauen auch erfahren. Da antwortete ich ihm, daß Sr. Gnaden das thäten, ich wäre es nicht mächtig zu thun, ich würde vielleicht um die Sache ertödtet, und möchte auch finden,

F.

Concilio 158. (Y) - 162. Sigism. Cæsar numerosos exercitus in ditiones Friderici mittit, eas occupatum. 163. fide data Cæsari d. 5. Maj. 1415. qua receptus erat in gratiam, Papam reddendi Concilio: ex Johannis Patrono, per Concilium cogitur fieri, ipsius traditor & carceris pararius. d. 17. Maj. 1415. 210. sq.

Ejusdem Fatorum historiam recenset luculento & eleganti stylo *Gerardus de Roo*, Histor. Austr. L. IV. f. 150. sq. momentis sequentibus: Non solum Cæsaris de ejus, fugam Johannis adjuvantis, pravo pessimi nebulonis patrocinio, in Concilio conquerentis offensam gravissimam, sed & omnium bonorum infensos animos in se concivit. agitabantur alioquin occultis invidiæ stimulis in Principes Austriacos, veteri simultate, quod opes illorum paucis annis in immensum creverant, multi Principes & Episcopi: tempus adesse rati, in ditiones Austriacorum involandi. Itaque Sigismundum, per se ad ultionem proclivem, instigant. Citatur ergo Fridericus Cum non compareret, reus peragitur majestatis. Proscribuntur omnes ejus ditiones, Vasallis a fidelitatis sacramento absolutis, præmio proposito, omnibus damnum illi illaturis. Itaque ingratissimus quisque Princeps, Episcopus, Comes, Baro, Nobilis, cum Civitatibus, ipsisque rusticis in Friderici perniciem se armabat. Pleraque Austriaca oppida capiuntur, & ab illis, & a Cæsare. invadunt & ipsi Helvetii, qui fœdus sibi cum Austriaco ad L. annos ictum, armis suis obstare causantes, a Concilio absolvuntur sacramento; Ergoviam occupant. Horum maxime viribus sibi adversis territus Fridericus, copias ex Burgundia & Lotharingia, stimulante Papa Johanne XXIII. & suas opes offerente, conductum it. Verum intervenit his consiliis Elector Palatinus, & gravi Oratione Fridericum ad leniora & tutiora remedia, reconciliationem scil. cum Cæsare & Concilio, &c. amplectenda, hortatur, seque mediatore rem compositum iri, spondet. Adit itaque Fridericus cum Elect. Palatino & Friderico Burggravio Norimberg. mox Electore (ob hæc & alia merita creato) Brandenb. eadem ipsi persuadente, Constantiam. Cæsari fit supplex, eaque lege, ut se suaque eidem permitteret, pacem ac veniam impetrat. Ita paulo post futurum, ut omnia sibi redderentur, persuasus, scribit ad civitatum suarum Præfectos, ut omnia Cæsari tradant. Interim Tirolenses & Athesini Fratri Friderici, Ernesto (Patre Friderici III. postea Imperatoris, in his turbis nato 1. Oct. 1415) ne ab Austriacis, divellerentur, homagium præstiterant. Is Cæsaris literis & Friderici Legatis jubetur, Fratri ditionem reddere, quod ille se facturum negat. Sigismundus armis peti Ernestum, rem fore, Concilii res moraturam, timens, hujus negotiis insudat. Fridericus (etsi Pontificem fugitivum jam Cellam usque, 2 milliaribus a Constantia sitam, perduxerat, isque in potestate Concilii esset) Sigismundi reconciliationem plenam, & amissarum ditionum recuperationem necquicquam exspectabat. Nihil itaque cum seu suis, seu Intercessorum precibus apud Cæsarem obtineret, conscenso equo, cum paucis consciis

1222. Ejus meritum, in retinendis per blanda Colloquia Cardinalibus, e Concilio abituris. IV. (XI.) 1416. init. Est primus custodum Conclavis, ubi electus est novus Papa (Martinus V.) (XII.) 1467. 1471.
Autor est & comes Friderico Austriaco, ut Cæsari supplex iret Constantiam, ditiones amissas recuperaturus. II. (XIV.) 331.
Ablegatur a Cæsare cum aliis Principibus & Episcopis ad Johannem P. Friburgo retrahendum Constantiam. dedit ei Cæsar ad hoc negotium, seu arte, seu Marte, conficiendum, CCC armatos. IV. (III.) 163. sq. merita ejus in hac causa 164 defert Papam captivum Friburgo Cellas, manum præbente Friderico Austriaco 210. sq.
Nuptias celebrat Constantiæ inter filiam suam, & Ludovicum Ducem Brigensem, Cæsare parario. IV. (XII.) 1544. Constantia discedit, meritis in Concilium coruscus 1584.
Jussu Cæsaris pro tribunali sedit, adsidentibus aliis Principibus in Comitiis Constantiensibus, contra Fridericum Duc. Austr. IV. (XII.) 1510.

Fridericus Marchio Misniæ

Solenniter excipitur Constantiæ cum 3 Bavar. Ducibus. 1221. sine Investitura indignabundus Constantia discedit, mox defuncto Rudolpho majori, Electorali Saxoniæ dignitate investitus. IV. (X.) 1308.

Fures

Magni parvum suspendunt, dictum Philosophi, cum vidisset, Judices malæ notæ & plebis emunctores furem ducere ad supplicium I. (I.) 80. fin. sq.

G.

Galli

Turpiter fugantur ab Anglis tempore Concilii Constant. II. (XV.) 421. de Gallis antiquum dictum non fallit: *Gallorum multa sunt & repentina consilia*. it. ad Bella suscipienda Galli sunt alacres, ad molestias ferendas molles & inconstantes, *Niemius* II. (XV.) 421.

Galliæ Rex Carolus VI.

Acuitur Epistola Clemangii ad emendationem Ecclesiæ I. (II.) 7. sq.

Gallicana Ecclesia

Ej. encomium, pro reddenda pace Eccl. sedulo invigilantis II. (II.) 73.

Mich. *Galtheri*

Notarius Concilii Basil. in eo descripsit Codicem Actorum Concil. Const. in Epitomen redactum IV. Prol. 12.

Gelasius Papa

Sacrilegos decreto declarat eos, qui sub pane tantum sumant Sacramentum; Disputant super hoc manifesto statuto Constantienses Theologi cum Jacobo de Misa III. (XVIII.) 637. fin. sq.

de *Geminiano* Dominicus

JCtus Florentinus vindicat scripto egregio libertatem nationis Germ. contra decimas à Martino V. impositas IV. (XII.) 1579. sq.
In *Genus* humanum invectivum carmen Th. Vrie, quod ultra naturam degenerarit. I. (I.) 11. sq.
Heu mortale genus, quantum tu degenerasti I. 11. &c.
Georgius Baro ab *Ende*. v. prædones.
Famosus prædo, ex castris, Grimmenstein, aliisque invaserat cum sociis Constantienses: ejus supplicium &c. IV. (VIII.) 628. 629. sq. II. 443. dicitur parvus Baro,

Rom. curiam. I. (V.) 230. ſq. Germani justitiæ cultores. 232. eorum Eruditio Eccleſiæ fructuoſa. 233. Germanis Papæ parciſſime beneficia Eccl. conferunt 235.

Joh. *Gerſon.*

Ejus encomium ex Thuano I. (IV.) init.

Ejus Vita. ibid. 26. ſq. pericula vitæ structa a ſeditione Pariſienſi. 42. Brigittæ canoniſationem impugnavit. Huſſi vivicomburium promovit. 42. fin. ſq. finito Concilio, ad quod Legatus Gall. fuerat, ſpontaneum exilium ſubiit. 45. Lugduni Gallorum per decennium ad vitæ finem deliteſcens, abjectis muneribus publicis, apud fratrem, Priorem Cœleſtinorum. 46. ſq. otium ejus negotioſum. 47. contra aſtrologiam judiciariam Librum ſcripſit. 48. Ultimum ejus carmen apologeticum. 49. obitus & epitaphium 50. ſq. Ejus monumenta literaria 52. docendi genius. 53. antiqua & pulcra imago. 54. 57. fuit *anima* Concilii Conſt. 58. Ejus liber: de Reformatione Eccl. in Concilio Univ. ad amuſſim in ipſo Concilio fuit obſervatus I. (VI.) Pr. integer dictus liber comparet I. (VI.) ex MSto. Helmſtadienſi, nunquam antehac typis editus. ib. Pr. fin.

Gerſonis animi indoles, ſtudia contenduntur cum ejus æquali & *ὁμοψήφῳ* Petro de Alliaco I. (VI.) Pr. tot. 248. ſq.

Ejusd. inſigne opus: de Eccleſiaſt. Poteſtate publice pronunciatur in Concilio. IV. (X.) 1092. ejus Conſilium de Comm. ſub utraque (XI.) 1398. Concilio finito ſponte abit in exilium. 1583.

Ej. laudatus liber de Poteſtate Eccleſiaſtica integer ex MSS. apparet VI. (III.) 77. ſq. ejus imago 76. Edidit geminum Tractatum ad Concilium excitandum, ut Joh. Parvi Librum rigide examinaret. IV. 1088. 1087.

Ejus Compendium Theol. valde commendatur a Franc. Zabarella Concilio Conſt. in Eccleſiam introducendum I. (IX.) 505. Ejus Opus de viſitationibus Eccleſiarum commendat idem Concilio 526. fin.

Ejus Oratio egregia in Concil. Conſt. habita triduo poſt fugam Papæ Joh. XXIII. *de auctoritate Concilii.* NB. habuit illam juſſu Cæſaris & Concilii, pridie veſperi demum accepto, cum poſtero mane illam publice declamaret, unde quam expeditæ doctrinæ vir fuerit, liquet. II. (X.) 265-274. inpr. 267. poſt med. it. Propemptica ad Cæſarem, ante hujus iter in Hiſpaniam. II. (XVII.) 471. ſq. Ej. ad Cæſarem reducem & Concilium Demonſtratio: Petrum de Luna eſſe Hæreticum & ſede pellendum II. (XIX.) 566 ſq.

Idem Gerſon, cum Galli in concinnandis Concordatis Papæ Martini V. cum ſua Natione de poteſtate Papæ nimis libere differerent, huic reſtringendæ oppoſuit ſcriptum: Diſcuſſio Aſſertionis: *Sententia Paſtoris etiam injuſta tenenda eſt* IV. Prol. Ind. 49. ad 23. Febr. 1418. contra P. Martini V. damnatam Appellationem Polonorum (a Papa ad futurum Concilium) quod a Papa appellari non poſſe, iſte ſtatueret, edidit Opuſculum: Quomodo liceat in cauſis fidei a Papa appellare, ſeu ejus judicium declinare IV. (XII.) 1532.

Fuit idem Gerſon Huſſi comburendi adjutor, eo fine, ut cum Joh. Parvo eodem rigore procederetur. contrarium cum videret, ſero doluit, & *προσωποληψίας* judices accuſavit.

adfligit, hisque interdicit omne unionis parandæ ſtudium. II. (II.) 63. 64. ſq. 85. illum deſerunt & Piſam ſe recipiunt, perſequente eos Gregorio. ib. colluſio ejus cum Bened. XIII. ne Papatu cederent. ib. 85. Secretarius Georgii, Leonh. Aretinus. Ejus candidiſſima ad Rob. Ruffum Epiſtola, ex Conc. Piſ. qua Patres Concilii Piſani laudat, Dominum vero ſuum P. Gregorium vituperat, ob perjurium &c. II. (II.) 103. ſq.

Gregorii Legati veniunt Conſtantiam ad Concilium, obtinent jus cum rubeo capello intrandi, offerunt Schedulam ceſſionis à Papatu pro Gregorio II (VIII.) 204. ſqq. conditiones ceſſionis. 207. Elector Bavariæ cum Gregorio faciens, operam ſuam pollicetur, hunc pelliciendi ad liberam ceſſionem. 206.

Fit ſucceſſor miſeri Innoc. VIImi. II. (XV.) 351. turbæ in illum Balthaſaris Cardinalis (poſt Joh. XXIII.) ibid. convenit cum Benedicto XIII. in civitate Lucana, de pace & unione, per mutuam ceſſionem Eccleſiæ procuranda. ibid. Sed artibus Balthaſaris, tunc Cardinalis, Piſam transfertur id negotium unionis, ad Concilium univerſale ib. hinc ſimultas inter Papam hunc & Balthaſarem, mox Johannem XXIII. Papam factum 352., qui Cardinales corrumpendo abſtraxit a Gregorio. ib. dejecto adverſario ſuo, Johanne XXIII. ſponte Papatu Gregorius ceſſit, per Procuratorem ſuum, Carolum Ducem de Malateſtis, & fit Epiſcopus Portuenſis ac Cardinalis. II. (XV.) 409. Ceſſionem factam ſolenniter approbat, deponens mitram pontificalem, colobium & omnia inſignia pontificalia &c. 413. Gregorii XII. Epiſtolæ de Schismate tollendo, ſub init. Concilii Conſt. ſcriptæ: ad Imp. Sigismundum (An. 1413.) qua eum nominat, pronunciat Regem Romanorum omnesque vaſallos, Reges, Principes ipſi obedire jubet &c. II. (XVI.) 463. ſq. 465. ad Ludovicum Bav. Ducem: De imminenti Concilio Conſt. ægritudinem ſuam teſtatur. 466. Declarat Papæ Ludovicus, reſponſo dato, ſtudium pacis. ib. ſq. Epiſcopi quidam Germ. Gregorio addicti ipſum rogant, ut Concilii Conſt. decretis de Unione adquieſcat. 468. NB. Quomodo ceſſerit tandem, quamvis ægerrime, Papatu, ex Gobelino Perſona, Platina, Spondano, recenſet Hardtius 469. ſq. moritur non multo poſt, dolore animi, propter ſubitam abdicationem a Carolo de Malateſtis Procuratore factam, quam longius protrahi voluerat. Cardinalis perpetuus & Legatus Papæ, ante omnes Cardinales primum locum obtinens, idcirco a Concilio declaratur. vid. Niemium II. (XV.) 414. & Vrie I. (I.) 166. ſq. qui ob hanc ſpontaneam reſignationem eum in cœlum extollit, atque hunc Angelum de Corario Angelorum cœleſtium choro adjungit, cum pectoris ipſius receſſus, ambitionis papalis plenos, retegant Acta. conf. II. 190. de Gregorio conf. etiam, quæ narrat Vrie I. (I.) 163 - 169. item comporatio ejusd. ſimplicioris & magis aperti, cum genio vafro Benedicti XIII. ſimulatoris, Hardt. I. (II.) 29. fin. ſq.

Gregori XII. Papæ Legati exhibent Concilio ceſſionem Heri ſui, cujus nova formula iis præſcribitur. IV. (II.) 37. ſq. an recipiendi ſint? 35. fin. ſq. de ejus ceſſione ſponte oblata

cum tandem clamitarent alta voce: *comburatur*, *comburatur!* placide respondit Hieronymus: *si placet vobis mors mea; in nomine Domini!* quocirca Archi-Episcopus Salisburgensis: *Non Hieronyme; quia scriptum est: Nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat* &c. 218. miseriam carceris, victus &c. vid. ibid. Hieronymus ad abjurationem doctrinæ suæ aliquoties invitatur IV. (VIII.) 493. 497. prima vice doctrinam Hussi, Wiclefi & suam abjurat 497. fin. sq. idque secunda vice, publice solennius 499 - 513. Post revocationem, in carcerem, paulo laxiorem, reducitur 532. mœrore carceris perennis, Bohemorum ipsi indignantium literis, conscientiæ stimulis actus, pectoris pœnitentis penetralia subinde aperit ac prodit. quod cum increbesceret, suspectus redditur. Suspicionem auxit Gersonis liber: de revocatione in rebus fidei. 533.

Hieronymus Prag. ad Articulos inquisit. juxta præscriptum Congregationis de XXIV. Februar. (IV. (VIII.) 615.) formatos examinatur. IV. (VIII.) 629 - 633. & 634. - - 690. ubi notanda: 641. manu forti se defendit aliquando in monasterio, contra tres monachos, gladio cuidam laico vi erepto: eosque captivos duxit; fatetur hoc, & ex jure inculpatæ tutelæ se tuetur. 642. alapam monacho cuidam publice inflixit in platæa (alapisavit) 668. alium monachum defensionis ergo cultro aggressus. 752. Crimini ei dant judices, quod dixerit: *mures non possunt comedere Christum; at quidem hostiam consecratam, Ergo hostia consecrata non est Christus* - - hostia consecrata non est Deus & Creator, quia Presbyter non potest consecrare (facere) Creatorem suum. item. 669. NB. *quod fecit cantilenas Bohemico vulgari sermone, in quibus textum Biblia expressit, & capitula Scr. S. connotavit; quas laici die & nocte palam decantant, ut sibi soli videantur, & non Ecclesia Romana, neque Clerus, S. Scripturam intelligere &c.*

Item contra reliquias docuisse inculpatur; *peplum virginis S. Mariæ* (adservatum in Pragensi Ecclesia) *non plus in reverentia habendum* & adorandum esse, *quam cutis illius asini, in quo Christus sedit &c.* 681. Parisiis in Disp. philosophica positionem subjecit: *quod Deus nihil possit annihilare*, unde Gerson Cancellarius eum ad revocandam hanc hæresin adigere voluit, at frustra. vid. supra ad examen primum ante recantationem ipsius, ubi Gersoni hoc illi exprobranti, respondet: Disputavi de problemate, tanquam Philosophus &c. Docuit in Academiis, Parisiensi, Vindebonensi, Heidelberg. Cracov. fuit etiam aliquandiu Hierosolymis (681. sq. 643.) item in Anglia, unde Wiclefi doctrinam hausit &c. Congregatio Gen. in causa inquisitionis ejusd. 933. Idem paulo ante supplicium publice examinatus. d. 23. Maj. 1416. 748. sqq. idem porro examinatus 754 - 762. damnatus ad rogum, absentibus Cæsare & hujus locum tenente Ludovico Bavaro. 763. sqq. Non desunt autores, testantes Casparum Schlik. nomine Cæsaris absentis, palam in publico Concilii (Hieronymum damnantis) consessu adsurrexisse, cum in condemnationem ejus omnia instrui videret, ac Cæsaris Sigismundi dissensum publice ac aperte declarasse,

 atque

I.

quæ in peregrinos ib. pauperes & rusticos ad servitia compulit, sine omni pretio, 349. 350. Census ex pane, molis, vino, victualibus, fœno, stramine, lignis; immo maxime scortis, mimis, lusoribus &c. 350. Sobrius simulat paupertatem, sed ebrius crepat ingentes suas divitias. immunitates germanorum tollit. ibid Bononienses ejus pertæsi, se suaque novo Pontifici Innoc. VII. offerunt, hinc sævit Balthasar in cives suspectos, & ipsi Papæ gravis est. 350. 351. sprevit quoque Gregorium XII. Papam, hujusque Episcopum Bononiæ constitutum rejecit. ib. artibus Balthasaris Simoniacis corrupti Cardinales transferunt negotium Unionis & cessionis Papalis, quod tentarant Lucæ Gregorius XII. & Bened. XIII. Pisam, & Concilium univ. ibi inchoant. II. (XV.) 353. arte munita castra & arces occupat. 354. In Concilio Pisano mille fraudum architecto Balthasari offertur Pontificatus, quem tunc callide recusat, & commendat alium grandævum, Alexandrum V. quem Concilium eligit. 355. Postquam Romam Ladislai manibus vi & dolo, pecunia maxime, eripuerat, callide impedit Alexandrum V. ne Romam abiret, sed Bononiam eum pellicit, quo hic decrepitus senex per nives & terribiles montes, media hyeme, pervenit, revera mancipium Balthasaris. 357. Post aliquot menses moritur, Balthasar fit Papa, Johannis XXIII. nomine, Bononiæ coronatus, 358. promotore Ludovico Andegaviensi, classe Regnum Siciliæ invadente. afficitur hic magna strage navali, *Johannes Papa* defectione urbium Romandiolæ. 359. Mediatoris inter Polonos & Magistrum Teutonicorum Borussiæ equitum, officium ab ipso utrinque expetitum negligit, causa proinde belli feralis. ib. De bello ipsius cum Ladislao Siciliæ Rege, quem prælio vincit, at mox versa fortuna 363-366. Creat novos Cardinales admodum literatos, præsidio sibi futuros. 367. Ladislaum pecunia sibi devincit & a partibus Gregorii Papæ abstrahit: Gregorius, cogente Ladislao, solum vertit, & ad Carolum de Malatestis fugit. ibid. 369. Curiales suos & Romanos duriter emungit pecunia. II. (XV.) 370. sq. ex Quæstoribus indulgentiarum novis male audit. 371. lis Johannis XXIII. cum Præfecto urbis Romæ 372. fœdus cum Ladislao Rege Siciliæ ibid. Novas exactiones æris Papa exercet in Sicilia & apud Romanos. 373. hinc nova clandestina discordia inter Papam Joh. & Ladislaum. ibid. & sq.

Omina imminentis Papæ ruinæ: insignia ipsius fulgure prostrata, &c. 376. officium mediatoris inter Sigismundum Jodoco Imperatori succedentem & Venetos quæsitum negligit Johannes XXIII. ib. fin. sq. Ladislaus exercitu Romam petit, eam expugnat, Cardinales fugiunt, Papa cum Curialibus sequente. 378, 379, 380. sqq. *Johannes Papa* Romanis exosus propter exactiones. 379. Fuga Papæ miserabiliter continuata. inter curiales quoque Theodoricus à Niem, autor hujus Historiæ, miseriam fugæ, ipse expertus, describit. 381. pergit Papa fugere Senas, Florentiam & tandem Bononiam. 382. Castrum S. Angeli proditione capitur. 383. proditorem Rex bonis exutum interficit. 384. *Johannis* & curialium artes Simoniacæ aurum recuperandi 384. med. Colloquium

ſtulata Concilio propoſita pro ſua ceſſione, poſtulat: Legationem perpetuam de latere: Comitatum Bononienſem, Avenionenſem, & alias nobiles Civitates, in temporalibus, & inſuper XXX M. ducatorum auri annuos reditus, cum immunitate ab omni ſubjectione & ratione reddenda, ſive de ante actis, ſive de faciendis in futurum II. (XV.) 403. Simoniam Friburgi exercet & Concilium ſpernit ibid. Protectores *Johannis*, Fridericus Auſtriacus, Legati El Moguntinenſis, cum Cardinalibus fugitivis Conſtantiam redeunt 404. ſq. (vid. hic reliq; ſub tit. *Fridericus* Auſtr.) Friburgo Johannes captivus ducitur Cellam 406. accuſatur, a Papatu removetur & carceri perpetuo mancipatur, honeſtius tamen habitus, quam tot crimina meruerant. Sero nimis fit Cæſari ſupplex 407. novi carceres ipſius Gotlebiæ & tandem Heidelbergæ & Manhemii. ubi ab El. Palatino benigne habetur, a nobilibus miniſtris, menſa lauta, & loco ſpacioſo ac amœno, a viculis immunis, liberaliter alitur; non favore ejus ad id ducto, ſed pia devotione. 409. Sententia remotionis *Johannis XXIII.* nunc *Balthaſaris*, publicatur, ejusque tenor 411 - 414. Balthaſar ex carcere Heidelbergenſi fugam molitur ope El. Mogunt. 445. ſq. præfectus corruptus, ejus adjutor Rheno mergitur. 446. El. Moguntinus ſe Concilio excuſat a culpa, Balthaſarem carcere liberandi. Ludovicus tradit eum Carceri Manheimenſi, ne elaberetur. 459.

B, paulo ſtrictius ſeries actorum ipſius paulo ante Concilium Conſt. in Concilio ipſo, & poſt fugam ipſius &c. ex Tomo II. & V. *Johannes* XXIII. conſentit ægerrime in Conſtantiam, locum Concilii, evaneſcentibus ipſius arcanis circa locum ſuæ ditionis eligendum ſtratagematis, idque divina deſtinatione Leonh. Aretino, ipſius Secretario, id fatente. IV. (I.) 9. in Laudenſi conventu Cæſari eundem locum adſtipulatur invitiſſimus. ibid. Conſtantiam tendit, etſi haud diu ibi perſeveraturus ib. fin. in itinere Fridericum Auſtriacum ſibi devincit, Capitaneum Eccl. Ro. & Conſiliarium creat, vindicem ſuum ex laqueis Concilii futurum 6. coll. II. (IX.) 146. quid Creutzlingæ in itinere egerit? IV. (I.) 7. init. ingreditur cum pompa Conſtantiam. 6. ſq, indicit Concilium ad 1. Nov. 7. ſeq. Dona mutua reciprocata Papam inter & Conſtantienſes 9. fin. ſq.

Differt inaugurationem Concilii bis 10. 11.

Huſſo, ſalvum Cæſaris conductum monſtranti, ſancte adſeverat: etſi fratridicium patraſſet, ſe tamen non commiſſurum, ut illi Conſtantiæ vis inferretur 11. 12. inaugurat Concilium 13. jubet proceſſionem fieri, in ſignum gaudii de recuperata Roma 14. carceri tradit Huſſum 22. per literas Cæſarem invitat ad maturandum adventum 23. coll. II. (X.) 254. Huſſum, jubente Cæſare, dimittere, detrectat. 26. ſq. In templo cathedrali Conſtantienſi, in honorem Cæſaris id ſub Adventum ingreſſi, undecim continuis horis nocte & die Nativ. Chriſti ſacris Miſſæ &c. operatus eſt. IV. (I.) 28. Cæſari templum ingredienti, (non ſine omine) enſem ſancte porrigit Papæ, cujus aciem poſtea captivus ſenſit, cum Protectore ſuo Frid. Auſtriaco. ibid. fin. & IV. (II.) init. 30. vibratur in eum crimin. inquiſitio per congregationes Nationum. cujus loco, blan-

237.

237-241. quanquam id (per inferius dicta) simulanter. Johannes facit ultra 50 novos Cubicularios Prælatos, (secum ducens infinitos Prælatos Italos pauperes) ut numerum pro se suffragaturorum augeret. 230. At elisa est hæc fraus Papalis concluso Concilii, non per Capita, sed nationes vota colligenda esse.

Johannis artes, multos Principes aureis vinculis sibi devinciendi, II. (IX.) tot. Jam ante eo consilio venit Constantiam, ut inde post aliquot menses evaderet, concilium dissolveret, reciperetque se Bononiam vel aliorsum, probatur. II. (X.) 245. collineant Diplomata: 1) Friderico Duci Austriæ, cum certa auri summa, impertita, qua Capitaneus Ecclesiæ Rom. generalis constituitur. 246. 2) Electori Moguntino, Johanni Nassovio, cum non minori auri pondere; qui & sententiæ Concilii & Carceri eum postea subductum ivit. ib. 3) Iisdem armis suum fecit Burchardum, Marchion. Badensem; Diplomati junxit summam adsignatam 16000 aureorum. 248. sq.

Papa Joh. equisonis habitu, strigoso equo insidens, fugit Schafhusam. Inde postridie literis ad Cæsarem & Cardinales datis discessum excusat. II. (X.) 250. machinæ ejus reliquæ Concilium dissolvendi: Curiales suos omnes e Concilio ad se evocat. 253. Informationes, (i. e. acerbas querelas) mittit ad Universit. Parisiensem & Ducem Aurel. quibus Cæsarem accusat, jussisse Hussum Hæreticum ex carcere dimitti, Clericos promiscue & Laicos cum jure suffragii admisisse in Concilio, suffragantes non per Capita sed Nationes, Germanis & Anglis eundem plus favisse quam Gallis &c. offert se venturum in Franciam, quoque loco Rex velit prospecturum inde Concilio ad pacem Ecclesiæ ex promisso procurandam. Idem Missiva Regi Galliæ & Duci Aurel. significat. II. (X) 254 - - 264. Sed literæ hæ Papales remittuntur in favorem Concilii, & Johanni plus nocent 254. circa fin.

Johannes XXIII. si, quod jactat, non potest errare, potest tamen mentiri, & mendacissime in literis ad Cæs. & Concilium, fugam suam excusantibus, scribere non erubuit, se fugisse inscio Friderico Austriaco, quod omnes sciunt esse falsissimum. II. (XI.) 281. Suspectos Johannis Cardinales excludi postulant a Concilio multi Concilii Constant. Proceres II. (XIII.) 285. sq. Theod. de Niem Secretarii hujus Johannis XXIII. invectiva in Johannem e Concilio diffugientem. II, (XIV.) 300. sqq. ejus studium militare ante Papatum. idem ib. 302. eum indignum irrepsisse in Papatum 303. artibus pecuniariis 304. avaritia, libidine, arrogantia, somnolentia, quæ causa est Romæ captæ & expoliatæ, qua ventris hic cultor totam fere diem tanquam porcus in volutabro consumsit: David media nocte surrexit ad confitendum Deo, hic mediam noctem perbachatus est, Bacho litans, & interdiu stertens præ crapula. 305-307. Ejus tyrannis, quam sensit inpr. Bononia, ibid. fuit Johannes Bellorum multorum Causa. 308. Ecclesia sub eo navis fluctuans sine remige, sentina facta omnium vitiorum. 300. Ejus infanda Simonia, etiam Constantiæ exercita. 310. Ejus proxenetæ, tra-

U 2

(ccc)

honoris gratia ei supplices exhibent Volumen legis, quod Papa & Cæsar modestissime declinarunt. Quid exprobraverit Papa Judæis vid. IV. (XI.) 1491.

Decisiva Sententia, in causa der Juden so von Goßlar nach Braunschweig gezogen, Constantiæ in Conc. à Comite de Schwarzb. Cæsareæ Aulæ Judice supremo lata. V. (VI.) 175. sq.

Judex Eccl. (Judicia)

De hujus officio I. (XII.) 679. sqq. Eccles. jurisdictionis abusus. 683. judicis eccl. & civilis limitata officia 685. 686. sq.

Juramenta

Illicita sunt, quæ fiunt ad roborandum contractus humanos & commercia civilia. Thesis imputata Wiclefo, cum refutatione Concilii Const. III. (XIII.) 329. sq. Wiclesitæ non jurant. III. (XIX.) 664. 665. fugiunt idcirco Negotiationes. ibid.

Jusjurandum

Canonicorum quomodo limitandum I. (XII.) 690 - 692.

K.

à Kaysersberg Joh. Geil.

Facundissimus Orator Argentoratensis, Maximiliano Cæsari carissimus, laudatur I. (V.) 169. seqq. ejus sodales & Collegæ in aula Cæsaris: Wimpheling, Joh. Faber, Peutingerus, Niederus, v. suo quemque rubro.

L.

Labbeus Phil.

Concordata Martini V. sigillatim cum Nationibus inita, ex Codice MSto Capranicensi, in Tomo XII. Conciliorum non integre descripta retulit, per Hardtium restituta ex MSto. authent. Gothano &c. I. (XXIII.) Pr. & 1048.

Ejus Appendix Tomo XII. insertus, Actorum Concilii Constant. magnis laborat vitiis ac defectibus, corruptelis. IV. Prol. 13.

Landulphus Cardin. Johanneus.

Moritur in Concilio; ejus exequiæ cum magna pompa celebrantur, parentante Jacobo Episc. Laudensi IV. (VIII.) 532.

Henr. de *Langenstein*, vulgo de Hassia.

Autor est Libri: *Consilium Pacis*, non Gerson. fuit Germanus, Carthusianus primo Wormatiæ Canonicus, dein Parisiis revocatus in Patriam. obiit an. 1428. ut quidem putat cum aliis Warthon in App. Hist. Lit. Cave f. 96. quocirca dubia movet Hardtius II. Pr. 14. conjectans, *geminos* tunc floruisse *Henricos de Hassia* ib. 15. Plura Opuscula edidit, quæ recensentur ibid. & sq. inter alia egregia Hardtius possidet antiquum ejus MS: *Epistolam ad Frisingensem Episcopum Bertholdum*, (ad quem etiam Librum scripsit: de Cathedra Petri II. Prol. 15.) qua flebilem statum suorum temporum exhibet; ex qua diu post Jacobus de Juterbock librum: De erroribus & moribus Christianorum edidit, cujus MStum quoque tenet Hardtius.

Ejusdem de Hassia, Consilium Pacis de Unione ac Reformatione Ecclesiæ, insertum est totum II. (I.) 1 - - 60. ex MSto autographo, cujus fol. Imum deest. fuit Vice-Cancellarius Parisiensis Acad. post Caput Theologorum Viennensis novæ Acad. laudat eum Pantaleon; scripsit præter *Consilium Pacis*, præclarum opus: *Epistolam Pacis*, circa

rea Bibliotheca. 5to. Codex nobilis Actorum dictorum ex Biblioth. Wolfenbuttelensi, quibus corrigi potuit Codex impressus Croarii. 6to MStum Theod. de Niem. & Jacobi de Cerretanis, adjectis & MStis Parisiensibus Spondani, & Romanis Schelstrateni illustramentis IV. Prol. 14 - 16.

Ex MS. Vindebonensi de Actis Concilii Pisani, in ipso hoc Concilio exarato, multa hactenus inedita sistit Hardtius, quibus conferenda fuere Richeriana, at ex MSto. Wolfenbuttelensi emendata & aucta. it. ex Cellensis Curiæ Tabulis: Cardinalium, opem Ducum in re Eccl. conclamata poscentium, ad Brunsvicensium Duces Epistolas MSS. acced. *Pilei*, Archi-Episc. Genuensis Oratio in limite Concilii Pisani, Genuæ habita; de utriusque Papæ cessione necessaria ex MSS. Lipsiens. item ex MS. Helmstadiensi prima & graviss. in Conc. Pisano habita Petri de Candia, mox creati Pontificis, tunc Cardinalis Mediolanensis, Oratio, de misero statu suorum temporum.

Tenet itidem Hardtius, in manibus multo nobilius atque integrius, quam aliis contigit, MS. *Theodorici Niemii* de jure investituræ, quatenus Cæsari competat constituere Pontifices, quod in ipsis limitibus Concilii Const. absolutum esse probat II. Prol. 19.

Ex MSto præstantissimo Wolfenbuttelensi edidit Cel. Hardtius Epistolas & Opuscula Clemangii, labore Orbi liter. maxime fructuoso. quibus partibus præstet hoc MS. ceteris, ostendit I. (II.) Pr. R. 3. seqq.

Manuscriptum Gothanum Ducale authenticum, Secretarii Nationis Germ. in Conc. Const. Gamberti Fabri manu propr. suscriptum, complectens Articulos XVIII. Reformationis Status Eccl. a Papa Martino V. (cui exhibitum erat) exequendæ, cum Papæ Responsionibus, adhibitum primum ab Hardtio, & hinc ceterorum Historicorum defectus suppleti. I. (XXIII.) 1017. laudantur & Cantabrigiensia, Hardtio transmissa ib. & 1018. sq. NB. in dicti MSti authentici Gothani margine adscripta monita Nationum ad Martini V. Reformationis formam. Bibliopegi culpa infelicissime multa resecta sunt. 1019.

Quanti laboris fuerit Hardtio MSta Vindebonensia aliaque antiqua, exesa exputare! plures horas sæpe poscente unius canonis integritate vindicanda. I. (XII.) Pr. 667.

Latent sæpe Manuscriptorum autores, quia non adscripta inveniuntur a scribis nomina eorum, hinc ex stylo aliisque circumstantiis conjecturis interdum lubricis indulgendum I. (IX.) 483. probatur id exemplis 484 - - 487. egregia quædam MSta forte ab interitu vindicavit Hardtius in domo viduæ cujusd. reperta & empta I. (IX.) 502.

Maria, mater Jesu.

Fuit dignior omnibus Apostolis, quia ter fuit sanctificata 1) in utero, trino effectu, expiationis a culpa originali, infusionis gratiæ, & quoad fomitis peccati restinctionem, quanquam non exstirpationem. 2) Spiritus S. obumbratione & Filii Dei conceptione, gemino effectu, fomitis extinctione, & in bono consummatione. 3) Filii Dei inhabitatione, gemino iterum effectu - - quo non solum mens, sed & corpus luce divinitatis resplenduit, non invitata ad

que,

Papæ,

demnatio eorum differtur in alium diem. ib. Denuo differtur in Sessione IIda ob dissensum Cardinalium ibid. 100. Sessio III. omnium Consensus de condemnandis Anti-Papis contumaciæ. differtur tamen condemnatio. 102. Publicata condemnationis Papalis sententia ib. & 103. Sessio IV. Legati Imperatoris Ruperti impugnarunt condemnationem Paparum, non horum favore, sed ex defectu juris convocandi. Paparum condemnatio confirmatur a Concilio, faciente cum Legatis Cæsaris Conrado de Susato, in Sess. speciali. II. (II.) 104. sq. Sess. V. & VI. contra eosdem Papas removendos, cum Legati Anglorum Regis Orationem habent de Unione Eccl. Sess. VII. Responsio adornata ad dubia mota per Rupertum Cæsarem. Sess. VIII. & IX. Decreta de autoritate illius Concilii. ambobus Anti-Papis obedientia subtracta, idque per sententiam publicatum. item: quod nemini Regum, Principum &c. in præjudicium trahi debeat absentia vel sedes promiscua Legatorum ipsorum. Processus etiam inquisitorii in crimina removendorum Paparum instructi Testium Rotulis ib. 118 - 124. Sess. X. iterata Citatio Pontificum. 126. Sess. XI. & XII. Articuli Probatorii in Pontifices litigantes. ib. 126-132. Sess. XIII. probatur: Concilium esse supra Papam. & Parisienses aliique judicarunt Petrum de Luna Schismaticum & Hæreticum. 132. sq. Sess. XIV. iteratæ Probationes contra Bened. XIII. Sess. XV. citantur Papæ ad audiendum Sententiam. ib. 135. ipsa definitiva Sententia contra ambos Papas. Sess. XVI. Decretum Concilii de Reformatione Ecclesiæ per novum Papam, nec Concilium ante dissolvendum, quam Reformatione peracta. II. (II.) 138. sq. Sess. XVII. Novi Pontificis Electio definitur. 140. Sess. XVIII. Regis Arragonum Legati adeunt Concilium, expetentes Copiam Actorum Concilii; & audientiam nuntiis Papæ Benedicti XIII. prius annuere Patres, sed, quod Papam dixit *Petrum de Luna*, Orator ipsius, risu exceptum id fuit. tandem re deliberata, ob reverentiam Regis, se nuncios Pseudo-Papæ, tametsi hæreticus eo indignus esset, audituros promittunt. 142. Sess. Specialis. audiuntur Legati Regis Arragon. & nuncii Petri de Luna, qui postremi cum sibilo excepti tandem clam aufugerunt. ib. 143. Sess. XIX. Cardinales ingressi Conclave ad eligendum novum Papa. Electus Alexander V. (Petrus de Candia, supra p. 97. sq.) ib. 142. Sess. XX. Electio Novi Papæ publicatur. confirmat P. Alexander V. processum superiorem Schismatis tollendi, spondens Cardinalibus Reformationem jam ante in Concilio definitam, & Reformatores eligendos. ibid. sq Sess. XXI. Abolitæ Excommunicationes, antea in Schismate à diversis Partibus contra se invicem latæ 147. sq. Sess. XII. Approbat Papa Alex V. translationes, promotiones, provisiones de Prælaturis, Dignitatibus, beneficiis & Officiis Eccl. per duos Anti-Papas factis ante Sententiam contra eos definitivam. ib. 151. sq Sessio XXIII. (quarta sub Alex. V. & ultima Concilii) Beneficia Ecclesiæ, non esse per Papam dissipanda. Concilia Provincialia esse celebranda ante novum Concilium Gene-

Quinti-

Theobal-

Theobaldus 1402. Nicolaus de Javir &c. Verum surdo Clero narrabantur fabulæ!

Cardinales, visa Cæsaris offensa, ex Concilio abire parant; a Cæsare, petitum salvum conductum ipsis denegante, prohibiti, & tandem Friderici Electoris Brand. opera inConcilio retenti. 1415. fin. 1416. init. Cæsari & Germanis hæreticorum & Hussitarum nomen impingunt; aculeato scripto petiti Germani, cum Cæsare strenuam apologiam pro studio suo reformationis præmittendæ opponunt. 1414. 1418. Cæsar quosdam Cardinales ferociores capere constituit. 1417. Tandem hi buccinatores tot malorum, postquam ad eos Itali cum Hispanis, Galli postremo & Angli plurimi (non enim deerant viri boni) defecerant, pervicere &c. ut Papa ante omnia eligeretur.

Decretum Concilii, Sessione XL. Reformationem Status Ecclesiastici a novo Papa statim debere institui ante Concilii finem; & publicati Reformationis Articuli. 1449. sq. De Reformatione Eccl. quædam statuta: De Exemtionibus, de incorporationibus, de fructibus medii Temporis, de Simoniacis, de dispensationibus - - decimis, de vita Clericorum &c. 1533.

Quousque in *Reformatione* Ecclesiæ tandem processum fuerit, post electum Martinum V. seu per vota & intentissima studia Nationum, præsertim Germanicæ, seu per artes Papæ, eam limitantes. IV. (XII.) tot. Germani libellum Martino V. offerunt, articulos de Reformatione Supremi Regiminis Ecclesiastici comprehendentem, quo eum ad Reformationem suscipiendam animarent. IV. (XII.) 1503. Galli per Cæsarem urgeri desiderarunt reformationem a Papa præstandam. quibus ille indignabundus exprobrat nuperum fatuum consilium, de reformatione in Papam differenda. Hispani idem urgent, maxime Simoniam exstirpandam 1503. Martinus quandam *Reformationis Curiæ Rom.* toties expetitæ, *ideam*, scripto exhibet Nationibus 1508. Solennis Oratio de Ecclesiastici Regiminis Reformatione habetur. eod. temp.

Finito Concilio Gerson scripsit Dialogum Apologeticum in Vastum corpus Decretorum Conc. Const. ubi inter alia deplorandum statum Eccl. testantia, *video*, inquit, *quod Ecclesia reformatio nunquam fiet per Concilium, sine præsidentia ductoris pii, prudentis &c. - - membra per provincias aut regna. &c.* IV. (I.) Pr. 3. 4.

Reformatorium Collegium in Concilio Const. solennissime constitutum, Ejus Consultationes atque constitutiones per omnes Tomos. I. Pr. 21. & 28. fin.

Reformationis Capita atque momenta I. Prol. 21. sq.

Vid. *Vrie, Niem, Alliaco, Zabarella* & alii, qui ipsi Concilio de ea libros obtulere. Ex horum scriptis Collegium Reformatorium adornavit tria præclara monumenta: geminum Protocollum, Decreta, & Decretales. I. Prol. 29. & I. (X. XI. XII.)

Erigitur hoc *Reformatorium* Collegium in Concilio Const. post fugam Papæ Joh. XXIII. ejus origines & incrementa, impedimenta I. (X.) 570 -- 579. Cardinales nullos initio voluit ad id admittere, ut-

Rescri-

Spurii

Veftes

Wiclef